IV


PLVMBO NON PLVMA
NVMERO COMPOSITA
PHYSIOMATHESIS
And. Salminius Venetus
sculpsit Bonon. 1646

QVÆSTIONVM PHYSIOMATHEMATICARVM LIBRI TRES

In quibus
Ex Naturæ principijs hucusq; desideratis demonstratur ASTROLOGIÆ pars illa, quæ ad Meteorologiam, Medicinam, Nauigium, & Agriculturam spectat.

CVM XII. EXEMPLIS IN FINE.

AVCTORE

DIDACO PRITTO PELVSIENSI.

Ad Eminentissimum, & Reuerendissimum

CÆSAREM FACHENETTVM

S.R.E. Cardinalem Senogalliæ Episcopum.

MEDIOLANI,

Ex Typographia Io. Baptistæ Malatestæ Reg. ac Cameralis Impræssoris.
De consensu Superiorum.

CÆSARI
FACHENETTO S. R. E.
EMINENTISS. AC REVERENDISS.
CARDINALI SENOGALLIÆ EPISCOPO.

QVÆ de Sideribus recensui Eminentiss. Princeps, controuersijs publicis exponere tractanda cum ipsis meis rebus peropportunum, tum Astrosophicis Disciplinis non incommodum futurum existimaui: Tutorem, & qui præsideat Arbitrum, neminem, nisi Te vnum Purpuratorum Benignissimum Sidus, & pluribus nominibus appello. Ex ingenita humanitate cum à Te Tuæ non vulgaris liberalitatis compos fuerim sæpius, non despero à Te in hisce discriminibus gratiosa prorsus me clientela dignandum. Arbitrium in concertationibus pronunciare Principis est, cuius & ditio. Æthereis rebus Solem præesse ipsa Sidera motibus, & radijs eius obsecundantia testatum faciunt. Ad Solem tamen illum vtpote non omnino salutarem accedere nunquam audeam, verum ad Te Sidus longè feliciori effulgens radio. Probis exoritur ille, tum etiam im-

probis, vniuersos vitali calore satis perfundens, infelici tamen fato nubibus obducitur crebro,& ad Occasum tendens præceps quotidie ruit. Lux largitatis, & munificentiæ Tuæ, qua reuiuiscunt, & hilarantur addictorum animi, summum Meridiani luminis culmen nunquam deserit, nullam obscuritatis nebulām induit. Adurit ille candenti sua luce, qua ne statim laborantes extinguat pęnas adsperso sudore producit. Vegetam Arborem Gentilitijs Tuis Insignibus ostentas, fractis viribus animisq; lauamen, vmbraculum patrocinium. Icarum ille ad se euolantem extemplo repulit, & crudeliter adeo, vt momento fictitijs alis dissolutis, altissimis vndis merserit. Ea Tibi innata benignitas, & humanitas, vt neminem ad Te confugientem reijcias;amplexibus potius suauissimis tegas, foueas, vitæq; excusso metu reddas. Medium ille Zodiaci semper in rectum vbiq; seruat; bis tamen in Anno ab itineris quodam modo labore defessus quiescit, tantisper subsistens, vnde Solstitia. Nullam nisi rectam Tu ingrederis viam, itaq; pro Iure, & Æquitate excubas Pastor Optime, vt quies nulla. Centrum Solis aliud à centro Telluris. Aliò mens tua, quam ad fluxa, & caduca. Solis lucem, & motum Sidera necessariò sequuntur vniuersa, Clientes Tui Tua lumina, Tua Imperia. Aliaq; plurima, & bonitatis, & splendoris insignia, quibus cum careat Sol ille studio, & vigilijs ipse Tibi Præsul Amplissime parasti, Temet

ijs ita pulchrè eleganterq; decorans, vt mortalium animos in Tui admirationem, & obſequium vſq; eo allicere valeres, dum ſummis etiam Pontificibus qui Purpuram, & Inſulam indueres viderere dignus. Tuum ergo ſit Aſtroſophicis præeſſe Diſputationibus, deq; ijs arbitrium ferre. Faxint ſuperi, vt qui Romana inter Sidera conditus es mortalium bono, Romanus etiam dicaris Sol Vrbi, & Orbi fulgentiſſimus. Salue igitur, & Tibi, & Eccleſiæ cuius felicitati Stirps Te genitum voluit clariſſima. Mediolani Kalendis Maij 1647.

Eminentiæ Tuæ Reuerendiſs.

Addictiſſimus
D. Placidus de Titis Peruſinus.

BENIGNO LECTORI·

AD Icari temerariam stultamq; audaciam haud immerito prudentes referunt illorum Astrologorum coniecturas, qui non nisi cereas assumentes leuissimarum commentationum alas, ad sublimiora semper mente volare viribus totis aspirant; vbi cum nihil solidi, nihilq; firmi ad subsistendum inueniant, quo magis prope Sidera degere, & diuinitus ominari sibi suadent, eo remotiores liquatis fictilium simulachrorũ ceris, calore videlicet lucis detectæ fraudis, etiam altissimo ludibrij pelago submersi reperiuntur. Hinc mihi sumendum consultum omnino statui non inani vacuorum dogmatum pluma circuitus Astrorum sequi, sed conserto, grauiq; plumbo ad imum elementorum propenso, Terræ solo firmiter inhærendo Cæli faciem contemplari; ab his nimirum inferioribus nequaquam procul, adhibito rationis Quadrante, versoq; ad centrum naturæ rerum argumentationis perpendiculo, differendo, Siderum erga sublunarem plagam influendi modum euidenti conclusione venari: primùm etenim incedendi pedibus iuxta veræ Philosophiæ præcepta circa Tellurem vsum oportet addiscere, quam ad Cælum volandi gratia tenuissimas à materia scilicet vndiq; disiunctas accipere Mathesis alas. Et sanè profectò si quispiam Causarum quarumlibet connaturales effectus nancisci cupit, opus omnino prius vt subiecti naturam, cui Causæ incumbunt, modumq; familiaritatis ad inuicem nouerit: Vniuersalis autem hæc rerum omnium machina ex Cælesti, & Terrestri Sphæra miro quodam componitur nexu, qui nisi clarè manifesteq; nobis pateat; neque qualis sit modus agendi Cælestium Causarum in sublunaria, neq; sublunarium patiendi, & recipiendi Siderum actionem; atq; proinde neq; quales, qui, vel quot edendi sint effectus in rerum Natura vnquam patebunt. Tandem penes ipsa Sidera, licet eminentiori virtute suos attingant effectus, quam inferiores efficientes, quæ sint agendi summæ Causæ, primaq; Principia vestigare, tum demum exquisitè percipere necessarium est. Æthereas porrò res duce per Causas, & Principia ratione, iam alias persequi, & Quæstionibus agitare pollicitus sum; nunc & serius certè, tùm deniq; paucioribus, quàm animo conceperam aduersantibus ipsis Astris exhibeo: Læto progredere vultu Lector humanissime, & in futurum si studeas Cælorum influxus à Causis potius, & Principijs; quemadmodũ ingenuæ Scientiæ decet Profitentem ratiocinando colligere, quam per sola tantum Signa, & à Dogmatistis tradita decreta; non modo perfectissimæ, verum etiam naturalium omnium nobilissimæ Disciplinæ possessor euades. Etenim si quis præclaram dixerit, & omni laude dignam rerum naturalium Philosophiam, quod eminenti quadam industria Naturæ res licet à sensuum apprehensione nimis abditas, & remotas, nihilominus arripuerit, & subegerit, adeoq; vt ad summas, & intimas earum causas vsq; peruenerit cognoscendas, ac tractandas; Eo præclariorem ipse non verear habere, tum etiam celebrare Siderum Sophiam, quod cum obiectum assumat ponderandum tanto nobilius, quanto distant à Tellure natura, & loco Sidera; pari eminenti methodo circum idipsum versetur: Omnis enim Ars, quæ rationis, & consilij lumine careat ad res suas peragendas scientiæ titulum non meretur, quæ cæcitatis tenebris obducitur; cum præter aures, quibus cæterorum hauriat dicta; pedesq; quibus ea valeat vltro prosequi, nihil amplius lucis, & sensus intelligentiæ complectatur, quo verum à falsis, album à nigro, graue à

leuiore,

leuibus, à felle mella discernere, & eligere nosceat: immò, quod longè deterius est, omni prorsus destituatur præsidio, quo se suasq; res ab insidijs obtrectantium tueri possit. Quod si Astrologia non amplius in Professorum duntaxat obseruationibus acquiescens auditu, sed à primis Principijs, & Causis, ratione consulta diligenter, & ingeniose argumentando disquirat, & proprijs oculis Astrorum res omnes, & singulas sedulo respiciat, & diiudicet; quanto nobilior sit censenda supra naturalium rerum Philosophiam ex eo facile cognosci poterit, quod hæc tantummodo res gerat perpetuæ transmutationi, & alterationi obnoxias, nimis abiectas, & exiguas vsq; ad indiuisibilis puncti ferè similitudinem: illa non nisi sempiternas, excelsas, & penè immensas, admirabili, ordine, situ, luce, natura, motu, & motoribus decoratas, quid namq; turpius, aut informius sublunari materia, quid inanius priuatione, vacuo, & similibus, quid inconstantius cunctis sublunaribus rebus, quæ summam abiectionem, turpitudinem, & leuitatem redolent? vt profecto mens humana Vniuersi proculdubio splendor ab ingenita dignitate, & præstantia non parum excidere videatur admouendo præclarum vsus rationis instrumẽtum ad effodiendam humum; iam satis ex necessitate graui putridoq; comprimebatur corpore, quod etiam ex libertate meditando intra rerum corruptibilium centrum perpetuo commorari velit. Et quare ab hisce tenebrarum latebris non conuertimur, & erigimur ad ætherea illa fulgentissima lumina quandoq; contemplanda, & fruenda? Vtiq; dices, quod me herclè non latet, nimis remota sunt Sidera, vt vires humanæ mentis non valeant illuc iter aggredi, deficiat animus ad instituendum; & quod deterius est nulla via, nullumq; vestigium apparet, & qui tramitem innuunt prius docuerunt, quam didicerint, ostendunt, sed nunquam sunt adorti, aiuntq; illum esse, quem neq; vident, quo minus callent, quod aliquando calcauerint: Enimuerò nullus extat Auctor qui res Astrorum Disputationibus attrectare sit ausus, nisi tantum, & multi sunt qui Disciplinam hanc reprobare, tum etiam damnare iniuria gloriantur, totisq; viribus nituntur. Hinc mihi re vera multo grauius, & difficilius iter per inuia vt adhuc bellare cum hostibus necesse sit: & quæ mihi spes in immenso adeo Occeano incognita litora perquirendo contra ventorum aduersantium procellas, impetum, rabiem? Astrologiam à maioribus per est, est, sicut aiunt, accepi, cæcos vtiq; cæcus videbar sequi, vt nisi nobilitatem, & præstantiam tantæ Professionis ex intimo non coluissem, millies eam repulissem, codices ignis studio commisissem. Hæc inquam hilari perlustres animo, & quæ in aduersum excogitaueris obijcienda si palam in medium prodideris mihi gratissimum scias facturus. Cæterum qui volumi-num augent moles in trinam dimensionem ad amplitudinem iactantiæ cito, quam vt satis erudiant Lectorem ad maiorem trinæ intellectus operationis claritatem gratia percipiendarum suarum rerum; plura circa proœmialia proponunt non modo superflua, & inania, sed prorsus etiam molesta, quin imò tempus, ipsumq; Lectoris animum conterentia: at ego, qui breuitati studeo, similia circa obiectum, institutum, diuisionem, finem, vtilitatem scientiæ Siderum, & si quæ talia possunt huiusmodi excogitari quæsita, prudenter omittenda statui, quæ si quis desiderat, cum non desint Auctores, qui in his fusè latèq; versentur, ipsos consulat. Te interim monitum volo ita me in hoc Opere de naturali, ac coniecturali luminarium Astrorumq; in res sublimares influxu sermonem habere, vt non excludatur Primæ Causæ necessarius concursus, à qua omnia tandem summa, & inexplicabili rerum omnium prouidentia, & gubernatione dependere Fide Catholica tenendum est. Vale.

PETRVS PAVLVS BONETTVS I. C.
CREMONENSIS LECTORI S.

Publicæ vtilitati maximè consulturum me sum arbitratus, si opus hoc nomine Didaci Pritti Pelusiensis ad me fortè fortuna perlatum Typis euulgandum curarem, vt qui promptissimè cognouerim sub assumpto illo nomine latere ingenium D. PLACIDI DE TITIS PERVSINI cuius doctrinæ, & eruditioni quamplurimùm debere omnes, qui bonis artibus incumbunt, nemo est qui nesciat. Et sanè quisnā à Ptolemæo ad hæc, vsq; tempora Astrorum scientiam ita pertractauit, vt eā Naturæ principijs inhærentē ostenderit, atq; adeò illorum adminiculis inmixam, vt non immeritò hanc ex eisdem omninò deriuari, deduciuè demonstrauerit. Quis vnquam inter Physices abdita eousq; rimari sustinuit, donec absconditos diu huius scientiæ fontes detexerit non solum, sed eosdem etiam cæteris in incerto vagantibus ostenderit, vt iam nulli dubium videatur, quin ad pristinum decus restituta sit liberataq; ab illa labe, quàm eidem intulerant superstitiosi sycopantæ, qui à recto rationum tramite discedentes nugis suis effecerant, vt execranda, & odiosa apud omnes euaderet: ceu non vno loco in Sacris litteris non modò, sed etiam in ipsis Legum voluminibus est videre. Iam non illa amplius Astrologia est, quæ temerario ausu vltra naturæ metas audeat præternauigare; non illa est, quæ liberis hominum voluntatibus, infesta in easdem (quamuis temerè, & nequicquam) sibi persuadeat ius, & imperium arrogare; non illa est, quæ audacissimo volatu propior facta supremo numini, dum inter arcana Dei soli seruata penetrare conatur, turpi delapsu præceps ad Tartara deturbata est. Nihil in hac nostra impium; nihil superstitiosum; nihil inane: scias ex Naturæ ipsius principijs prodijsse. Oblatum itaq; tibi hoc opus Amice Lector hilari fronte excipe, quod quamuis mole ingens non sit, prætiosum tamen est, & simile annulo Pyrrhi Regis in cuius exigua gemma Nouem Musas media Apolline Natura distinxerat. Iocundissimas inuenies Quæstiones, docto calamo, & acri ingenio pertractatas in quibus vniuersæ Philosophiæ specimem habebis, præter vtilitatem maximam, quàm experiere, dùm eas, siue ad Meteorologiam, siue ad Medicinam, siue ad Nauigationem, siue ad Agriculturam adaptabis. Mirum tibi porrò non videatur me qui grauioribus addictus studijs veram non simulatam Philosophiam (inquit Vlpianus lib. 1. Instit.) *affecto, ad leuiora hæc percurrenda animum deflexisse; etenim absq; Ciuilis sapientiæ detrimento, succisiuis horis, quas ego perire non patior, id datum est, cum & alioqui non ignorem Iurisprudentiam, quamuis sanctissima res sit, ex eodem Vlpiano* lib. 8. de omnibus Tribunalibus, *alias pariter rerum cognitiones non respuere. Vale, & fruere.*

LIBER PRIMVS
DE VIRIBVS ASTRORVM IN SVBLVNARIA.

Instrumentalis Astrorum Virtus, quæ, & quotuplex.

CAPVT PRIMVM.

EX Astrorum accessibus, & recessibus annuis, menstruis, & diurnis, quos negare non potest, qui sensuum minus compos haberi non velit, emergentes in elementarem regionem effectus, non modo Mathematicæ, & Philosophiæ Doctores celeberrimi, sed etiam Sacræ Theologiæ probatissimi: ipsi Sancti Patres fatentur, & ostendunt, sicut notum est: & ego superuacaneum duxi circa ea immorari, quæ quilibet de se perspicere, tùm in rebus ipsis, tùm apud Auctores poterit; tùm demum ex causarum secundarum ad inuicem subordinatione physicè differendo colligere.

Cum verò cælestes causæ longissimè à rebus inferioribus absint, atq; propterea nequeant ex se immediatè per suum scilicet corpus in res inferiores agere; sed neq; per virtutem aliquam, quæ non perueniat vsq; ad ipsas res inferiores passibiles, & non tangat eas, eo quod nulla fieri possit actio, & nullus elici effectus in subiecto, quod nulla tangit virtus causæ efficientis actiua; seu quod à nullo agente patitur: Ea propter deduxi necessarium omnino esse, prout euidentissimum censet *Ptolemæus exordio lib. primi Iud.* asseritq; non indigere verbosa probatione (quamuis ibidē infra latè demonstret) pertransire, & diffundi virtutē quandam ab ætherea, & sempiterna natura in vniuersa terræ circumposita, & semper mutationi obnoxia, quæq; Lunæ subsunt mixta, vel simplicia corpora: Adeoq; vt nulla ratione negari possit, sed apertissimè constet, quod Sidera virtutem suam actiuam à se ipsis emittant vsq; ad omnia, & singula corpora sublunaria, qua virtute attingant omnes effectus, quos in rebus inferioribus producūt. Aggredior inuestigare, quæ sit hæc virtus Astrorum, qua tanquam instrumentali medio agunt in res sublunares, & an sit multiplex, & quotuplex.

Philosophorum plurimi triplicem instrumentalem causam largiuntur Sideribus, lumen, motum, influentiam occultam. Et lumen quidem in Astris esse causam instrumentalem sensibus notum est; nam Sol lumine in primis calorem producit vsq; ad ignem; deinde quæ, & quanta, tàm in mixtis, quàm simplicibus, & tàm animatis, quàm inanimatis, nemo est qui sensibus liber planè non fateatur. Et sanè quoad lumen omnes Auctores conueniunt: motum verò esse causam instrumētalem Siderum ideo affirmant, quod per attritionē est causa caloris; cum verò Sidera concitatissimo vehantur gressu, dubium non est,

quin calorem ipso motu producant: est etiam sententia *Aristotelis 2.Cæli tex.42.*

Tandem quoniam experimur virtutem Astrorum peruenire vsq; ad viscera terræ, quo penetrare non valent lumen, & concitatio, seu attritio per motum exhibita, vbi nihilominus tamen metalla, lapides, mineralia, aquarum venas, atq; alia penè innumera generant, placuit ijsdem Philosophis, præter lumen, & motum, influentiam quandam occultam Sideribus tribuere. At quicquid senserint alij, ego vnam tantum instrumentalem causam in Astris pono, nimirum lumen, quod sufficere, & satis esse puto ad omnes effectus in sublunari materia producendos.

Prima Conclusio. Cælorum motus non potest esse Siderum virtus instrumentalis, qua, materiam sublunarem, prima corpora, & quicquid ex illis est exagitant.

Probatur primò. Instrumentalis causa à principali egressa peruenire debet vsq; ad subiectum passibile; aut saltem quædam alia instrumentalis virtus ab illa priori causa instrumentali procedens: sed motus est quidem in Astris, sed non peruenit vsq; ad res inferiores, neq; alia virtus à motu procedens, ergo motus non potest dici instrumentalis causa Siderum. Maior propositio patet: nam instrumentalis causa assumitur, vel ideò, vt virtus principalis causæ subiecto passibili iungatur, cui propter absentiam iungi nō potest principalis causa; vel, vt actiua virtus eidem instrumento committatur ad attingendum effectum, quē à se attingere non valet principalis causa: minor quoq; patet: motus quippe localis, qui est in Astris, non impellit localiter res inferiores, sed neq; aliqua virtus à motu procedens efficit aliquid in sublunari materia: nam à motu calor tantum ex corporum, scilicet perfricatione, producitur.

At verò quod Astra non eliciant calorem in rebus inferioribus motu, quo vehuntur tanquam instrumento, probatur primò: Cælorum motus est semper æqualiter concitatus, & velox, ergo semper æqualem calorem producere deberet, aut saltem in noctibus Hyemis æqualem calorem efficere deberet, sicut in noctibus Æstatis; at noctes Hyemis è contra frigidissimæ sunt. Secundò, Prouinciæ sub polis sitæ nostris longè frigidiores sunt, cum tamen non minus illæ, quam nostræ compotes possint esse effectus perfricationis orbium Siderū. Tertiò, Regiones aeris superiores calidiores esse contingeret, quia agenti propinquiores; etenim intra Spheram virtutis actiuæ virtus intensior, quo proximior efficienti: Ex perientia tamen contrarium ostendit, frigidiorem scilicet esse mediam aeris regionem, quam sit inferior: similiter montium summitates frigidiores sunt vallibus &c.

Secundò, probatur Conclusio. Instrumentalis causa sic admitti debet Sideribus, vt cuiusq; Sideris naturam in effectibus imitetur; at quia Siderum quædam ad inuicem contraria sunt, cætera saltem diuersa, opus est, vt eorum virtus instrumentalis contrarietatem, & ad minus diuersitatem in effectibus eliciat: Sed motus ex perfricatione corporum tantum calorem efficit, ergo producere cum non possit cæteras Siderum qualitates, non potest dici eorum instrumentalis causa.

Tertiò, Astra nouos semper effectus in inferioribus rebus producunt: sed cum

motus

motus ab initio Mundi fuerit semper, & sit; iam non nouum calorem, sed manutenentiam producti ab initio caloris efficere posset; & sic motus non esset instrumentalis causa noui Siderum influxus.

Quartò, Inter Cælos, Orbis Lunæ solummodo tangit elementarem regionẽ, ergo Lunæ tantum motus poterit esse instrumentalis causa; ergo aut tantum Lunæ motus erit instrumentalis causa, aut nullius Cæli: at verò Luna experientia reperitur cum humido magis frigefacere, quam calefacere.

Quintò, Motus quamuis perfricatione corporum calorem producat, non potest esse instrumentum Siderum, sed tantum eorum Orbium; nam non Sidera, sed eorum Orbes, quinimò Lunæ tantum Orbis, vt dictum est, & non cæterorum Siderum poterit perfricare corpora elementaria sibi proxima: motus ergo, aut est instrumentum Orbium tantum, & non Siderum, aut saltem Lunæ solummodo, non cæterorum etiam: aut tandem solius Orbis Lunæ; quæ absurda sunt.

Sextò, Corpora leuiora, & rariora non possunt attrire corpus densius, & grauius, ergo neq; ignis potest attrire aerem, neq; aer aquam &c. ergo hæc virtus Astrorum non poterit peruenire vsq; ad terram.

Septimò, per motum localem ad summum causæ naturales applicant, vel separantur: nam applicatio causarum fieri non potest, nisi vna cum motu locali; nec tamen propterea sequitur, vt motus localis sit causa applicationis, quia non influit in ipsam applicationem, sed simul sunt: nam causæ dum applicant, vel separantur, mouentur; & dum mouentur applicant, vel separantur; itaut ferè idem sit applicare, & moueri; & non prius tempore, aut natura vnum quã alterum: causa verò est, quæ influit in effectum, & est semper prior natura ipso effectu.

Quod si *Aristoteles* 2. *Cæli text.* 42. videatur cælorum motui tribuere aliquam calefaciendi virtutem ex perfricatione, à pluribus tamen Philosophis obseruatum est id non ex propria sententia, sed ex Mathematicorum sui temporis asseruisse: & potest id colligi ex paulò superioribus verbis (*vt enim*) inquit (*ignea dicentes esse, ob hoc dicunt, quia id quod sursum est corpus, ignem esse dicunt*), dicunt, ait. Præterea licet ego concedam circa orbem Lunæ fieri posse perfricationem, qua superiorem aeris regionem in ignem conuerti contingat: nihil tamen inde contra meam sententiam consequitur.

Secunda Conclusio. Non est necesse tribuere Sideribus influentiam aliquam occultam ad agendum in res inferiores: imò neque videtur possibilis huiusmodi influentia. *Prior pars Probatur*. Ideo à quibusdam tribuitur influentia occulta Sideribus, quia Astra agunt etiam in visceribus terræ, vbi tot mineralium genera producunt, ad quæ loca tamen, dicunt ipsi, constat lumen, & motum peruenire non posse: sed in illis locis Sidera possunt agere, prout de facto agunt absq; influentia occulta: ergo superflua est: minor propositio patebit infra in explicatione meæ sententiæ.

Secunda pars probatur. Virtus penetrans ad intima terræ debet esse maximæ actiuitatis, & longè maioris, quam sit lumen, quod illuc peruenire non potest: ergo in media regione, per quam transit ob maximam suam actiuitatem, aut ex se, aut ab effectibus magis apparere, & sensibus patere deberet, quam ap-

pareat, & pateat ipsum lumen; at ex se creditur occulta, & effectus non apparent: nam quiuis effectus in elementari regione, quo peruenire potest lumen, ab eodem lumine, originem habere ratione, & experimento euidentissimè constat, ergo neq; videtur possibilis huiusmodi influentia occulta.

Tertia Conclusio. Instrumentalis causa Siderum, qua materiam hanc sublunarem, & prima corpora, tum etiam mixta exagitant, est lumen tantum.

Probatur. Non debemus frustra multiplicare instrumentales causas: sed lumen ex se est sufficiens instrumentum, quo Sidera in elementari regione producere valeant vniuersum genus effectuum naturalium; ergo lumen tantum est instrumentalis causa Siderum: Minor probatur; vniuersum genus naturalium effectuum in elemẽtari regione ad hæc reducuntur, vel quod sit motus, vel mutatio: idest, vel quod sit de genere accidentis, vel de genere substantiæ: & mutatio quidem substantialis nulla fieri potest ex communi omnium Philosophorũ sententia, nisi præuio motu accidentali; à quo saltem prædisponitur subiectum ad substantialem mutationem, & demum attingitur ipsa substantialis mutatio: nam ex communi sententia, accidentia sunt, quæ attingunt immediatè mutationem substantialem. Igitur vniuersum genus naturalium effectuum in elementari regione ad accidentalem motum reducitur. Sed lumen Siderum ex se solo sufficiens est ad excitandum motum in omni genere accidẽtium, ergo est etiam sufficiens instrumentum, quo Sidera producere valeant in rebus inferioribus vniuersum genus effectuum naturalium. Hæc vltima minor propositio probatur: Accidentia quæcunq; vel sunt simplicia, vel ex his mixta; siue dicamus, vel prima sunt, vel ex his compacta, & dependentia: Sed lumen Siderum ex se solo sufficiens est ad excitãdum motum in singulis primis, seu simplicibus accidentibus; ergo etiam in omni alio genere accidentium. Consequentia patet; nam causa causæ est etiam causati causa, quamuis remotior: sed in hoc non est controuersia inter Auctores: Prima illa, & maior propositio conceditur ab omnibus, & *Aristoteles 2. generat. cap. 2.* vniuersas qualitates ad quatuor primas reuocat, cæteras ab his dependere concludens: Quantitas verò, ad quam reducuntur figuræ rerum, licet non videatur dependere ab illis, neq; ex illis primis quatuor simplicibus; tamen est determinata in vnoquoq; primo simplici corpore, & consequitur ad eorum esse, & transmutari, alterari, durescere, rarefieri, atq; huiusmodi. Superest probanda secunda illa minor propositio, pro qua sit.

Quarta Conclusio. Sidera solo lumine producunt quatuor primas qualitates, quæ sunt calor, frigiditas, humiditas, & siccitas.

Probatur primò. Sol lumine suo producit quatuor primas qualitates: nam adducit quatuor anni tempora, in quorum singulis viget, & dominatur vna è quatuor primis qualitatibus, & in omnibus omnes, vt notissimum est, & latius infra explicabitur: ergo similiter cætera quoq; Sidera lumine suo producunt quatuor primas qualitates probatur consequens: Sol lustrando lumine suo quatuor quartas Zodiaci, & Mundi efficit quatuor primas qualitates: sed cætera quoq; Sidera lumine suo lustrant quartas Zodiaci, & Mundi, ergo quemadmodum Sol ita reliqua Sidera poterunt efficere quatuor primas qualitates. Confirmatur; nam Sidera participant, & hauriunt lumen a Sole, vt concedunt

omnes

omnes Philosophi, ergo modumquoq; agendi Solis participare, & imitari poterunt; cum discrimine ta men temperiei emergentis à natura corporis Astrorum, eo quod omne quod recipitur ad modum patientis recipiatur: ideoq; lux in Saturno coloris plumbei, in Marte ignei, &c. de quibus dicetur suis locis: quamuis omnis Astrorum lux à Sole tanquam à primo fonte dimanet. Quocirca si Sol sola luce sua lustrando quartas Mundi, & Zodiaci efficit quatuor primas qualitates, consequens est, vt cætera quoq; Sidera lustrando sua luce easdem quartas, efficere possint primas qualitates suæ naturæ.

Dices. Sol affert quatuor anni tempora, & eorum in qualitatibus diuersitatem, non lumine, sed influentia, & non lustrando quartas Mundi, siue Zodiaci; sed occultè influendo; atq; ita similiter de consequenti præstant cætera Sidera. *Respondeo*, quod in primis patet sensu Solē lumine suo afferre quatuor anni tēpora: nam quando Sol longiores efficit dies, quam noctes, & lustrat viciniores vertici nostro Cæli plagas, producit Ver, & Æstatem; contra verò è regione &c. vt suo loco dicam: adeout pateat sensibus, quod Sol lumine suo producat quatuor anni tempora. Deinde quæro, an Sol efficiat temporum varietatem sola influentia, an verò vnà cum lumine: Si primum sequitur vt lumen in Sole sit omnino ociosum, & inefficax: nam si potest influentia absq; lumine efficere quatuor anni tempora, & producere quatuor primas qualitates: iam influentia absq; lumine poterit producere vniuersum genus naturalium effectuum, vt ex dictis consequitur; quod tamen est contra præsuppositionem: Si verò Sol afferat temporum varietatem agendo vtroq; instrumento, idest lumine simul, & influentia: sequitur, vt lux, & influentia simul sint, vel eadem res, nam vna non agit sine altera; & possumus sic loqui, videlicet Astra lumine suo influere in hæc inferiora occulto modo, quod non nego: nam re vera Sidera producunt tot ingentes effectus in sublunaribus, eorum tamen virtutem agendi non perspicimus, neq; cognoscimus. Nihilominus, qui ponunt influentias occultas eo quod Astra agant in visceribus terræ, non possunt asserere lumen, & influentiam esse idem, vel semper simul: nam dicunt, quod lumen non peruenit ad viscera terræ, peruenit tamen influentia. Si verò Auctores isti dicant, quod influentia occulta sit simul cum lumine tanquam effectus, & alia causa instrumentalis subordinata, & dependens à lumine; sic concedo, quæ tamen influētia nihil aliud erit, quam ipsæ quatuor primæ qualitates, quæ ab ipso lumine suscitantur: nam re vera vbi non potest agere lumen, hæ qualitates à lumine dependentes operantur.

Secundo probatur. Philosophi iam fatentur, quod lumen sit alterum instrumentū Siderum; peto quid efficiant Sidera hoc lumine: nam vel efficiunt motū accidentalem, vel mutationem substantialem; mutationem quidē substantialem attingere non valent, nisi præuio motu accidentali prædisponente, & immediatè attingente ipsam mutationem substantialem; ergo si verū est, quod Sidera suo lumine suscitent in rebus inferioribus quatuor primas qualitates habeo intentum. *Dices fortasse*. Sidera lumine suo efficiunt tantum calorem; lumen enim censetur communiter causa caloris. *Contra est, & primo*, nam sequitur si Sidera lumine suo producant calorem tantum, quod influentia producet reli-

quas

quas tres qualitates duntaxat, & non calorem, quia calor à lumine reseruatur producendus: cum verò in visceribus terræ calore præcipuè prædisponatur elemẽta ad mineralia; iam influentia non poterit attingere productionem mineralium contra præsuppositionem aduersariorum: Si verò dicant, quod influentia quoq; producat calorem, atq; sic omnes quatuor qualitates: sequitur, vt lux Astrorum sit ociosa, & frustranea: Si rursus dicant, quod lumen quoq; producat calorem, sed præstantiorem, forsitan afferent in medium aliquid ad rem meam valdè opportunum: ego enim censeo, quod Astra sint Auctores præstantiorum etiam qualitatum, quam sint elementares; potissimè Sol, & Luna. Cæterum Astra nihilominus tamen solo suo lumine producunt qualitates elementorum, nec est opus influentia occulta, quæ sit ab ipso lumine distincta, & diuersa. *Contra est secundo* concesso, quod Sol lumine suo producat calorem, & efficiat aliquod temperamentum aliquo anni tempore; sequitur, vt etiam producat cæteras omnes qualitates, & reliqua tempora; & insuper si Sol generat aliquid, quod id ipsum corrumpat: nam, vt habet *Aristoteles 2. gener. cap. 10.* Sol accessu, & recessu; propè, & longè fieri generat, & corrumpit; quia contrariorum contrariæ sunt causæ: quare, si generat adueniendo, & augendo lumen suum; recedendo, & minuendo lumen, corrumpit: hæc quidem, ait Aristoteles, sensu perspicimus: generatio autem, & corruptio fieri non possunt à causis immediatis, nisi à contrarijs qualitatibus actiuis, puta calore, & frigiditate, humiditate, & siccitate; quæ sunt primæ qualitates: quia generatio, & corruptio contrariæ sunt.

Tertiò, vel lumen, & influentia occulta sunt duæ causæ instrumentales distinctæ, & ab inuicem nullo modo dependentes, nec subordinatæ; vel vna subordinatur alteri, & pendet ab illa: si secundum habeo intentum; iam enim omnes effectus siuè mediatè, siue immediatè a lumine pendere debent. Si primum, vel sunt duæ causæ totales, vel partiales: si sunt partiales, sequitur primo, quod in productione cuiusuis effectus semper simul sint: alias enim nullus vnquam produceretur effectus, quia altera partialis non est sufficiens; nam de ratione causæ partialis apud Philosophos est, quod non sit sufficiens a se sola ad productionem effectus: cum verò Sidera semper agant in res inferiores, sit vt semper simul sint hæ duę causę partiales: quare non distinguuntur, aut frustra censentur distinctæ: Sequitur secundò, quod lux Solis non possit producere calorẽ, neq; ignem, & quod neq; Luna humiditatem, absque concursu influentiæ: sed neq; influentia id possit efficere absq; lumine: ergo, vbi non potest peruenire lumen, neq; poterit peruenire, neq; agere influentia: ergo influentia non poterit agere in visceribus terræ, quia illuc lumen peruenire non potest, & consequenter neq; influentia poterit agere, quia altera causa partialis non est sufficiens ad agendum. Si verò dicant, quod sint duæ causæ instrumẽtales distinctæ, separatæ, & ab inuicem nullo modo dependentes, aut subordinatæ, peto an vnaquæq; valeat efficere quatuor primas qualitates, vel non; si non valet iam influentia non poterit generare in visceribus terræ tot diuersarum, & contrariarum rerum genera, vt sulphurea, & ignem; venas, & aquam, atq; similia; ad quæ opus est omnino virtute, quæ efficiat quatuor primas qualitates. Deinde

Aristo-

Aristoteles 2. gener. cap. 10. eidem causæ Cælesti tribuit virtutem efficiendi contraria, vt generandi, & corrumpendi ex solo, diuerso, & contrario motu: ergò fieri potest, vt vna sola causa instrumentalis contineat virtutem producẽdi quatuor primas qualitates, & omnem qualitatum contrarietatem. Quod si hoc verum sit, & quod lumen à se solo possit attingere quatuor primas qualitates, & generare, & corrumpere: iam frustra ponitur alia causa instrumentalis ab illo distincta.

Dices. Ad hoc ponitur influentia occulta, vt explicetur modus, quo Sidera agunt in visceribus terræ, vbi non potest agere lumen, quia non potest illuc peruenire. *Respondeo*, quod lumen agit etiam in visceribus terræ, & intra quodcunq; corpus opacum, & densum, duplici de causa. Primò, si lumen non agit immediatè, agit mediante alio subordinato instrumẽto qualitatis actiuæ, puta caloris, aut humiditatis &c. etiam in loco ad quem peruenit: Nam sanè lux Solis non liquat pinguia, sed calor à lumine productus id præstat: lux enim quatenus lux lucem tantum efficere nata est, & primas quatuor qualitates, quæ deinde immediatè attingunt vniuersum genus effectuum naturalium: vt lux Solis, quatenus lux est, non producit ignem, sed calorem; calor deinde producit ignẽ &c. Igitur lux, quamuis non perueniat ad viscera terræ, tamen perueniunt illuc aliæ qualitates lumini subordinatæ, & dependentes; quibus tanquam instrumentis effectui proximioribus lumen attingit omnes naturales effectus. Secundò, Dico, quod ad viscera terræ peruenit lumen Solis, & Siderum: nam quamuis id non pateat manifestè visui nostro, non tamen sequitur, vt omnino negari possit: quippe multò plures sunt effectus in rerum natura à sensibus abscõditi, quam manifesti: In casu autem nostro si sumas verbi gratia librum contra Solem, certè non videbis lumen Solis; si verò vnam tantum libri chartam interponas, videbis lumen Solis: Similiter si lapidem quemcunq; secueris, & reduxeris ad chartæ subtilitatem, videbis lumen Solis, quod peruenit ad interiora lapidis, quamuis insensibiliter: Eadem autem est ratio totius, ac partium. Tandẽ Dico, quod hæc influentia debet continere virtutem suscitandi omnes quatuor qualitates primas ad hoc, vt valeat producere tot rerum genera in locis subterraneis: & insuper, quod hæc virtus fortior esset, quam in lumine, quod non potest penetrare abdita terræ, sicut hæc influentia: quapropter hæc influentia satis esset Astris ad producendum omne genus effectuum in omni regione elementari: tùm maximè, quia hæc influentia prius transit per omnia elementa quam perueniat ad intima terræ: igitur si in terræ visceribus habet virtutem suscitandi omnes quatuor primas qualitates; non est ratio, quare non possit suscitare, & de facto non suscitet has primas qualitates in omni elementari regione: Quare superfluum esset lumen in Astris.

Ruuius 2. Cæli Cap. 3. quæst. 2. adducit experientiam magnetis attracti à Cæli partibus Polo vicinis: quę attractio nõ fit a luce, quia trahitur magnes etiam in obscuro loco: & luci non tribuitur virtus attrahendi. Rursus ait, fluxus, & refluxus Maris fit à Luna, & tunc maximè quando ipsa latet, aut sub Sole, aut sub terra, ergo non a luce, sed ab influentia. Arguit tandem sic: Astra producunt in rebus inferioribus calorem, frigiditatem, & cæteras primas qualitates, sed

per

per solam lucem non possunt producere has omnes qualitates. *Respondeo*, fieri posse, vt magnes trahatur à virtute alicuius partis terræ, vt nonnulli censent: Item Astra trahere magnetem per qualitates lumini subordinatas: Sol enim trahit corpora subtilia per calorem, & rarefactionem, & demum per nouam generationem: Luminaria trahunt aquas Maris item per calorem, & rarefactionem; nam fluxus, & refluxus Maris nihil aliud est: maior autem fluxus fit in nouiluniis, quia cum ambo lumina trahant, & Sol longe magis quam Luna, si simul sint tunc maximè trahunt; quia è contra, quando simul non sunt, dissentiût, & disgregatur fluxus, & minuitur: in Plenilunio vnum quodq; trahit liberè; sed latius suo loco. Ad Argumentum iam patet quid sit respondendum.

Ex dictis autem in hoc capite sequitur, quod illæ Cæli partes, quæ lumen non habent, agere minimè possint; quia omnis actio à Cælis medio lumine tanquã instrumento ad nos descendit: quæ verò partes Cæli lumen non habent, etiam si censeantur habere virtutem actiuam, nõ possunt ad nos emit-tere suam actionem.

Proprietates, & Passiones luminis Astrorum.

CAPVT SECVNDVM.

OMnis varietas luminis Astrorum, tàm in singulis, quàm comparatione ad inuicem, quod varietatem effectuum importet, validissimæ mihi suadent rationes, quarum præcipuam censeo esse, quia non decet Sapientiam, & Omnipotentiam Dei ineffabilem aliquid inane, aut superuacuum, & ociosum in operibus suis admittere: nam si quid ad rem non facit ex Artificis infirmitate, vel insipientia manat. Deinde omnis in Astris varietas miro, & inuariabili ordine procedit: quæ verò taliter se habent non casu, & frustra emergunt, sed prudentia præordinantur, & parantur: ordo, est euidentissimum prudentiæ, & sapientiæ argumentum. Omnis ergo in Astris varietas, varietatem effectuum proculdubio refert: varietas autem, vel ex diuersis proprietatibus variarum causarum oritur, vel ex varietate passionum vniuscuiusq; causæ.

Prima Conclusio. Duæ sunt principales proprietates luminis Astrorum extensio, & intensio. De intensione non est difficultas: omnes enim Philosophi fatentur lumen admittere gradus intensionis. De extensione quoq; patet, cum enim accidentia non existant absq; subiecto corporeo, & nullum subiectum corporeum reperiatur, quod non sit extensum: sequitur, vt quicquid inhæret ipsi subiecto fiat extensum, & quantum secundum extensionem, & quantitatem eiusdem subiecti, cui inhæret: Etenim omnia Sidera habent determinatam magnitudinem sui corporis; quamuis vnum quodq; nobis appareat inconstantis magnitudinis: quod accidit, vel ex diuersitate à nobis distantiæ: vel conuersionis ad nos suæ lucis: quæ ad passiones pertinent.

Secunda

Secunda Conclusio. Aliæ proprietates luminis Astrorum sunt colores, de quibus plures Philosophiæ Doctores, quia censent colores esse qualitates secundas, idest subordinatas, & dependentes à primis elementorum, ideoq; materiales, & corruptibiles; quæ propterea indicant, quod subiectum, cui inhærent, & ex quo eductæ sunt, sit mixtum ex corruptibilibus elementis, & compositum ex sublunari materia, quæ perpetuæ transmutationi obnoxia est: ne cogantur ponere Cælum corruptibile, dicunt, quod in Astris non sint colores; & quod lumen Siderum non sit coloratum: diuersitatem verò, quam oculis ipsis intuemur colorum Siderum, aiunt, quod sint variæ, & diuersæ passiones aeris intersecti; qui causa est quare Sol aureus, Luna alba, Mars candens, alij alijs appareant coloribus: quicquid verò censeant Auctores; Primò quidem

Patet conclusio sensibus ipsis; nam Luna apparet alba, immò diuersi coloris; habet enim maculas, quæ minus albæ sunt, nimirum cinereæ, & etiam magis, & minus obscuriores, item Sol coloris aurei. Iuppiter cerulei: Venus crocei, seu flaui, Mars candentis. Saturnus plumbei, & terrei, &c.

Neq; dicas falli, & decipi sensus: nam omnes homines in hoc consentiunt affirmantes ita sibi videri, & id semper, & vbique locorum; quapropter neq; aer interceptus potest esse causa huius varietatis colorum in Astris, quia aer perpetuò mouetur; & mouentur ipsa Sidera, vt omnino impossibile sit, quod aer semper efficiat Solem aureum, & non Lunam, aut reliquos.

Secundò probatur ratione. Recipitur ab omnibus naturalis Philosophiæ Professoribus, quod effectus verbi gratia Martis sint calor siccitas, & ignis; Saturni sint frigiditas, ariditas, & terra &c. vt dicam infra: ergo si Mars visui nostro apparet coloris candentis, seu ignei, & Saturnus atri, & terrei; optima ratione possumus affirmare, quod verè, & realiter hæc Sidera hos habeant colores; probatur consequens: Inter causam, & effectum, quamuis non sit necessaria omnimoda similitudo, aliqualis tamen est necessaria, aut saltem si quæ apparet similitudo non debemus; sed neq; possumus eam denegare, aut interpretari, quod non sit, vel sit hoc aliquid dissimile, præsertim in causis adeo remotis, sicut sunt Astra; de quibus non possumus nisi per ea, quæ visui nostro obijciuntur differere: quocirca si quæ oculis ipsis perspicimus in Cælo, & negemus, iam nulla superest via de Sideribus ratiocinandi, & differendi; & sicut negamus colores, quos videmus, ita possumus negare ipsa Sidera, quæ eodem sensu cognoscimus, & non magis nobis patefiunt, quam eorum colores. At quis adeo demens, vt audeat affirmare in Cælo non reperiri Solem, Lunam, & Stellas? ita similiter nonne contra sensibilem euidentiam negabit quis colores in Astris?

Et Philosophi sanè trepidant vbi nulla apparet vmbra timoris; nã quamuis dicamus in Astris reperiri colores; quid? primas etiam qualitates; si quis velit inferre ergo quandoq; futurum vt Astra corrumpantur, quia corruptibilia sunt; nego consequens multiplici ratione. Primò, in elementari plaga adsunt colores, ergo sunt corruptibiles secundum quidem partem, non autem secundum totum; secundum partem verò Cælum esse corruptibile, & alterabile non modo non repugnat, immò ipsa noua inter Stellas Phænomena, & ea creberri-

ma euidentiſſimè probant, Secundò, poſſunt Aſtra non eſſe corruptibilia, eo quod non adſit ibi contrarium, quod ea corrumpere valeat; nam omne quod corrumpitur, à contrarijs corrumpitur: neq; enim aliquid à ſe ipſo, aut generari, aut corrumpi poteſt; vnde Ariſtoteles cenſuit Cælum eſſe incorruptibile, quia à contrarijs exemptū: Ceterum non repugnat Aſtra fuiſſe cum ſuis coloribus à Deo creata; atq; ita colores illos non eſſe elementares, neq; à primis qualitatibus dependentes. Tertiò, poteſt materia Cæli eſſe alterius naturæ à ſublunari, quamuis deinde Aſtra mixta ſint ex elementis; nam aliud eſt eſſe corpus compoſitum ex materia, & forma; aliud eſt eſſe mixtum ex primis ſimplicibus corporibus, quæ inter ſe non materia differunt, ſed forma ſubſtātiali; quare non implicat Cælum habere formas elementorum, materiam verò diuerſæ rationis, ideſt talis naturæ, vt non admittat nouam generationem, & non habeat potentiam ad alias formas: ratio enim corruptibilitatis, à materia pendet, ratio ſpecifica, à forma: quare ſi forma elementi ſit in materia, quæ non ſit tranſmutabilis, erit elementum incorruptibile. Quartò, licet Sidera ſint mixta ex elementis, poteſt Deus illa conſeruare ne corrumpantur, etiam abſq; nouo concurſu; immo tantum non concurrendo cum cauſis contrarijs ſi quæ ſint; quod longè minus eſt. Quintò, ſublunaria ideo tranſmutantur, quia ſubordinantur ſecundis cauſis efficientibus perpetuam generationem, & corruptionem, vt ſuperiori cap. demonſtratum eſt ex Ariſtotele, & concedunt omnes Philoſophi: at Sidera non ſubijciuntur actioni aliorum Siderum, quamuis ex elementis mixta dicantur eſſe. Igitur ſi dicamus Aſtra habere colores, eſſe compoſita ex materia, & forma, eſſe etiam mixta ex elementis; quid? eſſe etiam alterabilia, & corruptibilia eo modo quo ſunt ipſa elementa; non propterea tamen ſequitur fore, vt aliquando intereant: Tellus, quæ omnium ferè Siderum minor eſt naturaliter interire non poteſt, ergo neq; Sidera, quæ maiora ſunt.

Tertio probatur. Aſtra differunt inter ſe virtute actiua; nam ſi omnes eundem in ſpecie effectum producerent, omnes res inferiores eſſent eiuſdem ſpeciei, quod abſurdum. Et hoc nemo negat: cum verò Sidera agant ſolo lumine, vt oſtenſum eſt, debemus aſſignare in ipſo lumine cauſam differentiæ actionis; quæ in lumine alia eſſe non poteſt, niſi colorum differentia; cum lumine enim nihil aliud transferri poteſt, niſi tantum etiam figura.

Quartò, quod colores in cauſis Cæleſtibus importent effectuum diuerſitatem in ſpecie, & genere probatur ex Ptolemæo, qui ſæpius meminit colorum, tàm in Sideribus, quàm in deliquijs, & crinitis ad cognoſcendas qualitates effectuū, vt *lib. 2. cap. de coloribus in deliquijs, & crinitis*, vbi ex profeſſo agit de coloribus cauſarum Cæleſtium; item *cap. de viribus errantium lib. 1.*

Quintò, ſpecies cuiuſuis obiecti non eſt viſibilis, niſi ſit colorata: hoc autem colligitur euidenter ex *Ariſtotele 2. de Anima cap. 7.* quem locum variè conantur interpretari Doctores, qui tamen euitant verum ſenſum, & Philoſophi ſententiam. Dicit, ibi Ariſtoteles, quod omnis color eſt motiuus eius, quod eſt perſpicuum actu: deinde, quod lumen ſit actus perſpicui: ideſt, quod in perſpicuo nihil actu conſpiciatur abſq; lumine, prout ſæpius in eodem capite expreſsè docet. Rurſus, quod duplex eſt perſpicuum, actu, & potentia; perſpicuum

actu est diaphanum præsente luce; perspicuum potentia est diaphanum absente luce. At (inquit) *id est potentia perspicuum, in quo nunc idipsum* (idest lumen) *inest, nunc tenebræ*. Nam prius dixerat perspicuum esse quidem visibile; non autem per se, sed per alienum lumen; qualis est aer, vitrum, glacies &c. Mox ait *lumen autem est actus huius perspicui ea nimirum ratione, qua perspicuum est*, idest quatenus actu perspicuum: etenim præsente luce diaphanum fit perspicuum actu, cum prius esset in potentia; quare subdit tenebras esse perspicuum potentia. Deinde reijcit Empedoclis sententiam, & *text.* 71. subinfert; *Atqui coloris quidem id est susceptiuum, quod colore vacat. Vacat autem colore perspicuum ipsum, & inuisibile, vel id, quod vix tandem videtur, quale id esse videtur, quod tenebris est affectum, atq; tale est ipsum, vt patet perspicuum: attamen non cum est perspicuum actu, sed cum potentia, eadem enim natura modo est tenebræ, modo lumen*. Diaphanum hoc est, quod si sit tenebrosum, est perspicuum potentia, & inuisibile, quia vacat colore, quem suscipere non potest, nisi fiat perspicuum actu per lumen: lumen enim est actus omnino necessarius, & quemadmodum instrumentalis, quo tam obiectum; quàm potentia disponuntur ad eliciendum actum visionis: lumen igitur est actus perspicui; color est obiectum actus visionis: nam vt subinfert. *Non vniuersa visibilia in lumine sunt visibilia, sed solùm vniuscuiusq; proprius color*. Affert deinde quædam, quæ in lumine non videntur, & in tenebris efficiunt sensum, de quibus aliam esse rationem. Ad rem verò suam concludit; *Nunc tantum patet id, inquam, quod in lumine videtur, esse colorem. Quocirca sine lumine non videtur.* Ex quibus clarè patet, quod lumen se habeat, vt dispositio, medium, & instrumentum, quo obiectum diffundit per omne medium perspicuum speciem sui coloris, & figuræ vsq; ad potentiam visiuam. Igitur si visionis obiectum non est nisi calor, seu species colorata, luminosa tamen, iam quicquid videtur colorem habere necesse est; & insuper aliqua luce perfundi, aut propria lucere, sicut accidit Soli, & Astris.

Tertia Conclusio. Aliæ quoq; proprietates reperiuntur in superioribus Causis: vt figura, dispositio localis, scintillatio, obscuritas, nebulositas, atq; si quæ sunt aliæ similes, quarum proprietatum naturas exponit Ptolemæus, & ego quoq; infra recensebo. Quæ proprietates cum de se pateant in ipsis Astris, non est hic opus demonstrare, quod sint.

Cum autem idem quatenus idem, idem aptum sit efficere, sequitur, quod ad hoc, vt proprietates Astrorum aptæ sint, & euadant efficere tot rerum genera, & species in sublunari plaga, necesse sit, vt hanc aptitudinem ab aliqua diuersitate, & passione acquirant: ita docet *Aristoteles* 2. *gener. cap.* 10. vbi inuestigans causas perpetuitatis ortus, & interitus rerũ, assumit circularem Cælorũ motũ, quia perpetuus est: supponens verò certum, & demonstratum res sublunares perpetuo oriri, & interire, deducit non vnam tantum esse lationem: quia ex vno tantum motu, fieri non potest generatio, & corruptio, quæ contrariæ sunt, inquit enim; *Nam idem eodem modo semper habens, idem facere natum est. Quare aut generatio semper esset, aut corruptio. Multos autem esse motus, contrariosque, aut latione, aut inæqualitate conuenit, contrariorum enim con-*

traria sunt causæ. Aggredior propterea inuestigare passiones ipsius luminis, quibus fit aptum ad tanta, & tam diuersa producendum.

Quarta Conclusio. Præcipua passio luminis Astrorum, qua lumen euadit aptũ ad tot effectuum genera, est motus localis. Et nemo sanè inuentus est qui negauerit Astra moueri motu locali: quod verò per hunc motum lumen fiat aptum ad diuersos specie, & genere effectus, etiam contrarios docet Aristoteles loco citato, vbi subsequitur reddere rationem perpetuitatis ortus, & interitus rerum naturalium; & affert contrarietatem motus, ostendens postea vnde hæc contrarietas emanet. *Quocirca, & prima latio ortus, & interitus causa non est* nomine primæ lationis Aristoteles intelligit motum raptus, seu vniuersitatis, qui est ab ortu ad meridiem, & occasum &c. de qua tamen latione Ptolemæus, & Galenus aliter sentiunt, prout ego quoq; cum ipsis ostendam. Vbi cauendum, quod Aristoteles inquirit causas perpetuitatis generationis, & corruptionis rerum annuæ, non diurnæ: ideoq; dixit hanc primam lationem non esse causam perpetuitatis generationis, & corruptionis rerum: nam prima latio causa est generationis, & corruptionis rerum diurnæ, quia latio diurna est; quare subinfert, *sed obliqui circuli latio, ea namq; & continua est, & duobus motibus fit. Nam generatio, & corruptio futura sit semper continua, semper quippiam quidem moueri necesse est, vt ne mutationes istæ deficiant*, vult ergo Aristoteles, quod ne mutationes rerum deficiant necesse sit quippiam semper moueri: itaut motus sit causa generationis, & corruptionis rerum.

Quinta Conclusio. Passiones luminis, quæ à motu oriuntur sunt accessus, recessus, prope esse, & procul; inceptio continuitas, augmentatio, diminutio, & defectus. Hæ luminis passiones notissimæ sunt; & Aristoteles eas recenset loco cit., vbi postquam dixisset, quod causa perpetuitatis generationis, & corruptionis rerum sit continuitas motus; ipsius generationis, & corruptionis causas subdidit dicens; *sed duobus, vt ne altera duntaxat eueniat: Continuitatis igitur causa est latio vniuersi; accessus verò, & recessus ipsa declinitas: accidit enim, vt interdum procul, interdum propè existat*. Decliuitas, seu obliquitas Zodiaci causa est accessus, & recessus Astrorum: & hæ sunt causæ, quod interdum procul, interdum prope existant. *Atque si quia sæpenumero accedit generat & quia plerumque recedit corrumpit; contrariorum enim causæ sunt contrariæ*, ex accessu, & prope esse Aristoteles colligit causam generationis; ex recessu, & longè esse causam corruptionis. Et ne quis diceret, quod generationis, & corruptionis causæ aliæ sint, quamuis Astra efficiant has motus passiones; subdidit rationem à tempore deductam, *& generatio, atq; corruptio secundum naturam æquali in tempore fiunt*; nam cum accessus, & recessus æquali in tempore fiant, & eadem etiam æqualitate temporis generatio, & corruptio rerum; non possumus asserere, quod huius generationis, & corruptionis alia sit causa, quam quæ simili, & eodem tempore fit latio; adeout generationis alia causa non possit esse, quam accessus, & propè esse: corruptionis verò non alia, quam recessus, & longè esse. Tandem paulo infra demonstrat omnia, quæ dixerat patere ipsi sensui, *Apparet autem, & ad sensum hisce, quæ dicimus consentanea; accedente namque Sole generationem fieri, & recedente*

corrup-

corruptionem, *& in tempore æquali vtrumque videmus*, quæ quidem euidentissima sunt. Quot igitur, & quæ sint proprietates, & passiones Astrorum, quibus producunt in sublunari plaga suos effectus, & hos diuersos dictum est.

Vtrum Astra agant, & patiantur ad inuicem in Cælo: & id necessarium sit, vt agere possint in sublunaria.

CAPVT TERTIVM.

Sensus quæstionis est; Si quando Sidera sunt ad inuicem aliquo modo, vel per coniunctionem, vel per aliquam configurationem, aut parallelum familiaria, & applicata; & in inferioribus rebus experimur illius applicationis influxum, & effectum, an illa Sidera verè ibi in Cælo ad inuicem agant, & patiantur; itaut realiter in se ipsis alterent ad inuicem suam naturam: qua alteratione aliter agant in hæc sublunaria, & diuersos effectus producant, quam agerent, & producerent si non se mutuo alterarent, & in se inuicem non agerent in Cælo.

Videtur autem omninò certum Astra agere, & pati ad inuicem in Cælo priusquam agere possint in res inferiores. *Probatur Primò*. Idem Sidus producit diuersa, & contraria: sed hoc non potest præstare, nisi alteret suam virtutem actiuam, quam in se ipso habet, ergo &c. Maior propositio patet quotidianis experimentis, & docet Ptolemæus sæpissimè, vt *cap. de qualitate animi, & alibi*: minor etiam clara est: nam causa, quæ dat esse, dat etiam esse quale: non potest autem alias qualitates præbere diuersas à virtute actiua, quam habet, nisi alteret ipsam virtutem actiuam. Et confirmatur; nam vt ait *Aristoteles* idem quatenus idem, idem tantum efficere natum est.

Secundò, Astra communicant sibi inuicem suum lumen: ergo communicant etiam propriam virtutem agendi: & sic alterant suam ad inuicem naturam: probatur consequens: ostensum est lumen esse causam instrumentalem Siderũ, quo agunt in res inferiores, itaut ibi agunt, quocumq; peruenerit eorum lumen, aut virtus ab ipso fluens, ergo si communicant sibi inuicem lumen, sequitur, vt etiam agant, & alterent se se inuicem.

Tertiò, Luna in sua Eclipsi verè, & realiter priuatur suo lumine, ex qua priuatione sequuntur effectus ingentes in rebus inferioribus, ergo verè, & realiter Sidera agunt, & patiuntur ad inuicem in Cælo, qua media actione, & passione alterant suam virtutem actiuam erga res inferiores.

Quartò, Saturnus verbi gratia dum agit suo lumine in res inferiores, si sit iunctus Lunæ, eius radij qui ad terram diriguntur, transeunt circa ipsam Lunam, & tangendo in ipsam agunt: non enim adest ratio, quare si radius luci Saturni directus ad terram, agit in terram, non agat etiam in intermedijs locis: immò

id necessarium est; alias enim ageret in distans: quod non est admittendum.

Quintò, Sol illuminat omnia Sidera, ergo cum ipso lumine dat etiam virtutem agendi; quia qui dat esse, dat etiam esse quale: Astra verò agunt per lumen tanquam per instrumentum, vt dictum est: ergo si Sol cum lumine dat virtutem agendi cunctis Astris, sequitur, vt agat in omnia Sidera: ergo similiter reliqua Sidera communicando sibi inuicem lumen, communicant propriam virtutem, & in inuicem agunt.

Prima Conclusio. Communicant quidem sibi inuicem suum lumen Astra: sed ex hac communicatione, vel nihil alterantur secundum naturam, vel ex hac alteratione nihil in se acquirunt, vt diuersimodè agere possint in res sublunares.

Probatur primò. Si hoc fieret, maximè contingeret inter proximos planetas, deinde minus inter remotiores, & admodum parum inter vltimò distantes secundum ordinem suorum Orbium: sed hoc discrimen non accidit, vt experientia demonstrat; æqualiter enim miscent suos influxus Saturnus, & Luna, sicut Saturnus, & Iuppiter, siue Luna, & Mercurius, & cæteri omnes intermedij, tàm in coniunctionibus, quàm in cæteris familiaritatibus: ergo non alterant se se inuicem: maior propositio patet; quia virtus actiua fortior est, quo proximior suæ causæ, & principio.

Dices. Non deficit virtus in maiori distantia, sed æqualis est semper, & vbiq; tàm in maiori, quàm in minori distantia. Contra est; nam plura sequerentur absurda, & præcæteris, vt vsq; ad infinitam distantiam possent extendere suã virtutem, si non deficit successiuè. Nemo quoq; Philosophorum vnquam asseruit, quod virtus actiua cuiuscunq; causæ naturalis non deficiat successiuè in maiori distantia.

Dices item. Ptolemæus *cap.* de viribus errantium *lib.* 1. dicit Lunam esse humidam, quia proxima sit terræ vaporibus: Saturnum frigidum, & aridum, quia longissimè distat à Sole, & à terra. Iouem temperatum, quia in medio frigidi Saturni, & calidi Martis &c. ergo vult Ptolemæus stellas alterare suam naturam non tantum ex permixtione ad inuicem, immo ex qualitatibus elemẽtaribus. *Respondeo*, Ptolemæum loqui de situs conuenientia, non quod intercedat vera actio, & alteratio physica.

Secundò probatur. Inter duos proximos planetas, puta Saturnum, & Iouem, maior alteratio fieret in congressu, minor semper in separatione; sed hoc non euenit; nam in separatione a congressu nullam familiaritatem contrahunt vsq; ad sextilem, vbi primo incipiunt miscere suos radios, & esse familiares: Immò non miscent suos influxus, nisi in locis proportionalium distantiarum, idest in configurationibus, & alijs familiaritatibus: ergo non alterant se se inuicem; nam si alterant non apparet ratio, quare non semper, & quare non secundum rationem sphæræ actiuitatis, in qua virtus actiua successiuè deficit in maiori à causa distantia: at verò reperitur per experientiam, quod oppositio sit omnium radiorum efficissima, & est communis professorum sententia, experimentis perpetuò comprobata.

Tertiò, Astra de sui natura non sunt alterabilia, ergo non possunt se se inuicem alterare: & confirmantur ex Aristotele, qui ait in Cælo non reperiri contrarias

trarias

trarias qualitates: omnis autem alteratio non nisi à contrarijs qualitatibus fieri potest, ergo si in Cælo non sunt qualitates contrariæ, neq; alteratio fieri poterit.

Quartò, Siderum ad inuicem aspectus non sunt reales, sed fiunt respectu nostri, vt patet cap. 9. nam cum dicimus Lunam esse in quadrato Saturni non fit inter eos in Cælo talis radius; etenim quadrati distantia est media ad maximam distantiam eorumdem Siderum: At verò Luna dum est in Saturni quadrato secundum nostrum intuitum, distat à Saturno longè maiori distantia, & spatio ibi in Cælo, quam sit alia portio vsq; ad maximam inter eos distantiam, quæ est in oppositione: ergo non erit ibi radius quadratus, nisi secundum nostrum intuitum: ergo neq; erit in Cælo radius, quo se se inuicem alterent.

Quintò, si Astra agunt ad inuicem in Cælo non alio vtiq; modo poterunt agere, nisi per lumen, quo tàm in congressibus, quàm irradiationibus ad se se inuicem emittunt suas virtutes; sed Astra non possunt emittere ad inuicem lumine has virtutes, ergo &c.: probatur minor: Luna, & in vniuersum omnia Sidera ex parte non illuminata à Sole non habent lumen, igitur à tergo non poterunt communicare suas virtutes; & Luna in diametro Solis non poterit suam virtutem communicare Sideribus sibi coniunctis, quia non poterit ad illa emittere suam virtutem, quæ non à parte luminosa, sed à tenebrosa illa intuetur: Quod tamen rationi, & experimento apertissimè repugnat: nam coniunctio est omnium familiaritatum efficacissima.

Sextò, si Astra alterantur in Cælo dum congrediuntur, vtiq; erunt alterata toti Mundo: sed Luna propter parallaxim fieri poterit, vt eodem momento quoad vnam regionem terræ sit iuncta cum vno Sidere, & quoad aliam regionem cum alio Sidere contrariæ ab illo naturæ: impossibile autem est, quod Luna in se ipsa eodem momento afficiatur à pluribus Sideribus contrariæ naturæ: neq; enim esset maior ratio, quare ageret potius secundum vnam naturam, quam secundum alteram, & non secundum omnes vbicunq; ageret in elementari regione.

Septimò, Stellæ sub Solis radijs nobis occultantur, & exiles admodum habere vires docuit semper experientia, eo quod Solis radij comburant, & diminuant earum vires: sed in Cælo id non accidit: nam fixæ adeo longè distant à Solè, vt nihil vnquam ab eo pati possint combustionis: Mercurius, & Venus maximè omnium paterentur combustionem, quia minus omnium elongantur à Sole, adeout non defuerint Mathematici insignes, qui putauerint Venerem, & Mercurium circumferri circa Solem, tanquam circa centrum: hoc sanè certum est, quod minus omnium à Sole discedunt.

Dices. Astra eo modo, quo emittunt lumen ad nos, quo tanquam instrumento sicut dictum est agunt in sublunarem materiam, eodem ad inuicem etiam transmittunt lumen: ergo sicut agunt in hanc materiam quamuis non luceant, vt Luna in nouilunio, & Venus, & Mercurius coniuncti cum Sole: ita poterunt agere in cætera Sidera, licet ad illa tergum obscurum conuertant. *Respondeo*, Astra agere in sublunarem materiam, quia hæc passibilis est, & Siderum viribus subordinata: non sic Astra, quæ impassibilia sunt, & inalterabilia; quare ex missione luminis inter ipsa non possumus colligere, quod ad inuicem agant,

&

& se se inuicem alterent, sicut alterant inferiorem materiam; in quam agunt quamuis tergum obscurum ad ipsam conuertant ratione præcedentis circuitus, & influxus, vt latius suo loco explicabitur.

Secunda Conclusio. Ex applicationibus, seu familiaritatibus Siderum ad inuicem quæcumq; sint; de quibus dicam suis locis, fit, vt eorum virtutes actiuæ perueniant ad nos simul iunctæ: & hoc sufficit, vt Siderum actiones in rebus inferioribus alterentur, & misceantur; in hoc enim stat ratio efficaciæ Siderum, & radiorum.

Probatur. In rebus inferioribus datis duabus, vel pluribus causis efficientibus inter se sic distantibus, vt nō se tangant inuicem sua sphera virtutis actiuæ; attamen sic distent, vt earum spheræ virtutis conueniant in medio, vbi adsit subiectum aliquod passibile. In hoc casu certum est, quod hæ causæ non agent ad inuicem: quia non se tangunt virtutibus suis actiuis; attamen agent omnes in subiectum medium, in quo conueniunt earum virtutes actiuæ, & ibidem alterabuntur, & miscebuntur ipsæ virtutes actiuæ illarum causarum. Pari modo Sidera liberè emittunt suas virtutes actiuas ad res inferiores; miscentur autem ipsæ virtutes actiuæ in rebus ipsis inferioribus, & hoc sufficit, vt Astra dicantur alterare, & miscere suam virtutem agendi.

Ad primam rationem in contrarium. Respondetur modo exposito in secunda Conclusione: & patebit etiam infra alia responsio.

Ad secundam. Patet responsio ex prima Conclusione.

Ad tertiam. Respondeo, quod ad priuationem luminis in Luna non sequitur alteratio virtutis actiuæ, sed priuatio; quare ex Eclipsi destituuntur res sublunares influxu luminaris, & sufficiuntur prædominantes Stellæ.

Ad quartam. Virtus actiua cuiuscumq; causæ non agit eodem modo per omne medium, sed secundum medij potentiam, quæ in Astris non est alterabilis, sicut in sublunaribus.

Ad quintam. Sol illuminando Sidera non dat qualitatem virtutis actiuæ, sed habent hanc qualitatem Sidera à propria natura. Qui verò dat esse, dat etiam esse quale, seruata tamen potentia recipientis actionem; nam Sol elicit lumen in Astris secundum eorum naturam potentiæ.

Cæterum, ingeniose Lector, quoniam inter Professores vsus reperitur antiquissimus etiam à Ptolemæo, & priscis omnibus receptus, sic loquendi, vt Astra in suis ad inuicem familiaritatibus agant ad inuicem, & patiantur; vtar, & ego eodem loquendi modo vbicumq; fuerit opus, tùm propter facilitatem explicandi, tùm breuitatem loquendi; Cum hoc tamen, vt nunquam velim Astra alterare se inuicem in Cælo; Sed tantum suas alterum alterius actiones in rebus inferioribus. Et hoc caueas in toto opere.

An

An lumen Astrorum agat in sublunaria secundum suam intensionem, & extensionem veram, & realem, an verò secundum apparentem.

CAPVT QVARTVM.

Ratio dubitandi est, quod omne Sidus habet quidem in se ipso determinatam magnitudinem, tum etiam determinatum gradum intensionis suæ lucis: verumtamen respectu nostri ratione diuersitatis distantiæ, situs, & habitudinis apparent minoris extensionis, & intensionis lucis: Igitur si Astra agunt secundum, quod sunt in se ipsis, iam nihil diuersitatis afferre potest diuersitas apparentiæ secundum extensionem, & intensionem: Si verò agunt secundum apparentem, idest secundum eam extensionem, & intensionem, quæ obijciuntur subiecto passibili: sequitur, quod diuersitas apparentiæ, tàm in extensione, quàm intensione importet diuersitatem in effectibus ipsis: immò, quod non aliter agant in rebus inferioribus, nisi secundum proiectionem luminis ad singula subiecta passibilia: ex quo deinde sequitur considerandà esse loca planetarum accepta secundum parallaxim, & non secundum receptum ad centrum terræ, sicut putant communiter Professores: aliaq; plura, vt patebit.

Videtur autem, quod Sidera agant in hæc inferiora secundum intensionem, & extensionem veram, & realem, & non secundum apparentem: Nam *in primis*, Quantitas de natura sua non est actiua; ergo falsum est præsuppositum, quod scilicet lumen Siderum agat secundum quantitatem, itaut quantitas influat in effectum.

Secundò. Hoc etiam dato, quantitas apparens non est realis, & vera, sed ficta, & falsa; quia semper apparet minor prout obiectum magis distat, quam sit vera, & realis quantitas ipsius obiecti: quod autem reale non est, sed fictitium, inane est, & falsum, atq; nec actiuum posse esse certum est.

Tertiò. Apparens quantitas est species visibilis per medium diffusa, species autem visibilis per medium diffusa non est realis; nam in primis si est realis, cum species obiecti sit in omni puncto medij perspicui, in quo puncta sunt infinita; sequitur dari infinitum actu numericum à parte rei, contra communem Philosophorum, & Theologorum sententiam; deinde apparentiæ obiectorũ variantur ad modum potentiarum recipientium; ergo signum est has apparentias non esse veras, sed falsas.

Quartò. Virtus actiua procedit à causa efficiente iuxta modum realem agendi, seu potentiam actiuam, quæ est in ipsa causa efficiente, qui modus pendet ab intensione, & extensione reali ipsius causæ, & eius virtutis actiuæ; ergo Sidera agunt secundum veram, & realem vniuscuiusq; extensionem, & intensionem virtutis actiuæ, quæ stat in lumine, sicut dictum est; & non secundum apparentem.

Quintò. Sidera ex refractione propter vapores non apparent in vero situ, neq; suæ veræ magnitudinis, neq; intensionis lucis, neq; coloris; non est autem censendũ agere secundũ apparentiam ex refractione resultantem, ergo &c.

Sextò. Ad summum concedi potest Astra secundum quidem intensionẽ virtutis actiuæ agere secundum apparentem: secundum autem extensionem nullo modo posse agere secundum apparentem, sed opus omnino, vt agant secundum realem: hoc enim est discrimen inter intensionem virtutis actiuæ, & extensionem quantitatis corporis, quod in intensione quamuis virtus successiuè deficiat intra sphæram, quo magis remouetur causa efficiens, seu fons, & principium ipsius virtutis; ipsa tamen virtus in tota sphæra licet minoris semper gradus, & roboris; realis tamen est, & actiua semper: vt calor, qui procedit ab igne per medium, licet sit semper minoris gradus, & roboris, realis tamen est, & calefacit semper: non sic quantitas, quæ cum non sit actiua, non effundit suam actionem per medium; Quantitas ergo speciei obiecti per medium diffusa cum sit apparens, & fictitia, actiua esse non potest.

Quæstio hæc grauissima est, importat enim vnum principium huius scientiæ primarium, & principale, quod est modum agendi Siderum, in hæc inferiora esse tantum secundum modum eorumdem recipiendi lumen ab ipsis Astris, & nullo alio modo: ex quo plura deducuntur grauissima, vt patebit.

Prima Conclusio. Astra agunt in hæc inferiora secundum apparentem intensionem virtutis eorum actiuæ. Hæc Conclusio patet primò ex doctrina sphæræ actiuitatis agentis: nam virtus actiua causæ efficientis cum successiuè deficiat viribus, prout successiuè magis distat ab efficiente: sequitur, vt non aliter possit agere, quam secundum eam intensionem, qua tangit subiectum passibile.

Secundò, patet ex doctrina modi agendi causæ efficientis, quæ non agit, nisi secundum modum recipiendi ipsius subiecti: modus autem recipiendi subiecti est semper in minori gradu prout subiectum passibile magis distat ab efficiente.

Tertiò. Ex doctrina virtutis actiuæ cuiuslibet causæ naturalis, quæ habet semper determinatam virtutem: quod si causa efficiens posset extendere suam virtutem ad quemuis locum distantem secundum eam perfectionem, & gradum intensionis, quam habet in se ipsa, iam posset extendere vsq; ad infinitam distantiam, quod in causis naturalibus non est admittendum.

Quartò, tandem patet euidentissimis experientijs in igne calefacienti, & omnibus alijs agentibus naturalibus, à quibus ita procedit virtus actiua, vt successiuè deficiat viribus.

Secunda Conclusio. Licet pura quantitas ex se non sit actiua; attamen ad maiorem, vel minorem quantitatem sequitur, vt qualitas actiua in maiori, vel minori quantitate magis, vel minus agere possit. Hæc conclusio non videtur pati difficultatem; nam nõ dico, quod pura quãtitas sit actiua; sed quod qualitas in maiori, vel minori quantitate sit magis, vel minus actiua: quod non potest negari; quia non ex augmento, vel decremento puræ quantitatis, deducitur intensio, vel remissio agendi, sed ex augmento, vel decremento ipsius qualitatis actiuæ, quæ resultant ex maiori, vel minori extensione partium. Patet etiã euidentissimis experientijs, vt maior ignis magis calefacit, minus minor; plenior

nior Luna magis illuminat: obiectum magis extensum maiorem producit in speculo sui similitudinem &c.

Tertia Conclusio. Astra non agunt secundum veram, & realem extensionem, quam habent in se ipsis, sed secundum apparentem.

Pro cuius intelligentia necessarium omnino duxi exponere rationem, & causam, quare obiectum visibile, quo magis remouetur ab oculo, siue à quolibet puncto assignato, appareat semper minoris extensionis, & quantitatis: quæ quidem difficultas pertinet ad perspectiuam; dicam tamen breuiter quicquid ad propositæ rei cognitionem conducere videbitur: sumitur autem ratio, tàm ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ, correlatiuè tamen vtrinque; nàm agitur de distantia inter duos terminos, quæ distantia non magis ab vno, quàm ab alio termino pendet in esse; qui termini in casu nostro sunt oculus, & obiectum visibile.

Ex parte oculi, ratio diminutionis speciei obiecti in elongatione, est, quia in oculo minuitur semper angulus summitatis illius Trianguli, seu Pyramidis, cuius basis est ipsum obiectum, latera sunt lineæ à circumferentia, seu finibus obiecti ad oculum, in quo summum angulum constituunt: angulus ergo huius Pyramidis in oculo minuitur successiuè semper prout successiuè magis distant ab inuicem obiectum & oculus, & ita minuitur, vt tandem vbi obiectum peruenerit ad apparentiam indiuisibilis puncti, Pyramis conuertatur in puram lineã vnius indiuisibilis radij ad oculum; post quam lineam euanescit etiam ab oculo ipsum obiectum; quippe nulla sphæra actiuitatis naturalium rerum, infinita: E contra, in appropinquatione efficitur in oculo angulus semper maior, & ita augetur, vt in contactu oculi angulus in planum conuertatur: Idipsum accidit angulo vniuscuiusq; partis ipsius obiecti; nam in separatione minores partes successiuè euanescunt ab oculo, è contra, in appropinquatione &c.

Ex parte autem obiecti ratio hæc est: In elongatione obiectum petit semper maiorem ambitum, seu circulum ab oculo; nam oculus quatenus est receptaculum specierum, est centrum rerum visibilium: quare eadem latitudo obiecti in elongatione minor semper se habet ad maiorem ambitum, ergo minoris semper euadit apparentiæ. Vt in figura nona sit obiectum, a, b, quod dum est in distantia, c, ab oculo efficit in oculo angulum acutum, duobus lateribus, e, f, in distantia verò, d, magis adhuc acutum angulum, seu minorem, & sic descedendo minorem semper, quousq; puram tantum lineam, & tandem euanescat ab oculo: E contra, appropinquando maiorem semper angulum efficit, quousq; in contractu oculi angulus conuertatur in planum. Ex parte verò obiecti in distantia, c, obiectum est pars sexta semicirculi ambitus, idest totius hemisphærij simul visibilis; in distantia, d, est pars duodecima; quare euadit semper minor pars ambitus, quo magis ab oculo tãquam à centro discedens ad maiorem ambitum accedit: E contra in appropinquatione obiectum euadit semper pars maior in ambitu, & adeo crescit, vt in contactu oculi totum hemisphærium impleat: quantitas autem basis, sicut Peritis notum est, est correlatiua ad quantitatem anguli summitatis trianguli.

Quod si contendas omninò, non oculum esse centrum specierum visibilium,

C 2 sed

ſed obiectum, à quo tanquam à centro exeunt ipſæ ſpecies viſibiles per lineas rectas ad omnem ambitum, & ad omnia circumſiſtentia loca. *Reſpondeo primò*, differre ad inuicem, pati, ſeu recipere aliquam actionem in ſe ipſum; & agere, ſeu emittere à ſe ipſo virtutem aliquam actiuam; adeoq; diuerſa hæc eſſe inter ſe, vt ſint etiam omnino contraria: Nam quamuis tàm oculus, quàm obiectum ſe habeant tanquam centrum; oculus eſt centrum patiendi, in quod recipiuntur omnes ſpecies viſibiles circumſiſtentium rerum; obiectum autem eſt centrũ agendi, à quo emittuntur ſpecies viſibiles ad omnem ambitum: agere autem, & pati; emittere à ſe, & in ſe recipere non modo diuerſa ſunt, ſed etiam contraria; fiunt enim contrario motu, & à potentijs quoq; contrarijs. Quare ſi ſpectemus actum viſionis, cum fiat in oculo tanquam in paſſo, & in termino ad quem tendunt ſpecies viſibiles, & vbi agunt mouendo potentiam viſiuam; non aliter fieri poſſe viſio cenſenda eſt, quam ſecundum oculi potentiam, & modum eiuſdem recipiendi, & patiendi: adeout in oculo actus viſionis fiat tanquam in centro receptionis ſpecierum viſibilium circumſiſtentium rerum. Si verò quæramus actum emittendi ſpeciem viſibilem, cum fiat ab obiecto tanquam à termino à quo, & tanquam ab agente emittente ſuam ſpeciem viſibilem: ipſe actus emittendi ſpeciem viſibilem non aliter fieri cenſendus eſt, quam ſecundum obiecti virtutem, & potentiam agendi, & emittendi ſuam ſpeciem. Igitur actus viſionis ſe tenet ex parte oculi in quo fit, & in ipſo actu viſionis oculis tantum eſt, qui recipit, & patitur à ſpeciebus obiecti: ipſum autem obiectum ex actu viſionis, & receptionis ſuarum ſpecierum in oculum nihil patitur, neq; de nouo aliquid in ſe ipſo acquirit, aut recipit: niſi tantum extrinſecam relationem diſtantiæ ad oculum, & agentis ad paſſum, tum demum cauſæ ad effectũ. *Secundò Reſpondeo*. Quod ex parte obiecti, ſi ſpectemus ipſum obiectum quatenus eſt centrum actionis, & principium emiſſionis ſpecierum viſibilium, ratio quare in maiori ſemper diſtantia minores ſemper ſpecies efficiat, eſt, quia ſpecies ipſæ ſucceſſiuè diſgregantur, & rareſiunt, eo quod ad maiorem ſemper ambitum extendantur; cuius cauſa duo ſequuntur, primò, quod intenſio luminis, & colorum ſpeciei obiecti eſt ſemper minoris gradus intenſionis; & ipſa quantitas ſpeciei minoris extenſionis: Nam ſi ſpecies è contra congregentur ope ſpeculi concaui, vel vitri conuexi; tam in reflexione, quam in refractione, ſpecies apparebunt maiores quam ſint ſpecies directæ, & lumen quoq; intenſius: Signum igitur eſt, quod diſgregatio ſpecierum à centro ad circumferentiam eſt cauſa diminutionis earumdem. *Tertiò Reſpondeo*. Quod minor ſemper angulus in oculo, vt diximus efficiatur à ſpecie obiecti: quod cum ſit in baſi trianguli, & ab ipſo proijciantur radij ſpeciei viſibilis, ſequitur, vt ab eodem obiecto fiat angulus in oculo, & non media alia quacumq; re, niſi ipſis radijs ſpeciei viſibilis: Nam re vera oculus quoad ea, quæ ad extra ſunt, ſe habet merè paſſiuè: niſi tantum in determinatione diſtantiæ. Et confirmatur experimento congregationis radiorum: quippe congregatio nihil aliud eſt, niſi quod radij ſpeciei efficiunt maiorem angulum: Quod ſic oſtendo. In figura decima, Radij obiecti luminoſi verbi gratia Solis accepti ad menſuram latitudinis ſpeculi concaui, ſiue vitri conuexi, d, ſi non alterentur, eunt in directum ad conſtituen-

stituendum angulum ad punctum, a, cum congregentur, tàm ex refractione in puncto, b, quàm ex reflexione in puncto, c, maiorem angulum constituunt vtrobiq; horum punctorum, quam sit angulus, a, radiorum directorum: Experimento autem constat, quod species in his congregationibus apparent maiores,& lumen intensius; ergo non ob aliam rationem,nisi quia efficiunt maiorem angulum.

Dices. Nihil refert maior,vel minor angulus speciei obiecti ad oculũ, vt maius, vel minus appareat ipsum obiectum; & non videtur sufficiens ratio. *Respondeo in primis*,quod maior angulus exhibet maiorem locum perueniendi ad oculum minoribus partibus speciei obiecti: minor verò prohibet, quia angustior. *Secundò Respondeo*,quod in elongatione,species minorum partium obiecti successiuè euanescunt ab oculo,incipiendo à minimis, sicut supra dixi: nam eadem est ratio partium, ac totius; species autem totius obiecti cum peruenerit ad distantiam apparentiæ puncti, in qua puram efficit radij lineam ad oculum, euanescit postmodum ab oculo, vt non amplius conspici possit; sic minores partes obiecti; quæ cum sint minores, opus est, vt in minori distantia euanescant ab oculo, quam euanescat tota species obiecti, quæ maior est. Cum igitur in elongatione euanescant species minorum partium obiecti, opus est, vt angulus Pyramidis minuatur semper vsq; ad indiuisibilem lineam, sicut dixi: è contra, vt augeatur in appropinquatione.

Quibus rectè cognitis. *Probatur conclusio: primò.* Lumen Siderum eadem sua latitudine, seu extensione,qua ad modum obiecti mouet potentiam sensitiuam, mouet etiam ad modum causæ efficientis potentiam passiuam, idest materiam, quæ est primum rerum omnium subiectum: mouet quatuor prima corpora, & ex his mixta: sed lumen Siderum mouet organa sensitiuæ potentiæ non secundum realem quantitatem, & extensionem, sed secundum apparentem: ergo secundum etiam apparentem extensionem mouet ad modum causæ efficientis ipsam materiam primam, prima corpora, & mixta: maior propositio probatur: Species visibilis obiecti, & eius lumen mouent potentiam sensitiuam imprimendo in organis potentiæ lumen, calorem, speciem, & cætera accidentia sensibilia: sed organa potentiarum composita sunt ex materia, & mixta ex primis corporibus; ergo lumen, & species Astrorum eadem extensione, immò eadem prorsus actione, qua mouent potentiam sensitiuam, mouent etiam ipsam materiam primam, prima corpora, & mixta imprimendo speciem, & accidentia; minor verò propositio patet; nam Astra nobis non apparent veræ, & realis quantitatis, quam in se habent, sed diuersæ pro diuersitate distantiæ, vt demonstratum est, ergo non mouent organa nostræ sensitiuæ potentiæ, nisi tantum secundum eamdem apparentem quantitatem pro diuersitate distantiæ.

Secundò. Astra agunt in hæc inferiora solo lumine tanquam instrumento, vt supra demonstratũ est; sed non agunt alio lumine,siue maiori, siue intẽsiori, quam apparenti, quo tangunt, & illuminant res inferiores, ergo &c. minor probatur, nam virtus instrumentalis agit secundum eam perfectionem extensiuè, & intensiuè sumptam, secundum quam tangit passum, & non aliter; sed lumen Siderum non tangit inferiora, nisi secundum apparentem extensionem,

ergo

ergo &c. minor probatur; actio, seu virtus actiua quatenus quidem immediatè procedit à sua causa, est in ipsa causa, & sequitur modum essendi eiusdem causæ, & perfectionis eius; quatenus verò recipitur in passo, est in ipso passo, & sequitur modum recipiendi eiusdem, tum etiam respectum distantiæ ad suam causam.

Tertiò. Patet pluribus experientijs, quarum vnam affert *Aristoteles* ad demõstrandam causam perpetuitatis generationis, & corruptionis rerum: nam adueniente Sole, (ait,) generatio est, recedente corruptio: at ex Solis ad nos accessu, & recessu nullam patitur Sol, aut lux eius alterationem, qua ex accessu, & prope esse vim obtineat generandi, & ex recessu, & longè fieri corrumpendi; est enim idem Sol, cum eadem semper luce; ex accessu autem, & recessu, nihil aliud fit, nisi diuersa habitudo eius luminis erga nos, augmenti scilicet, & decrementi, quæ secundum apparentiam erga nos fiunt; nam dum Sol recedit à nobis, appropinquat alijs, quibus eleuatur polus antarticus, discedens ab illis ad nos accedit: & dum prope nos est, longè abest ab illis, & è contra.

Ad primum Argumentum in contrarium. *Respondeo ex secundà Conclusione*; quia non quantitas, quatenus talis est, sed qualitas actiua magis, vel minus extensa sub maiori, vel minori quantitate est magis, vel minus actiua.

Ad secundum, negatur maior propositio, vt patet in tertia conclusione, nam distantiæ corporum reales sunt: has consequuntur mutuæ Pyramides specierũ, quæ reales sunt, tùm ratione realis determinationis interpositæ distantiæ inter obiecta, tùm ratione luminis, quod in emissione specierum cum ipsis semper coniunctum est: quis autem diceret lumen Solis receptum, tàm in Astris, quàm in terra non esse reale? ita, & de specie disserendum.

Ad tertium. Respondeo, speciem esse totam in toto, & totam in qualibet parte medij, non tamen actu, tantum potentia: fit autem actu ex interpositione recipientis alicuius subiecti, qua interpositione terminantur radij lucis speciei, & ipsa species.

Ad quartum. Dico, quod virtus quatenus procedit à causa, differt ab eo quatenus recipitur in passo ratione successiuæ diminutionis virium.

Ad quintum. Refractionem nihil referre; fit enim ab ambiente aere nostri horizontis: & fieri potest etiam, quod aliquid referat, sed modicum, & parui momenti.

Ad sextum. Patet ex dictis.

Ex his autem sequitur *Primò*, quod Luna, & omnia Sidera agant secundum eam partem, & luminis quantitatem quam ostendunt rebus passibilibus, & non secundum alias partes, neq; alio modo.

Secundò. Sequitur Sidera agere secundum situm in Cælo, quem erga nostrũ intuitum possident, seruata differentia parallaxis.

Tertiò. Eclipses, quæ apparent in hemisphærio subterraneo; siue si fiant supra terram obscurationes Solis, non agere nisi in illas regiones in quibus conspiciuntur Eclipses, & obscurationes, & secundum quantitatem obscurationis.

Quartò. Cometas, noua Phænomena, & impressiones omnes Meteorologicas non influere nisi in illas regiones in quibus conspiciuntur.

Quintò.

Quintò. Si quæ ſunt in Cælo alia Sidera, quæ nobis non apparent, in nos non agere: quare etiam partes non luminoſas.

Dices. Si Sidera, & Eclipſes, quæ non conſpiciuntur à nobis in nos non agunt, quænam eſt ratio, quare Sidera agant à Domibus, & locis ſubterraneis? etenim ſequitur Aſtra ſub terra nihil prorſus agere. *Solutio huius difficultatis* patebit infra.

Quonam modo Cælum, cum ſit cauſa vniuerſalis, poſſit determinari ad ſpecificos, & indiuiduos effectus.

CAPVT QVINTVM.

PIcus Mirandulæ ſubtilitate diſputationis, & eloquentia clariſſimus libros numero duodecim magis ad oſtentationem ingenij, puto, dicam, & offenſæ, quam veritatis, & rationis contra Aſtrologos edidit, capitula de rebus ſingulis inſtituens, quæ ſub vnico ingenti capite, & fonte redigi poſſunt, ſcilicet indignationis ſuæ: omnia legi, & in aliquibus quidem vera loquitur; vt de falſitate interrogationum; temeritate eorum, qui neceſſariò futura prædicunt, & Cælorum influxui adſcribunt vniuerſale diluuium, ignem, meſſiæ aduentum, & paſſionem, miracula, & diuinas leges, immò, & humanas quæq; ſint piæ, vel impiæ: atq; ſimilia: de ignorantia quorumdam profeſſorum, inſuper & negligentia: diuerſitate ſententiarum, quamuis omnes Diſciplinæ in hoc conſentiant, quod profeſſores ad inuicem diſſident, etiam de rebus grauiſſimis: cum tamen veritas non niſi vnica ſit, vnuſq; rerum exitus: cuius rei imbecillitas noſtra potior extat cauſa. In pluribus inquam capitulis vera loquitur, & oſtendit: in alijs ſibi ipſi contradicit, in cæteris nihil probat, immò videntur mihi res eius nimis mendoſæ. At verò ne fruſtraneam operis molem augerem grauiora excerpſi capita, quorum vnum hoc eſt; & proponit *Picus lib. 3. cap. 3.*

Ait ille Cælum eſſe cauſam vniuerſalem; & vt talem non poſſe ſibi determinare effectus indiuiduales, ſed neceſſariò eſſe indifferentem ad omnia, & in omnibus: etenim Aſtra omnibus, & ſingulis indiuiduis ſimili modo oriuntur, & occidunt, eleuantur, deprimuntur, lucent, latent, accedunt, recedunt, prope ſunt, & procul, atq; ſi quæ ſunt aliæ Siderum differentiæ indifferentes ſunt ſubiectis rebus omnibus, & ſingulis.

Dico id eſſe vnum præ cæteris argumentum ineffabilis ſapientiæ, & omnipotentiæ Creatoris, & Gubernatoris vniuerſi. Quomodo autem hoc accidat nonnullis rationibus, & experimentis oſtendam.

In primis patet ex dictis alibi, quod omne Sidus differt in ſe ipſo in modo agendi, ratione varietatis præſtandi ſuum lumen, quo agunt in res inferiores. Deinde differunt ab inuicem ſecundum naturam, itaut etiam ſint omnino con-

traria. Rursus ratione suorum motuum variant semper ad inuicem suas habitudines: quæ quidem differentiæ non est dubium, quod importent differentiam saltem genericam in effectibus inferioribus: attamen cum sint in ipsis Astris, vniuersales sunt; & non sufficiunt pro ratione indiuidualium effectuum: prout ostendit *idem Picus eodem lib. 3. cap. 25.*

Causa autem huius rei est, quia modus agendi causæ efficientis sequitur modum patiendi, & recipiendi actionem ipsius subiecti. Hæc est communis Philosophorum doctrina: omnium enim causarum naturalium proprium est mouere subiecta ad modum potentiæ eorumdem: Nam virtus actiua duos habet terminos, A quo, & est ipsa causa, fons, & principium ipsius virtutis actiuæ; & terminum Ad quem, & est ipsum subiectum, in quod recipitur ipsa virtus. Quatenus exit à causa, sequitur modum essendi ipsius causæ; quatenus recipitur in subiecto, sequitur modum patiendi ipsius subiecti; & quo magis ipsa virtus est eminentior, & vniuersalior, fit magis potens, & latior ad plura semper attingenda in specie, & indiuiduo: Quare licet causa eadem sit, & eodem semper modo se habeat; diuersa tamen adhuc præstare potest, & de facto prestat ex diuersitate patiendi ipsius subiecti. Hoc ipsum fatetur *Picus eodem lib. 3. cap.* 4. itaut videatur mihi ibi manifestè contradicere ijs, quæ dixerat *cap. 3.* & quæ repetit *cap.* 25. quibus locis omnino negat Cælum posse determinare sibi indiuisibiles effectus; cum tamen *cap.* 4. ex professo demonstret quo modo de facto determinetur ad huiusmodi indiuiduales effectus; immò tollit ibi omnẽ virtutem actiuam à qualitatibus rerum inferiorum absq; concursu Cælorum; itaut velit, quod nulla qualitas sublunaris possit sibi similem qualitatem efficere absq; concursu Cælestis influxus.

Hoc autem non solum accidit causis Cælestibus, & quibuscunq; alijs remotis, & æquiuocis, sed etiam omni cuilibet causæ inferiori proximæ, & vniuocę; nam nulla causa proxima determinat sibi indiuiduales effectus absq; indiuiduali distinctione subiecti patientis; est autem hæc communis Philosophorum doctrina.

Patet etiã hoc euidentissimis experientijs, tàm in causis superioribus remotis, quàm inferioribus proximis; eadem lux Solis exsiceat lutum, liquefacit pinguia; dealbat ceram; denigrat manum; rarefacit liquores; indurat fruges, cretam &c. huiusmodi omnino contraria: inferiores causæ: vt calor ignis eadem ferè præstat, quæ lux Solis, & insuper dicitur congregare homogenea, & separare eterrogenea, quæ actiones contrariæ sunt, & præstat non nisi ratione diuersitatis naturæ subiectorum. Eadem lux transiens per vitrum viride viridis apparet, atq; aliorum colorum &c. Ergo fieri optimè potest, vt superiores causæ, concurrendo cum causis inferioribus, proximis attingant indiuiduales in specie, & numero effectus. Sol enim, & homo generant hominem, *ait Aristoteles.*

Astra non esse signa rerum, quarum non sunt Causæ.

CAPVT SEXTVM.

Ostendit hanc rem Picus Mirandulæ pluribus optimisq; rationibus: vt autem & ego aliquid dicam.

Cauendum est *primò*, signa rerum, per quæ res ipsæ nobis innotescunt, vel esse à priori, vel à posteriori: signa à priori habentur in causis ex cognitione naturæ causarum, & principiorum &c. & hæc cognitio præstantissima est; est enim mater scientiarũ: signa à posteriori habentur in effectibus, ex cognitione scilicet proprietatum, & naturæ effectuum; quæ quidem cognitio ignobilior est, solet tamen esse certior, quia ab experimentis; quare sensibus notior.

Secundò, Cauendum, Astra bifariam spectari posse, vel tanquam causas, vel tanquam effectus: primò modo, habent relationem ad effectus sub se quiq; sint: secundò modo, ad causas supra se: primò modo spectantur Astra respectu sublunarium rerum ex communi sententia: at secundò modo nullam censentur habere causam supra se naturalem, & corpoream.

Probatur nunc titulus capitis. Signa futurarum rerum in Astris, vel sunt tanquam in causis, vel tanquam in effectibus: si primum, habeo intentum: secundum, dici non potest, quia Astra non sunt effectus alterius causæ naturalis, neq; subordinantur alijs huiusmodi causis: ergo nisi sint signa in Astris, tanquam in causis, nullo alio modo esse possunt, ergo Sidera non possunt esse signa rerum, quarum non sint causæ.

Dices primò. Sol, & Luna sunt signa dierum, noctium, mensium, Annorum &c. sed temporis causa est motus Primi mobilis: ergo Astra possunt esse signa rerum quarum non sunt causæ.

Secundò dices. Decubitus ægrotantium, seu dispositio Siderum illius momenti, ex communi Professorum sententia experimentis perpetuo comprobata, indicat quid futurum sit ipsis ægris; sed non sicut causæ, quia causæ censentur Astra natalis, & eorum familiaritates per Directionem, & Progressionem acquisitæ; ergo tanquam signa.

Ad primum Respondeo. Solem, & Lunam motu suo, vel esse causas temporum, vel saltem causas distinctionis temporum in partes, non secus, ac ipsa horologia apud nos.

Ad secundum dico, quod Astra in decubitu sunt veræ causæ rerum ægrotantium: cum hoc tamen, quod non eliciunt omnem effectum, sed dependenter à dispositionibus ægrorum pendentibus ab eorum natali, & subsequentibus inde motibus: omnis enim causa cælestis præsens non elicit ad actum, nisi dispositiones quas inuenit in potentia proxima; quæ praordinantur motibus Directionis, & Progressionis &c. vt alibi dictum est.

Ex his infertur, quod à momentaneis habitudinibus Astrorum in interrogationibus nos non possimus habere cognitionem futurarum rerum: quia res fu-

turæ habent ſuas cauſas particulares, vel à Natalibus, vel à diurnis motibus; qui non cohærent cum præſenti ſiderum habitudine, quæ mouit noſtra phantaſmata; opus eſt enim inter ſigna, & res ſignificatas eſſe aliquam connexionē, vt ipſa ſigna vera poſſint eſſe; aliàs enim quodlibet ſignum poterit dici cuiuſuis futuræ rei ſignum; quod ſtultum erit affirmare.

Dices. Conſtellatio, quæ eſt cauſa rerum, quæ fiunt, eſt etiam cauſa mouens noſtra phantaſmata, & primorum motuum: & hoc ex efficacia, & vehementia influxus: ſed quæ habent eamdem cauſam, habent connexionem ad inuicē; ergo motus phantaſmatum ſigna ſunt effectuum imminentium, aut ſaltem ſigna mouentium cauſarum. Et confirmatur, quia ſæpè accidit, vt ſomnia præmoneant futura naturalia, potiſſimè in ægris; & medici interrogare ſolent ægros de ſomnijs, vt ex prædominanti contraria qualitate, morbi naturam nouerint: hoc autem non poteſt contingere, niſi quia eadem cauſa cæleſtis, quæ mouet effectus, mouet etiam phantaſmata mentis.

Argumentum hoc concludit tantum de motibus, & effectibus naturalibus, qui fiunt in eodem ſubiecto, & hoc modo concedo, quod eadem conſtellatio, quæ eſt cauſa futuri effectus in aliquo ſubiecto poſſit etiam eſſe cauſa præmotionis Phantaſmatum eiuſdem: quia ſidera non ex inſtantanea habitudine producunt effectus, ſed ex præcedentibus influxibus, & motibus, quibus non niſi cum tempore ſucceſſiuè prædiſponunt ſubiectum ad talem effectum: dum verò prædiſponunt mouent, & primò quæ facilioris motionis, ſicut ſunt phantaſmata. Et hoc ad ſummum eſt, quod mihi videtur poſſe concedi in interrogationibus, & ſomnijs: nimirum in proprio tantum ſubiecto, & de rebus duntaxat naturalibus: In quibus caſibus Aſtra iam non ſunt ſigna, ſed veræ cauſæ: aut certè ſi ſint ſigna, ſunt etiam cauſæ: & niſi ſint cauſæ, pura ſigna nullo modo poſſunt eſſe.

Dices item. Ptolemæus docet à natali filiorum poſſe haberi cognitionem rerum parentum, & fratrum; ſed conſtitutio natalis filiorum non poteſt eſſe cauſa parentum, & fratrum, & ſtatus eorum: ſupereſt ergo, vt ſint ſigna. *Reſpondeo*, quod Sol, & homo generant hominem, & ita neceſſario ſimul, vt vnus ſine altero nullatenus poſſit; homo quidem tanquam cauſa proxima ſubordinata Soli; & Sol, vt cauſa remota, & vniuerſalis continens eminenter omnes effectus rerum inferiorum; quos tamen Sol non attingit niſi ſecundum præexiſtentem potentiam proximam in rebus ipſis; quæ *vt cap.* 8. dicam neceſſaria eſt ad omnem effectum; neq; enim valet ex arbore hominem generare, aut ex Ariete Taurum; hæc enim in ſe ipſis repugnant: Quare fit, vt cum hoc homine generet filium ſecundum præexiſtentem potentiam, & diſpoſitionem eiuſdem hominis: Hoc autem non poteſt efficere niſi in conſtitutione, & temperamento Siderum, ſimili temperamento naturæ, & ſubſtantiæ eiuſdem hominis; qua conſtitutione, vt potè ſimili, elicit ad actum potētiam in eo præexiſtentem: neq; enim fieri poteſt, vt diſſimilis conſtellatio eliciat ad actum diſſimilem effectum ſicut alibi infra oſtendam. Cæterum ſemen eſt ſimile ſubſtantiæ, & naturæ patris, quæ eſt cauſa proxima; fit ergo, vt ſi Sidera eliciunt ad actum è ſubſtantia patris ſemen, & ex ſemine filium, vt non efficiant niſi conſtellationibus ſimilibus

milibus substantiæ, & naturæ patris, & seminis. Quare constitutiones natalium filiorum similes sunt naturæ, & substantiæ parentum, & cum ipsis parentibus sunt concausæ. Pari modo res se habet in decubitu, immò in quolibet effectu: præsentanea enim constellatio est concausa, quæ non elicit ad actum nisi illos effectus, quos sibi similes reperit in potentia proxima, ab alijs præcedentibus causis,& similibus præordinata; vt infra dicam. Fratres autem ex eadem matre indicantur ex fecunditate signi Lunæ: cum enim status Lunæ natalis sit similis, & proportionatus naturæ, & substantiæ matris propter eandem rationem; fit vt indicet etiam eius fæcunditatem, vel sterilitatem, & hoc etiam secundum gradus &c.

Proprietatum, & Passionum lucis Siderum connaturales effectus in genere.

CAPVT SEPTIMVM.

PRoprietates, & Passiones luminis Astrorum, quæ sint iam dixi, vt autem ad euidentius demonstrandos in specie singularum proprietatum, & passionum effectus, facilius progrediar; operæ pretium duxi distinguere prius genericè effectus proprietatum,& passionũ: Certum autem est, quod diuersarum proprietatum diuersi sunt effectus, etiam in Causis inferioribus, vt ignis calore non producit lumen, neq; lumine calorem, sed calore calorem, lumine lumen: Sol quidem producit vtrumq;solo lumine ex eminenti virtute: Item in cibo aliud est,quod calefacit, aliud quo efficit saporẽ,aliud quo odorem facit, aliud quo nutrit;& similiter in omnibus. In causis quoq; superioribus distingui necessarium est effectus Astrorum ab inuicem, & hoc non nisi ratione proprietatum & passionum eorumdem: & ratio est; iam enim non aliter differunt inter se Sidera, neq; per aliud, nisi ratione diuersarum proprietatum & passionum: quod si effectus eorum differunt inter se,consequens est, vt differant effectus per quæ differunt & Astra: nam quæ idem sunt, idem efficere nata sunt: Astra verò nõ differunt inter se nisi per proprietates, & passiones, ergo, & effectus eorum differre debent inter se per differentiam proprietatum, & passionum, adeout proprietates, & passiones effectuum à proprietatibus, & passionibus suarum causarum pendeant.

Sciendum autem est *Primò*. Quod modus causandi etiam in omni genere causarum sequitur modum essendi ipsarum causarum: vt modus causandi materiæ est merè passiuus, quia ipsa est pura potentia passiua: modus formæ est merè formalis, & specificus &c. Similiter modus agendi causæ efficientis, sequitur modum essendi,& potentiam actiuam eiusdem: Nam in primis omnis actus sequitur suam potentiam, ita actio causæ efficientis sequitur eius potentiam actiuam. Quia,*vt habet Aristoteles 2.Phys.tex:*38. Oportet semper causam

vniuscuiusq; summam quærere: vt homo ædificat, quoniam ædificator est; & ignis calefacit, quia calidus est: Deinde proprietates fluunt ab essentia rerum; actiuitas est proprietas, ergo fluit ab essentia; aliàs non prædeterminaretur causa ad sibi similes, & connaturales effectus, & ita posset quælibet causa quemlibet effectum attingere indifferenter, quod repugnat: nam posset causa producere effectus non modo dissimiles, sed etiam oppositos, contrarios, repugnantes, & tum specie, tum genere diuersos, immo amplius etiam nobiliores se ipsa, quæ sunt contra communem Philosophorum sententiam, & impossibilia: Non est igitur dubium, quod modus causandi efficientis sequatur modum essendi eiusdem, tum ratione actus ad suam potentiam, tum proprietatis ad essentiam.

Secundò. Sciendum, quod effectus sequitur modum agendi causæ efficientis; & in fieri quidem non est dubium: nam effectus in fieri est ipsa actio, quæ est cum modo, & in ipso modo agendi causæ; adeo enim iunctus est effectus ipsi actioni, seu modo agendi causæ, vt acriter disputent Philosophi, an realiter distinguantur nec ne; an scilicet actio distinguatur à termino: At verò, quod etiam in facto esse effectus sequatur modum essendi causæ euidentissimum est; nam in fieri, & in facto esse effectus distinguitur tantùm ab esse in potentia proxima, & esse actu; & non magis quam conseruatio à productione, de quibus item disputant Philosophi, an distinguantur realiter: Quapropter si verum sit, quod effectus sequatur modum agendi suæ causæ, & modus agendi modum essendi eiusdem: de primo ad vltimum planè constat, quod effectus sequitur modum essendi suæ causæ. Rebus autem sic stantibus sit.

Prima Conclusio: Effectus proprietatum luminis Astrorum in sublunaribus, sunt proprietates ipsarum rerum effectarum.

Probatur primò ex dictis. Modus essendi effectuum sequitur modum essendi suarum causarum: ergo proprietates effectuum rerum sublunarium pendent à proprietatibus luminis Astrorum: Probatur consequens; effectus inferiores cum suis proprietatibus pendent ab Astris, & in suo esse sequuntur modum essendi eorum, ergo effectus inferiores sequuntur modum essendi siderum etiã secundum suas proprietates.

Secundò. Proprietates causæ efficientis influunt in effectum hoc aliquid suæ naturæ; sed proprietatum natura est dimanare ab essentia: ergo proprietates causarum cælestium influunt in effectum hoc aliquid, quod ab essentia dimanet eorundem effectuum.

Tertiò. Effectus imitantur suam causam efficientem eo modo, quo possunt; sed ab Astris proprietates non separantur, ergo effectus proprietatum Siderum in rebus inferioribus debent non posse separari: hæ autem sunt proprietates rerum, quæ ideò non possunt separari, quia fluunt ab essentia rerum. Quod si sint in Astris aliquæ proprietates suscipientes motum, & varietatem, ad passiones reducuntur, de quibus dicam postea.

Quare cauendum est, quod proprietates sunt accidentia, & quædam sunt semper in actu, vt virtus magnetis attrahendi ferrum: quædam sunt semper quidem in potentia, sed non semper in actu, vt risus in homine: quædam suscipiunt

piunt motum, & varietatem ex intensione, aut extensione, aut frigiditas in aqua, & quantitas ex rarefactione, & densatione: In hac igitur conclusione nomine proprietatum intelligo quicquid emanat ab essentia rerum indifferenter, abstrahendo a qualibet passione, & varietate; nunc enim loquor de Solis proprietatibus, vbi verò de passionibus erit sermo, de proprietatum mutatione intensiua, extensiua, locali, actiua, passiua, & si quid aliud est &c.

Secunda Conclusio. Effectus, qui sequuntur passiones luminis Astrorum in rebus sublunaribus sunt passiones ipsarum rerum. Patet quidem hæc conclusio ijsdem rationibus ad proprietates; attamen probatur adhuc. Idem manens idem, idem natum est efficere; ergo diuersa nonnisi à diuersis fieri poterunt, diuersorum enim diuersæ causæ, *ait sæpius Aristoteles maximè ad rem nostram 2. gener, cap.* 10. vbi diuersos, & contrarios motus Cælorum dicit esse causam contrariorum effectuum, nimirum generationis, & corruptionis.

Ex hoc autem capite colliguntur plura de quibus dicam infra. Vt quod opera Saturni colore nigra sint, diuturnæ durationis, & tardi motus. Solis opus, calor & actiuitas, Splendor, gloria Regnum: nam Sol luce, & motu regit omnia Sidera, & rerum tempora, generationis &c. Mercurius ex varietate coloris, & motus, tales præstat effectus: hinc sapientiam: quia sapiens omnium rerum speciebus affici necesse est, & per singulas res velociter ferri: atq; similiter de cæteris.

Distinctio, Natura, & Ordo effectuum luminis Astrorum in rebus ipsis inferioribus.

CAPVT OCTAVVM.

Si quam exoptamus effectuum Siderum in rebus inferioribus, veram cognitionem assequi volumus, necessarium omninò est nouisse rerum ipsarum distinctionem, ordinem, & naturam, operationes, proprietates, & similia: Etenim quoniam causæ efficientes non producunt effectus, nisi secundum suam propriã naturam, tum etiam secundum eam, quam res ipsæ subiectæ actioni potentiam habent recipiendi, & patiendi, vt cunctis Philosophiæ Doctoribus notum est; nisi nouerimus subiectarum rerum distinctionem, connaturales proprietates, passiones, & naturam: quæ res cuiq; causæ subijciantur, nobis notum fieri minimè poterit.

Et hoc quidem caput requireret integrum totius Philosophiæ tractatum, veris, ingenuisq; principijs, & sententijs constructum, non ad ostentationem pulchritudinis ingenij, inauditas, & impossibiles opiniones defendendo, de quibus nostri temporis Philosophiæ Professores nõ pauci se magnificè iactant; qui cum nihil rerum veritatis attingant, nihil propterea, vel Medicinæ, vel Astrosophiæ, vel Meteorologiæ, vel alijs quibuscunq; Disciplinis prosunt: sed

cum

cum tantum auram, & fumum popularis applausus pulchritudinis ingenij expetant, iam nihil vltra entis veri, & boni merentur assequi, quam inanem ipsius auræ fumiq; gloriam odorari: Pace dixerim illorum ingeniorum, quæ naturalium rerum intimas causas, & prima principia cum optimè calleant, quandoq; ad animi leuamen nouarum rerum etiam impossibilium problemata discutienda in medium exhibent: nam qui solidam rerum peritiam, germanãq; scientiam possidet, hunc licet inanibus, & falsis nonnunquam ludere somnijs, Integrum, inquam, totius Philosophiæ tractatum postularet hoc caput, sed cum citra rerum à me propositarum institutum contingeret, dicam summariè, quæ magis opportuna censui.

Videtur autem distinctionis ordo, quoad substantiam quidem, debere sumi à primis partibus, & principijs componentibus, quamlibet substantiam corpoream, & à primis corporibus simplicibus, quibus constat corpora mixta, & in quæ vltimò resoluuntur: Quoad accidentia verò à quantitate, & primis qualitatibus. Nam quicquid naturale est in sublunaribus, aut est substantia corporea, aut accidens: substantia corporea componitur ex materia, & forma; deinde operitur accidentibus. Compositum substantiale duplex est, simplex, & mixtum: Simplicia corpora quatuor esse, tum demum vniuersas qualitatum differentias ad quatuor primas reduci, ostendunt cõmuniter omnes Philosophi.

Corpus simplex nullum est animatum: Corpus mixtum aliud est inanimatũ, aliud animatum: Corpus animatum aliud insensitiuum, aliud sensitiuum: Animatum sensitiuum, aliud irrationale, aliud rationale: omnem autem differentiam quam dixi corpora habent à forma substantiali, quæ constituit quamlibet rem in sua specie; etenim

Materia eadem est, & eiusdem rationis, & naturæ in omnibus rebus inferioribus: est autem primum rerum omnium subiectum, pura potentia passiua, & receptiua omnium actuum, siue substantialium, siue accidentalium, ex qua educuntur, præter formam rationalem, & in quam etiam resoluuntur: Quare de communi Philosophorum sententia nullum habet sibi perpetuò cohærentẽ actum, siue substantialem, siue accidentalem, nisi tantum quantitatem, quam indefinitam habet, definitur autem à forma: Quæ quantitas, siue sit accidens distinctum à substantia materiæ, siue sit ipsa materia, de qua rei dissentiunt Philosophi, hoc vnum certum est, quod materia non potest esse causa, & causare in suo genere, nisi sit per quantitatem extensa, qua extensione præbet se ipsam actionis receptaculum, & subiectum: quemadmodum neq; substantialis forma potest causare in genere causæ efficientis, nisi habeat proprietates, & qualitates ex intensione actiuas: Quare sequitur quod & passio fieri non possit à subiecto, quod per quantitatem non sit extensum, quemadmodum neq; actio ab agente, nisi habeat qualitates secundum virtutem actiuam intensas.

Forma substantialis est altera pars corporis naturalis, cum verò sit actus, qui dat esse specificum cunctis rebus; sequitur vt formæ eodẽ prorsus ordine distinguantur, sicut ipsa corpora, quæ recensui: Nam alia est forma corporis simplicis; alia mixti; alia mixti animati; alia mixti animati sentientis; alia mixti animati sentientis rationalis, quæ omnium nobilissima est, cæteræ per ordinem ignobi-

ignobiliores vſq; ad formam elementi, quæ omnium infima eſt.

Accidentia alia inſenſibilia ſunt, alia ſenſibilia: inſenſibilia ſunt quæ non patent ſenſibus, niſi ex operatione, vt virtus magnetis attrahendi ferrum, virtutes herbarum, lapidum, mineralium, &c. Accidentia ſenſibilia ſunt quæ ſenſibus nota ſunt. Viſui innoteſcunt colores, & lumen; Auditui voces, & ſonitus; Olfactui odores; Guſtui ſapores; Tactui calor, frigiditas, humiditas, & ſiccitas: hæc verò quinq; ideſt motus, quies, numerus, figura, & magnitudo ab Ariſtotele ponuntur communia omnibus ſenſibus. Accidentia autem ſenſibilia plura quidem ſunt, quæ tamen omnia ad quatuor primas differentias reducit *Ariſtoteles 2. gener. tex.* 15. cui aſſentiuntur omnes Philoſophi: & ſunt calor, frigiditas, humiditas, & ſiccitas.

Calor, & frigiditas definiuntur ab *Ariſtotele* ex virtute actiua congregandi, & ſeparandi: humiditas, & ſiccitas ex proprietate paſſiua terminari; immò expreſsè has vocat paſſiuas qualitates, illas actiuas: ait enim 2. *gener. tex.* 8. *Calidum frigidumq; , & humidum ac ſiccum; illa quidem, quod actiua ſint; hæc verò, quod paſſiua dicuntur. Calidum enim eſt, quod ea congregat, quæ eiuſdem ſunt generis: Nam ſegregare, (id quod ignem facere aiunt) eſt cognatæ, & quæ eiuſdem ſunt generis congregare: accidit enim, vt aliena eximat. Frigidum verò, quod ex æquo cogit, ac congregat tàm quæ eiuſdem ſunt generis, quàm quæ diuerſi. Humidum autem, quod cum facile terminos ſuſcipiat, proprio non definitur. Siccum verò, quod proprio termino bellè definitur, alieno ægrè,* idem repetit 4. *Meteor. cap.* 1. *dicens, calidum enim & frigidum actiua; humidum & ſiccum paſſiua*. Quemadmodũ ergo ſubſtantia diuiditur in actiuam, & paſſiuam, ita accidentia diuiduntur in actiua, & paſſiua.

Ego autem propter has definitiones, rationeſq; non exiguas excogitaui duo eſſe prima omnium accidentia, vnum paſſiuum, alterum actiuum, & ſunt quãtitas, & qualitas, ſiue etiam dicam, ſunt qualitas quatenus paſſiua eſt, & extenſiua, & qualitas quatenus actiua eſt, & intenſa.

Et puto, quod ad hæc duo reuocentur vniuerſa quæcunq; alia accidentia: vt ad quantitatem, ſeu eſſe paſsiuum, & extenſum reuocantur humiditas, ſiccitas, raritas, dẽſitas, grauitas, leuitas, & omnes paſsiones quas *Ariſtoteles* dicit emanare à paſsiuis qualitatibus, & recenſet 4. *Meteor. ſum.* 3, quæ multæ ſunt: & in vniuerſum omnes qualitates quatenus paſsiuæ ſunt, & extenſæ: quæ qualitates, quatenus paſsiuæ, cenſeo quod ſint paſsiones materiæ, itaut emanent ab ipſa materia: Quamuis non nego, eo quia materia continet has paſsiones indefinitas; quod definiantur, & determinentur à forma ſubſtantiali, & ab actiuis qualitatibus; at verò non tanquam à cauſa formali; quia effectus formalis non diſtinguitur ab ipſa forma; ſed tanquam à cauſa efficiente, quæ ex natura ſua poſtulat ſibi talem determinationem qualitatum paſsiuarum.

Ad qualitatem quatenus actiua eſt, & intenſa reuocantur omnes qualitates quæcunq; ſint, quatenus tamen actiuæ ſunt, & admittunt intenſionem; vt lux, calor, frigiditas, ſapores, odores, ſonitus, virtutes omnes mixtorum &c. quæ qualitates, quatenus actiuæ ſunt, & intenſæ, puto, quod ſint virtutes formarum ſubſtantialium, materialium tamen; quia à forma rationali non pendent qualitates naturales, ſed à formis partialibus membrorum.

Et

Et sanè quidem communis est Philosophorum sententia, quod virtutes, seu qualitates quatenus actiuæ emanent à formis substantialibus, vtpote à quibus ortum habet omnis actus, & perfectio, virtus autem actiua perfectio quædam est. Quod verò qualitates quatenus passiuæ, & extensæ, quas enumeraui emanent à materia, itaut sint passiones, & accidentia materiæ quantæ, non leuis mihi suadet ratio.

Nam *imprimis*, constat ex definitione allata ab Aristotele, in qua passiuæ qualitates ita describuntur, ac si sint quantitas, & materia quanta; nam suscipere terminum, seu terminari est passio quædam substantiæ quantæ; omnis autem passio in materia fit,& quantitas à materia inseparabilis est; Cæterum, quod facilè, vel difficile terminari possit, pertinet ad magis, vel minus, quæ non constituunt diuersam speciem.

Secundò. Constat ex his, quæ habet *Aristoteles 4. Physic. tex.* 84. vbi circumscribens rarum, & densum, dicit densum esse, quod multum materiæ continet sub paruis dimensionibus, è contra rarum, quod parum materiæ sub magnis dimensionibus, quare densitatem, & raritatem esse passiones materiæ secundum multum, vel parum consequens est.

Tertiò. *Aristoteles ibidem tex.* 85. dicit,densum esse graue, rarum leue: sed leuia maximè actiua sunt ; vt ignis, qui parum materiæ continet sub magnis dimensionibus,habet intensam nimis virtutem actiuam calefaciendi,exsiccandi, & vrendi: grauia maximè passiua sunt, & receptiua, sicut est aqua, & terra, quæ quia nimis densæ ex multa materia constant.

Quartò. Quæcunq; exsiccantur leuiora fiunt; & quæcunq; humescunt fiunt grauiora, & hæc nimis: sed grauitas procedit à materia: ergo humiditas est passio ipsius materiæ, & semper cum ipsa materia.

Quintò. Quæcunq; humescunt augentur extensiuè, vt ligna arida si in humido, vel aqua demergantur intumescunt, & augentur secundum extensionē: E contra quæcunq; exsiccantur minuuntur extensiuè, ergo cum humiditate adest semper materia, itaut cum ipsa egrediatur, & ingrediatur.

Sextò. Quæcunq; arida intra vasa vitrea, vel ænea perfectè clausa, si ponantur in humido, etiam in aqua, non fiunt humida, & quod materia cum humiditate ingredi non possit: E contra si apponantur ad ignem, & Solem calefiunt, quia calor, & frigiditas sunt qualitates, eo virtutes actiuæ à materia omnino independentes, tantum à forma: & agunt ad intra quodcunq; corpus etiam densissimum, producendo sibi similem qualitatem; & attingunt partes internas absq; ingressu materiæ: Quod si passiuæ qualitates haberent sphæram actiuitatis, sicut qualitates actiuæ independenter à materia, non contingeret hæc disparitas in huiusmodi casibus. Dixi qualitates actiuas esse independentes à materia, intelligo quoad emanationem, nam quoad eductionem, & inhæsione, non solum vniuersa accidentia, sed etiam omnes formæ substantiales materiales dependent à potentia materiæ.

Septimò: Liquores in vasibus clausis non exsiccantur; frigescunt verò, & calefiunt, ergo humiditas est passio materiæ, quæ quia egredi non potest à vasibus clausis, ratione suæ substantiæ, & quantitatis, liquores intro clausi exsiccari

non

non possunt: recipiunt verò calorem, & frigiditatem, quia hæ qualitates merè actiuæ sunt, & agendo producunt sibi similes qualitates ad intra cuiusuis corporis etiam densissimi.

Octauò. Principiatum non potest esse secundum naturam diuersum à principio suæ emanationis, ergo sicut accidentia actiua non possunt emanare à materia, ita neq; passiua à forma; sed opus est, quod actiua emanent à forma, passiua à materia tanquam à suis similibus principijs.

Dices. Qualitates passiuæ non pendent à materia tanquam à causa efficiente, quia materia non est actiua, sed tanquam à subiecto; ita similiter pendent qualitates actiuæ: non apparet autem posse pendere alio modo; quia quatuor tantum sunt genera causarum: ergo nullũ est discrimen dependentiæ à materia inter qualitates actiuas, & passiuas. *Respondeo*, quod qualitates passiuæ pendent à materia sicut quantitates, & sicut principiatum à suo principio, & sicut proprietas, & passio ab eo cuius est proprietas, & passio, & etiam tanquam modus à re, & sicut res, quæ emanat ab aliquo: nam neq; qualitates actiuæ pendent à forma tanquam ab efficiente, quia nemo dat quod non habet; & forma substantialis non est valida, vt producere possit calorem &c. Cæterum passiones materiæ nullam habent causam efficientem, quoad suum esse, sed tantum quoad determinationem circa magis, & minus; etenim quoad esse sunt semper cum materia sicut eius quantitas; nam quantitas à materia, & deinde à quantitate cæteræ passiones dependent.

Cauendum est, quod sicut materia nullum habet esse determinatum, adeout omnis eius determinatio pendeat à forma substantiali; ita similiter accidentia passiua, quæ ab ipsa emanant, nullum habent esse determinatum; determinantur verò a forma substantiali, à qua pendet omnis determinatio tàm substantię, quàm accidentium. Cum verò forma determinat materiam in specie, determinat etiam eius quantitatem, quo ad extensionem partium, humiditatem, siccitatem, densitatem, vel raritatem, & quicquid ab ipsa materia fluit, & emanat: igitur accidentia passiua habent esse a materia, sed indefinitum, definiuntur autem à forma: Accidentia actiua fluunt à forma, & recipiuntur à materia: nam actio, seu virtus actiua ab agente ad passum transit etiam in eodẽ supposito, idest à parte actiua ad partem passiuam; neq; enim idem, quatenus idem, potest esse causa materialis, seu subiectum actionis, & causa efficiens: Hæc est autem qualitatum dependentia à partibus substantialibus; nam passiuæ qualitates fluunt à materia, definiuntur verò, & recipiunt perfectionem à forma; actiuæ fluunt à forma, recipiunt autem subsistentiam à materia.

Ex dictis autem oritur prima rerum omnium distinctio in duo genera, masculinum scilicet, & fæmininum; primum magis actiuum est, secundum magis passiuum: & non aliundè, nisi ex maiori intensione qualitatis actiuæ in priori; & maiori copia passiuæ in posteriori; siue dicamus ex maiori, seu intensiori actiuitate formæ in priori; ex maiori copia qualitatis passiuæ, & materiæ in posteriori. Et hæc distinctio reperitur in cunctis rebus: vt primò inter prima principia corporis naturalis, quæ sunt materia, & forma: inter accidentia, quæ sunt qualitas, & quantitas; tempus habet diem, & noctem; sexus animalium

marem, & fœminam, immò etiã arbores, & herbas: omnis enim transmutatio, & actio requirit agentem, & passum &c. sed prosequamur institutum capitis.

Corpora Simplicia dixi esse quatuor, Terram, Aquam, Aerem, & Ignem: Terra frigida est, summè sicca, Acqua humida est, summè frigida, Aer calidus est, summè humidus: Ignis siccus est, summè calidus. Item Terra est omnium densissima, & grauissima; Aqua minus densa, minusq; grauis; Aer mediocriter rarus, & leuis; Ignis omnium rarissimus, & leuissimus. Hæc primarum qualitatum distributio in elementis ponitur ab *Aristotele 2. gen. tex. 23.*

Quatuor primæ qualitates, idest calor, frigiditas, humiditas, & siccitas; aliæ sunt actu, aliæ sunt potentia, seu virtute: qualitates actu sunt, quæ actu habent esse, vt actualis calor &c: qualitates potentia sunt virtutes quædam præexistentes in causis, & ab ipsis fluunt qualitates actuales: vt exempli gratia Piper, Sulphur, vinum, oleum, & similia quamuis sint actualiter frigida, sunt tamen virtute, seu potentia calida: è contra, aqua, quamuis sit actu calida per calefactionem ad ignem, sumpta tamen semper infrigidat stomachum, quia virtute semper frigida est, qua virtute se restituit, & conseruat ad suam actualem frigiditatem: Volatilium oua, licet actu frigida, potentia tamen, seu virtute habent vitalem calorem. In herbis, arboribus, & mineralibus quot virtutes occultæ, & in potentia ad producendas actuales qualitates? negari huiusmodi qualitates virtuales, seu in potentia nullo modo possunt: sunt autem, vt plurimum, occultæ, & remotæ à sensibus, quia fluunt à formis rerum, vel ipsæ potentiæ ex natura sua latent.

Item quatuor primæ qualitates tàm actu, quàm potentia aliæ sunt purè elementares; aliæ mixtorum: elementares sunt quæ à primis quatuor corporibus simplicibus emanant; qualitates mixtorum, quia ortum ducunt ab Astris, voco qualitates cælestes; sunt autem in viuentibus quidem vitalis calor, & humiditas radicalis: in inanimatis sunt puta virtutes mineralium, meteororum, exhalationum, liquorum, & priuatorum anima corporum, atq; similium.

Cæterum meum in hoc opere institutum cum sit ostendere modum agendi Siderum, maximè circa res hominis naturales: opus est distinguere, & spectare partes ipsius hominis.

In homine *primò* adest primum omnium motuum, & facultatum, tàm spiritualium, quàm corporalium principium, quod neq; ortum, neq; conseruationem habet à Natura, nimirum spiritualis forma, seu Anima rationalis, quæ immediatè in fieri, & conseruari a solo rerum omnium Opifice Optimo Summo maximo pendet. Quod hominis principium, quia omninò immateriale, ab Astrorum influxu nullatenus attrectari potest. Nam si res hominis attentè spectemus, omnis motus, præter actum voluntatis, & intellectus, in corpore sunt quatenus constituitur in esse corporis à formis partialibus, & non in Anima: vt fames, sitis, dormitio, luxus &c: nam fames ex calore, sitis ex siccitate, dormitio ex humiditate &c: quæ qualitates corporeæ sunt: quibus passionibus Anima sic potest non assentire, vt etiam dissentire, non explendo famem, neq; sitim, neq; luxum &c: & irascens in ipsum corpus, vice luxus verberibus, & inedia ipsum corpus afficere potest, & de facto præstant timentes Deum; quibus

bus victoriam contra sensus hostes nobis præ omnibus fortissimos, quia sunt domestici, & intrinseci, reportantes, æternæ vitæ præmium assequuntur.

Secundò. In homine adsunt prima corpora inter se mixta; sunt autem tanquam materia in qua inhærent omnes cæteræ qualitates, quas dico cælestes esse: nam præter prima corpora, & eorum qualitates in sublunari plaga, omnes cæteræ qualitates, & effectus, sunt qualitates, & effectus cælestes, sicut supra dixi, & mox ostendam.

Tertiò. Adsunt membra disposita varijs qualitatibus, quibus eterrogenea, & dissimilaria inueniuntur esse: sunt autem inter se diuersa quoad qualitates cælestes, & eorum gradus intensionis; cum verò omnis qualitas cælestis, & eorum gradus determinent sibi diuersam ex primis corporibus mixtionem, eo quia diuersam exhibeant concoctionem, sequitur, quod membra diuersa sint inter se, etiam quoad temperamentum mixtionis; etenim re vera Cerebrum plus Aquæ, & Terræ continet; Sanguis, & Iecur, & Pulmo plus Aquæ, & Aeris; Ossa terrea sunt &c.

Quartò. Adest Calor vitalis, à quo tanquam à potiori principio post Animã pendent omnes motus, & operationes vitales: qui calor vitalis neq; Ignis est, neq; ab Igne originem habet: & duplex est in potentia, & in actu; Calor vitalis in potentia, est virtus præexistens potentia calor: Calor vitalis in actu, est qui actu existit, sed tamen existit in suo esse ad modum entis successiui, sicut dicam infra; fluit enim, & fit successiuè ex potentia illa.

Quintò. Adest humiditas radicalis, cui tanquã altero principio Calori vitali proportionato inhæret ipse Calor vitalis: Quæ humiditas neq; est Aqua, neq; ab Aqua sumit originem: & duplex est sicut ipse calor, in potentia, & in actu.

Sextò. Adsunt potentiæ diuersarum operationum; sunt autem Appetitiua, Digestiua, Retentiua, Expulsiua, Augmentatiua, Generatiua, Motrix localiter, Sensitiuæ, atq; aliæ.

Septimò. Adsunt exercititia, seu operationes, & effectus ipsarum potentiarum, vt Appetitus, Digestio, Expulsio, Augmentatio, Retentio, Generatio, Motus localis, Sensationes &c.

Octauò. Necessaria est materia exercitij, & operis potentiarum, vt ad vegetationem, augmentum, & generationem requiruntur alimoniæ: ad sensationes obiectum, & species vnicuiq; sensui proportionata &c.

Nonò. Adsunt accidentia sensibilia, vt figura colores, sonitus vocis, carnis tactilitas, odores; sunt enim qui malè, & qui benè olent.

Decimò. Ab homine procedunt mores, actiones, quatenus naturales sunt, vt filij ars &c. inde fama, & existimatio.

Vndecimò. In homine adest tempus vitæ, & rerum eius omnium, atq; plura alia, quæ necessariò postulant, vt plures, de diuersis nimirum rebus quæstiones instituam; vt de mixtione, de qualitatibus cælestibus, & in specie de calore vitali, & humiditate radicali, de alimonijs, de sensibilibus, de moribus, actionibus, fama, de potentia, & actu, de tempore, atq; de alijs nonnullis; de quibus omnibus, & singulis iuxtà propositam seriem incipiam nunc agere.

Mixtionem definit *Aristoteles* 1. *gener. tex.* 90. quod sit miscibilium alterato-

rum vnio. Miscibilia dicit ibidem, & paulo supra, quod sint quædam talia, qualia sunt ab inuicem passibilia, facile terminabilia, & facile diuisibilia: De quibus paulo supra dixerat eandem debere esse materiam; nam quorum materia non est eadem, passibilia ab inuicem non sunt: Et quod parum vnius intra magnum alterius non efficit mixtionem, sed augmentum; corrumpitur enim, inquit, parum illud, & in magni naturam mutatur: Opus autem, vt potentijs quodammodo adæquentur; tunc enim mutatur quidem vtrumq; in dominans ex sui ipsius natura; & non generatur alterum, sed medium, & commune.

Quomodo autem ex elementis fiat mixtio tradit 2. *gener. tex.* 48. & dicit, quod quæ miscentur corrumpunt ad inuicem excellentias; & quod non remanent actu in mixto, sed tantum potentia, non quidem sicut potentia materiæ, quia potentia materiæ nimis remota est, & vniuersalis; sed potentia proxima; nam mixta proximè in prima corpora resoluuntur: Atq; tali modo contraria misceri ad inuicem, & ex ipsis fieri mixtum aliquod medium, & commune.

Quæ cuncta rationabiliter quidem procedunt; Nonnullæ tamen occurrunt mihi difficultates, & non leues. *Prima est*; Cum Elementa sint ad inuicem contraria, qua nam ratione, dum ad inuicem agunt, & corrumpunt ad inuicem excellentias qualitatum, non prosequuntur agere semper ad inuicem vsq; ad totalem transmutationem secundū suam substantiam; sed subsistunt, & coeunt in mixtum aliquod? nam quousq; vires, & qualitates eorum non sunt æquales, semper intensior qualitas agit in remissiorem contrariam: Ad summum enim dici posset tunc fieri mixtum, quando Elementorum qualitates æquales sunt secundum vires, & gradus: Ex quo tamen sequeretur, quod omnia mixta essent eiusdem temperamenti, & talis temperamenti, vt non magis in ipsis dominaretur vna qualitas, quam altera contraria, neque vnum Elementum, quam alterum; sed omnia essent eiusdem, & medij temperamenti: Quæ falsa esse planè constat: aut certè si ex hac ad inuicem actione fiunt mixta; iam ex omni eorum ad inuicem actione sequeretur semper, & fieret mixtum aliquod, & nunquam contingeret Elementa ad inuicem ex vno in alterum transmutari: Quod item falsum est.

Secunda Difficultas. Dato aliquo mixto ex Elementis; quæro, quæ sit ratio cur mixtum illud absq; concursu denuò Elementorum alteretur notabiliter, & permutet etiam speciem, sicut sæpè contingit: Vt fruges, & exempli gratia mala, pyra, & similia, idem mixtum sunt, siue sint acerba, siue matura; maturescunt autem absq; nouo concursu alicuius elementi, sed tantum calore Solis, qui non est elementum. Ex cibo in animali primùm fit mixtum quoddam album, quod Chylum vocant, ex quo fit sanguis, ex sanguine caro & semen, ex carne nerui & ossa &c: Quæ quidem inter se valde differunt, & sunt Philosophi, qui censent differre specie per formas substantiales partiales: mixtum autem idem est semper, quod fuit in esca.

Tertia Difficultas. Si misceantur Elementa, non fit mixtum aliquod, sed confusio quædam: Vt si quis terram cum aqua misceat, & ad ignem apponat, vt calefiat, & ferueat; siue quocunq; alio modo applicentur Elementa; nunquam fiet mixtum aliquod.

Quarta

Quarta. Omne mixtum est effectum diuersum ab Elementis, & est nobilius, sicut patebit infra: ergo requirit causam efficientem nobiliorem, saltem diuersam: Nam Elementa non possunt esse causæ efficientes mixtorum, quia in mixtis se habent ferè vt materia, saltem vt partes, & non sunt ibi actu, sed potentia: nihil autem potest esse causa efficiens, & materialis; sed opus est, vt sit actu, & separatum: Deinde Elementa sunt indifferentia ad quodlibet mixtum, ergo nõ possunt esse causæ efficientes, quia causa efficiens determinat sibi suos effectus in specie, vel alio modo similes.

Plures quoq; huiusmodi difficultates afferri poterunt, quæ quidem possunt extorqueri, solui nullatenus, nisi aliquid amplius intelligamus in definitione mixtionis.

Dico igitur, mixtionem esse miscibilium alteratorum vnionẽ ab efficiente superioris ordinis, & naturæ peractam: Quæ causa efficiens, vel est cælum, vel habens qualitates cælestes: fieri autem potest, vt Aristoteles additam à me particulam, [ab efficiente superioris ordinis peractam] subintellexerit: quia re vera vnio est effectus quidam, qui necessario causam efficientem superioris ordinis postulat, & refert, quæ vincendo, & superando inferiora elementa corpora possit ea alterare, miscere, & vnire.

Per hanc particulam cessat *prima difficultas*, cum suis annexis: Etenim quoniam omne efficiens determinat sibi connaturalem ex Elementis mixtionem, & proportionatam suæ naturæ ex primis qualitatibus dispositionem, quę in omni efficiente diuersa est, & non opus vt sit media, & æqualis eademq; in omnibus iã Elementa post completam vnionem non amplius agunt ad inuicem; sed perseuerant in eo temperamento, quod postulat illa causa efficiens, & eius qualitas cælestis: quæ concoxit Elementa, vniuit, & etiam postea conseruat in illo temperamento mixtionis. Remanet quoq; libera inter Elementa actio, & transmutatio absq; eo, quod necessario semper fiat mixtum, si dicamus fieri non posse absq; causa efficiente superioris ordinis, & naturæ.

Cessat secunda difficultas, cum enim idem mixtum ex vna qualitate cælesti trãsit sub aliam perfectiorem: vel eadem fit intensior, seu perfectior; idem mixtũ ex maiori concoctione recipit maiorem perfectionem: Vt ex semine per superuenientem intensiorem calorem vitalem cælestem fit Embryo, ex Embryone vegetans, ex vegetante sentiens, ex sentiente disponitur ad rationale, cum tamen sit semper idem mixtum: E contra verò in morte propter extinctionem caloris prius deficit sensus, inde vegetatio, post relinquitur Cadauer, quamuis re vera sit semper idem mixtum.

Cessat tertia. Iam enim apparet ratio, & causa, quare si misceantur Elementa fiat, vel non fiat mixtum; fiet enim si adsit causa efficiens superioris ordinis, & naturæ, aliàs secus.

Vltima quoq; difficultas diluitur, vt de se clarè patet.

Prima Conclusio. Natura, & qualitates cuiuslibet mixti nobiliores sunt, & præstantiores qualitatibus, & naturis omnium elementorum.

Probatur primò. Natura, & qualitates cuiuslibet mixti habent aliquã virtutem alicuius nobilis effecti, quem non possunt attingere, & efficere ipsa Elementa:

ergo

ergo natura, & qualitates mixtorum nobiliores sunt: consequens negari non potest; antecedens patet experientia in omnibus mixtis, etiam inanimatis, quæ omnium infima sunt, vt lapides, & mineralia quot virtutes habent, quibus carent Elementa? negari omninò non possunt.

Secundò. Nullum Elementum simplex fieri potest animatum; sed omnino opus est corpore mixto; at verò omne animal nobilius est quolibet inanimato; ergo si ex mixto fieri potest animal, nobilius est mixtum, quam Elementum, ex quo fieri non potest.

Tertiò. Qualitates, & naturæ elementorum non remanent actu in mixto, sed tantum potentia ex *Aristotele 2. gener. tex. 48.* eo quod vbi maior minor cesset, quod non contingit moraliter, sed physicè, quia qualitates, & naturæ mixtorum robustiores cum sint, superant, atq; comprimunt naturas, & qualitates Elementorum; sed quæ robustiores sunt, & præualent, nobiliores, & præstantiores, censentur esse illis, quæ succumbunt, ergo &c.

Præterea si natura, & qualitates elementorum, vel magis, vel pariter præstarent cum qualitatibus, & naturis mixtorum frustra à natura fieret, vt in mixto non remanerent actu, sed tantum potentia: signum igitur est, quod in mixtis non sit opus elementorum qualitatibus, quod vilia sunt. Tandem quibus rebus valde abundat natura vilia, & infima solent esse; nam virtus præstans labore paratur. Elementa implent sublunarem plagam; mixta verò longe minora, & pauciora sunt, ergo præstantiora.

Vbi cauendum, quod nomine mixti non intelligo quamlibet Elementorum ad inuicem confusionem, quæ plures sunt nimis, adeout fiat quæstio, an detur Elementum purum; vt si sit terra permixta aqua, & similia; hæc enim non sunt mixta per se, sed per accidens, & sunt potius confusio: Sed nomine mixti intelligo vnionem miscibilium alteratorum, cui inhærent qualitas, & natura superioris ordinis, pendens ab efficiente alterius naturæ ab Elementis, sicut supra dixi.

Secunda Conclusio. Qualitates, & naturæ mixtorum non sunt qualitates, & naturæ elementorum.

Probatur 1. ex dictis. Nobiliores sunt, ergo non sunt eædem.

Secundò. Naturæ, & qualitates Elemētorum in mixtis non sunt actu, sed tantum potentia, ergo diuersæ sunt à naturis, & qualitatibus mixtorum, quæ actu sunt; non enim possunt esse idem, quæ actu sunt, & quæ potentia, quia repugnat: Antecedens patet: nam qualitates Elementorum sunt differentiæ, & proprietates Elementorum: sed Elementa in mixtis non sunt actu, sed potentia, vt supra ex Aristotele dictum est: ergo neq; poterunt esse actu illa per quæ differunt Elementa, quæ cum in mixtis non differant, neq; possunt habere actu aliquid proprij, per quod differre debeant.

Tertiò. Si qualitates, & naturæ mixtorum essent eædem cum Elementis, virtutes mixtorum inuenirentur etiam in Elementis; sed in ipsis nec vestigium quidem apparet qualitatum mixtorum, ergo non sunt eædem.

Tertia Conclusio. Qualitates, & naturæ mixtorum neq; originem habent ab Elementis.

Probatur primò ex dictis, nobiliores enim sunt, ergo non possunt originem habere ab Elementis.

Secundò. Si qualitates mixtorum originem haberent ab Elementis, inuenirentur etiam in ipsis Elementis, immo perfectiores, quia in causis; etenim propter quod vnumquodq; tale, & illud magis: sed non reperiuntur, ergo &c.

Quarta Conclusio. Qualitates, & natura mixtorum originem habent ab Astris.

Probatur 1. ex *Aristotele* 1. *Meteor. Sum.* 1. *cap.* 2. vbi dicit, quod Elementa sunt materia, & subiectum actionis Cælorum: & eorum, quæ circa elementa accidunt efficiens causa sit Cælum, vnde motus principium omnibus inest. Item 2. *gener. Summ.* 4. agens de causis perpetuitatis ortus, & interitus mixtorum, assignat motum, & causam Cælestem.

Secundò. Nulla alia causa, præter elementa, apparet, quam Sidera, nisi tantum causæ proximæ, quæ non sufficiunt; neq; enim potest homo, absque concursu Solis hominem generare: & communis est sententia Philosophorum, & Theologorum, quod vniuersa mixta interirent, si motus Cælorum cessaret; non tamen interirent elementa; quia non potest existere materia sine forma substantiali: infimæ autem formæ substantiales sunt formæ elementorum, quę proculdubio non interirent si motus Cælorum cessaret.

Tertiò. Animalium ex putri nascentiū nulla alia causa nisi Cælestis assignari potest, concurrente tamen ipsa dispositione putrida, quæ est concoctio elementorum superstes ex corruptione alicuius mixti perfectioris: ergo qualitates animalium ex putri nascentium originem habent ab Astris: ergo Sidera habent virtutem producendi qualitates mixtorum, & ipsa mixta.

Quartò. Si qualitates mixtorum non habent originem ab Astris, sed potius ab elementis, iam ipsa elementa à se ipsis absq; concursu Siderum poterunt producere omnes effectus in sublunaribus: quare superfluum est Cælum, & ociosum, & nihil omnino agit; neq; dici poterit causa perpetuitatis ortus, & interitus rerum, neq; vllo modo causa, contra omnium Philosophorum, & Theologorum etiam Sanctorum Patruum sententiam.

Quintò. Calor Solis nō est qualitas elemētaris; sed à calore Solis fiunt omnia mixta; ergo qualitates, & natura mixtorum Cælestes sunt, non elementares: maior propositio patet, quia absente Sole non adest talis calor: minor verò patet ex dictis, tum maximè experientia, quam affert Aristoteles dum inquirit causas perpetuitatis ortus, & interitus rerum, dicit enim esse Solem, qui accedendo, & recedendo, prope, & procul manendo generat, & corrumpit, sicut dicam infra.

Sextò. Tandem ex *Aristotele in problem. lect.* 22. *nu.* 12. vbi quærit cur dulcia minus dulcia sentiantur calida, quam refrigerata: & in secunda responsione dicit, quod succus dulcis calidus est; nam re vera, dulcia secundum naturam cum humido calida sunt, ideoq; amica naturæ: vnde subdit; *itaq; ignis igni adjicitur, ergo calor est qui impediat*, at quæso, quis est ignis in dulce refrigerato, nisi calor, & qualitas Cælestis? Cum verò calor ignis, & mixtorum contrarij sint, sequitur vt se se inuicem destruant: nam si in dulcibus calor ignis, & mixti sint eiusdem naturę ex eo, quod fieret maior intensio caloris, dulcia calefacta magis moue-

mouerent sensum, non minus. Concludit autem, quod calida propiora mutationi sunt; refrigerata verò resident, sibiq; iterum constant; quod tamen intelligendum est, esse calida calore elementari; nam calor Cęlestis nunquam est corruptiuus, sed semper perficit, decoquit, miscet, & vnit omnia elementa; itaut etiam mixtum nutriat, & foueat, & semper magis, quo intensior est.

Quinta Conclusio. Calor vitalis, & humiditas radicalis in animalibus non sunt Elementa, neq; ex elementis ortum habent. Valde refert in hoc opere hęc cōclusio sicut patebit: & non desunt Doctores grauissimi qui aliter sentiant. Et quidem iam ex dictis optimè probari potest, nihilominus quoad calorem

Probatur primò ex *Aristotele*, qui agens ex professo de calore vitali in animalibus 2. *de generat. animal. cap.* 3. asserit non esse ignem, nec ab igne originem habere, dicens: *Inest enim in semine omnium, quod facit, vt fœcunda sint semina, videlicet, quod calor vocatur. Idq; non ignis non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine spumosoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum. Quamobrem ignis nullum animal generat, neque constitui quicquam densis, vel humidis, vel siccis videtur. At verò Solis calor, & animalium, non modo qui in semine continetur, verum etiam si quid excrementi sit, quamquam diuersum à natura, tamen id quoq; principium habet vitale, cæterum calorem in animalibus contentum, nec ignem esse, neq; ab igne originem habere apertum ex his est*, quæ quidem adeo clara sunt, vt negari aut extorqueri nullatenus possint.

Secundò. Ex eodem *Arist.* 4. *Meteorolog. sum.* 1. *cap.* 2., vbi definiens putrefactionem dicit, quod sit *corruptio eius, quæ in vnoquoq; humido propriè, & secundum naturam caliditatis, ab aliena caliditate, hæc autem est quæ ambientis*: ex qua definitione euidentissimè colligitur alium esse calorem mixtorum, alium elementi ambientis: nam calor elementaris corrumpit, & putrefacit omnes res, etiam ipsum calorem cælestem, qui cuiq; mixto proprius & naturalis adest conseruatiuus earumdem rerum.

Quidam dicunt, quod calor vnicuiq; mixto eousq; naturalis est, & conseruatiuus, quousq; sit proportionatus humiditati mixtorum: quod si modicè augeatur supra humiditatem, ex conseruatiuo fiat destructiuus; & hoc augmentum fiat à calore ambientis: Quod sanè fateor non intelligere: nam in primis Aristoteles dicit, quod calor mixtorum corrumpatur, & pereat opere caloris ambientis, & à propria frigiditate, quæ exorta est per corruptionem proprij caloris: & non dicit, quod calor vitalis augeatur, ex quo augmento sequatur corruptio eiusdem: Deinde calor vitalis animalium perfectius nutrit si augeatur, vt patet ieiunio: tantum abest, vt auctus necare possit: Verumtamen est, quod si animal alimentum non sumeret etiam in bona valetudine interiret; quia calor vitalis valdè nimis augeretur, atq; absumeret innatum humorem, quo destituto, & consequenter ipse vitalis calor necessariò extingueretur. Igitur, quando ipsi dicunt, quod calor febris est idem calor vitalis nimis auctus; Respondeo, quod ieiunio augetur calor: cum verò ægrotantes ieiunio maximè conualescant; si augmentatio caloris supra humiditatem necaret, ægrotantes ieiunio citius necarentur; non conualescerent: oporteret autem ægros plurimum alimenti sumere, quia refrigerat ex *Aristotele de Iuuent. & Senect.*

neß. cap. 3. at experientia contrarium ostendit; quod multum alimenti necat. Ieiunio igitur reuiuiscit naturalis calor vitalis, qui prius à corruptiuo alieno ambientis erat depressus: & hic à vitali expellitur aut decoquitur.

Tertiò. Si calor vitalis animalium sit qualitas elementaris, & ortum habeat ab elementis; omnia animalia essent eiusdem naturæ: aut saltem non necarent se se inuicem qualitatibus suis; sicut contingit, vt quæ vocamus venenata necant alia animalia, quod non possent efficere si qualitates vitales animalium essent eiusdem naturæ, nimirum elementaris: nam calor ignis non agit in calorem alterius ignis; item ignis in cubiculo clauso necat homines,& animalia, quod non efficeret si essent eiusdem naturæ: ergo calor vnius animalis non posset agere in calorem alterius, & illum necare, neq; calor ignis in calorem animalis: opus est ergo, vt qualitates vitales animalium sint qualitates cælestes, quæ variæ, & diuersæ sunt secundum naturam à qualitatibus elementaribus, vt etiam contrariæ sint.

Dices. A venenatis necantur alia animalia, nimia vel frigiditate, vel calore elementaribus, quibus calor vitalis deperdit proportionem ad suam humiditatem, atq; ita corrumpitur. *Respondeo*, quod frigiditas elementaris non necat animalia; nam vsus potus gelidi cito prodest valetudini,& nix conseruat mixta à putrefactione: deinde omne animal habet calorem vitalem si victurum sit; ergo frigiditas remissa erit: Si verò calor venenatorum esset calor ignis, primò necaret ipsa venenata, quia ignis nullum animal generat, sed corrumpit: quod si dicas hunc calorem esse remissum, & temperatum, iam non est nimius, & destructiuus, contra suppositum, & non necabit quemquam.

Dices. Alibi à me dicitur, quod qualitates omnium animalium vitales pendeant à Sole, & Luna: ergo omnium erunt eiusdem naturæ,quia causæ eædem in omnibus. *Respondeo*, quod luminaria sunt quidem causæ qualitatum vitaliũ omnis generis animantium; sed tamen vniuersales, & indifferentes: diuersitatem verò in diuersis generibus, & speciebus efficiunt prout luminaria familiaritatem contrahunt cum reliquis Astris tàm fixis, quàm erraticis: & hinc emergit ratio diuersarum naturarum in ipsis hominibus, cum tamen qualitates vitales sint eiusdem generis,& speciei in omnibus: item causa quare aliquando generentur tot animalia perniciosa, vel in frugibus, & segetibus, vel in aere,vel in corporibus, vel in terra; vt vermes, serpentes, muscæ, atq; alia plura: de quibus innuit *Ptolemæus lib.* 2. agens de effectibus Eclipsium, *& lib.* 3. agens de monstris, & gemellis, de vitijs corporis, atq; alibi: generantur enim quando luminaria in suis Synodis, & Eclipsibus familiaritatem habent cum maleficis: è contra animalia vtilia, & salubria quando cum beneficis: hinc temporum electiones prodesse manifestum fit: hinc etiam causa discensionum, & inimicitiarum inter homines &c.

Quartò. Caloris vitalis origo in animalibus in corde est,vel parte proportionali ex *Aristotile de Respir. cap.* 2. nullo Medicorum discrepante: hoc autem signum est, quod non sit qualitas elementaris; quia totum corpus ex elementis mixtum est: quare si esset elementare, originem haberet ab omnibus partibus: Cum verò communicetur à corde tanquam à primo fonte ad omnes cæteras partes, signum est non esse elementarem.

Quintò. Calor animalium conuertit alimentum in chilum, lac, ſanguinem, carnem &c. itaut ad perfectiorem ſemper mixtionem contendat: quæ calor ignis non præſtat etiam temperatè, & cum humido applicatus; ſed omnia ad nigredinem conuertit, & potius ad corruptionem, & reſolutionem.

Dices primò. *Ariſtoteles 2. de Anima tex.* 41. reijciens ſententiam illorum, qui aſſerebant calorem ignis præcipuam eſſe cauſam nutritionis, & incrementi in animalibus: ait non eſſe cauſam præcipuam, ſed magis concauſam, & inſtrumentum Animæ: ergo Ariſtoteles cenſuit, quod calor in animalibus ſit calor ignis, & elementaris; & non alterius naturæ. Item *initio libri 4. Meteor.* dicit quatuor eſſe primas qualitates, quarum duas actiuas, & duas paſſiuas: ex quarum quatuor coniugationibus inſurgunt quatuor elementa: deinde declarans earum opera quibus inſunt, dicit eſſe generationem, corruptionem, & concoctionem, quæ animalibus inſunt, & plantis, & eorum partibus; ergo ex *Ariſtotele* generatio viuentium, & concoctio ſunt opera caloris, & qualitatis elementalis. Rurſus libro de reſpiratione ſic ait. *Anima elementari igne concoquit;* & paulò infra: *cateræ igitur Animæ vires ſine vegetali conſiſtere non poſſunt, vegetalis verò ſine igne naturali; hoc enim natura eam igniuit.*

Reſpondeo, quod *Ariſtoteles* ſæpius vocat calorem animalium nomine ignis pluribus de cauſis. *Primò*, quia vtitur nomine ignis tanquam nomine vniuerſali, ſub quo comprænhendere intendit omnem calorem. *Secundò*, quia conueniunt omnes calores ſub natura actiuitatis ignis in genere, omnis enim calor eſt maximè actiuus. *Tertiò*, vt ex ignis opere, natura, nutritione, multiplici extinctione, alijſq; paſſionibus poſſimus argumentari, & cognoſcere naturam, nutritionem, multiplicem extinctionem, & alias paſſiones caloris vitalis, quemadmodum magis peculiariter apparet *in cap. 3. de reſpiratione*; vbi à natura ignis nutritione, fluxu, velocitate, duplici extinctione, atq; alijs paſſionibus inueſtigat naturam caloris vitalis animantium, de quo agit ibi ex profeſſo, eius duplicem extinctionem, naturalem, & violentam, atq; cæteras paſſiones: Hinc loco citato 2. *de Anima* ſubinfert, quod ignis augmentum in infinitum eat, & quouſq; fuerit combuſtibile: at calor naturalis vitalis habet terminum, & magnitudinis, & augmenti, ſed non ignis. At ex loco *libri 4. Meteor.* ſupra iam oſtendi potius comprobari, & confirmari meam ſententiam; ſi tamen cenſeas *Ariſtotelem* nomine ignis accipere naturam quamdam vniuerſalem, ſub qua intelligatur omnis calor ſicut dictum eſt: nam loco citato afferens definitionem putrefactionis dicit eſſe corruptionem natiui caloris ab aliena caliditate, quæ eſt in ambiente corpore elementari; ex qua definitione euidentiſſimè colligitur calorem in mixtis putrefaciendis eſſe alterius, & diuerſæ naturæ à calore ambientis elementi putrefacientis. Et quod talis ſit intentio *Ariſtotelis* colligitur *ex eodem de partib. animal. cap.* 2. vbi calidum multiplici modo dici, & accipi poſſe demonſtrat; cum tamen calor elementaris ſit vna tantum qualitas, & vnius naturæ, quæ extendi non poteſt ad tanta, & tam diuerſa.

Dices ſecundò. Nō differunt qualitates elemētares à qualitabus cæleſtibus: nā Solis calor per intenſionem vnitur calori elementari: ignis enim addit calorem membris, animalis, & rebus omnibus à Sole calefactis: è contra, Sol addit calorem

lorem aeri, & rebus omnibus affectis calore elementari. At verò, quæ sunt eterrogenea, & diuersæ naturæ non possunt conuenire in eadem intensione: signum igitur est, quod calor Solis, & elementorum sint eiusdem naturæ. *Respondeo*, quod causæ diuersi ordinis, & naturæ efficiunt aliquando eundem in specie effectum, & conueniunt tanquam causæ partiales ad maiorem intensionem eiusdem qualitatis, & effectus; Vt motus localis fit à grauitate, ab impellente, & à virtute attrahente, verbi gratia magnetis: quæ causæ inter se differũt genere: attamen possunt cõuenire, & simul esse causæ partiales velocioris motus alicuius corporis, quem sic velocem non potest efficere vna tantum ex illis. Rursus, calor febris est corruptiuus, & hostis caloris vitalis; attamen vna cum ipso consumit aliquando distillationes humorum, quas nequit solus calor vitalis, aut saltem tam cito; atq; similia. Idipsum etiam contingit si causæ nobiliores, & superioris ordinis contineant eminenter in sua virtute qualitates diuersarum causarum inferiorum; sicut accidit in casu nostro: Cum enim sidera luce sua producant in rebus sublunaribus talem calorẽ, qui & præbet vitã animalibus, & attingit etiam productionem ignis, & elementorum: Sequitur vt cum animalibus producat animalia, cum elementis elementa, & eorum qualitates. Cum ergo Solis calor in elementari plaga contineat eminenter plures effectus, idest ignem, & animalium vitam &c. quatenus continet ignem conuenit cum effectibus ignis &c.

Dices tandem. Calor ignis moderatè applicatus generat pullos in ouis, & seminibus &c. sed ignis cum sit ignobilior viuente non potest continere neq; formaliter, neq; eminenter vitalem calorem: signum igitur est, quod vitalis calor sit eiusdem naturæ cum calore elementari: *Respondeo*, quod calor ignis moderatè applicatus allicit ad actum, seu accendit calorem illum vitalem virtute, & potentia præexistentem in ouis, & seminibus, paratum à Sole, & à causa specifica: Nam allicere ad actum non est formaliter producere effectum; alliciunt enim ad actum effectum sublunares causæ non modo diuersæ speciei, sed etiam diuersi generis ab ipso effectu; vt incubantes alliciunt ad vitam ab ouis omnia ferè quæcunq; animalia pennata; Terra è seminibus allicit ad vitã vniuersum genus herbarum, & arborum; Aqua Maris, & Lacuum vniuersum genus piscium; humiditas in fæno accendit ignem, & plura similia penè innumera. Cum tamen nec incubantes, nec Terra, nec Aqua, nec humiditas fæni possint dici veræ causæ per se respectu talium effectuum. Eadem namq; difficultas est de Sole, qui licet ignobilior viuente; tamen calore suo producit animalia ex putri; elicit enim ad actum, quæ prius erant in potentia ex prædispositione: nam putris materia est residuum mixti alicuius; quod mixtum dum corruptum est ex separatione, aut corruptione suæ formæ substantialis, relinquit corpus adhuc mixtum ex elementis refractis, & concoctis; quæ elementa antequam ad suum simplicem statum perueniant, ratione prioris refractionis, & concoctionis præbent se ipsa materiam dispositam ignobilioris animalis, & mixti, quam prius essent; quousq; tandem ad resolutionem in pura elementa perueniat: Interim fæcunditas luminis Solis ex illa materia, & residuo mixti corrupti nobilioris elicit animalia imperfectiora, vt sunt muscæ, vermes, &c.

 quæ

quæ ex puro elemento generari nullo modo possunt. Etenim eodem prorsus ordine, quo in generatione fit mixtum, deinde mixtum animatum, mixtum animatum sensibile, tandem mixtum animatum sensibile rationale: E contra ordine retrogrado post mortem hominis remanet materia disposita ad sẽsibile, deinde ad insensibile, ad inanimatum, tandem seorsim pura elementa. Et hęc est ratio quare præ omnibus alimentis primò loco carnes nutriant, deinde imperfectiora mixta; caro enim dicitur carnem efficere, quia est mixtum continens qualitates cælestes in maiori, & intensiori gradu, quam sit verbi gratia herba, & cætera mixta imperfectiora; ideoq; continet elementa magis refracta, & concocta: hinc igitur mixta perfectiora perfectius nutriunt; imperfectiora minus; pura elementa non nutriunt; etenim plantæ, & olera hauriunt quidem elementa, sed nutriuntur qualitatibus cælestibus, quæ à Sideribus communicantur ipsis elementis, & quibus decoquuntur: quapropter cuncta mixta interirent si motus, & lumen cælorum cessaret: & hinc est, quod adueniente Sole fit generatio, recedente verò corruptio, vt obseruauit *Aristoteles*; quia adueniente Sole plantæ hauriunt eius calorem, quo nutriuntur; & decoquuntur elementa: recedente verò priuantur ex parte, & crudescunt elementa; quare plantæ deponunt folia: quod si frigiditas sit nimia etiam intereunt, quia priuãtur ex toto; & pura elementa non nutriunt propter nimiam cruditatem.

Humiditas quoq; radicalis in viuentibus, quod non sit Aqua, aut aliud elemẽtũ, neq; ab elementis ducat originem colligitur euidentissimè ex *Aristotele de longitud. & breuitate vitæ cap. 3. per totum*; in quo ex professo inuestigat causã longitudinis vitæ in animalibus: Incipit autem per negationes: Vt quod non animalia maxima corpore, neq; parua, neq; plantæ, neq; sanguine prædita, neq; exanguia, neq; quæ in terra, neq; quæ in aquis: Inter plantas autem obseruat Palmam, & Cupressum esse longissimæ vitæ; & inter animalia sanguine prædita: Mox inquirit causam dicens: *oportet enim accipere, quod animal natura humidum, & calidum est, & ipsum viuere tale, senectus autem frigida, & sicca, & quod mortuum &c.* & concludit, quod oporteat non facile exsiccabile esse humidum; vnde colligit pinguia esse imputribilia; etenim humiditas pinguedinis inexsiccabilis est, sicut est oleum, butyrum, adeps &c. quæ nunquam exsiccantur, & sero corrumpuntur, immò si rectè expurgata sint nunquam, cito maiorem perfectionem acquirunt, itaut oleum in balsamum conuertatur: & ideo censeo, quod vsus rerum pinguium valde conferat valetudini. Rursus *ait Aristoteles, neq; parum oportet esse humidum; quia facilè exsiccabile ob paruitatem: Item opus est non leuiter esse corruptibile, non excrementitium &c.* & paulo infra, *in frigidis autem locis magis aqueum est humidum, quod in animalibus est &c.* tandem ait *Aquatilia autem gressibilibus minus longæ vitæ, non quia humida simpliciter, sed quia aquosa; tale autem humidum facile corruptibile, quia frigidum, & gelabile de facili.*

Ex quibus omnibus euidenter colligitur, quod *Aristoteles* distinguit humidum vitale ab humido elementari: nam humidum elementi non est pingue, sed est facillimè exsiccabile, & gelabile, excrementitium, corruptibile; etenim aqua de facili corrumpitur: & dum dicit, quod in frigidis locis magis aqueum est humidum,

humidum, & quod aquatilia greſſilibus minus longæ vitæ ſint, non quia humida ſimpliciter, ſed quia aquoſa; vtiq; colligitur aliud eſſe humidum aqueum, & elementare, aliud humidum vitale. Nam re vera ſi diuerſa non ſint humidũ elementare, & vitale ſequitur abſurdum magnum, quod non modò aquatilia eſſent longioris vitæ greſſilibus, ſed etiam quod eſſent immortalia: cum enim ſenectus ſicca ſit, & quod mortuum, & animantia calidi, & humidi defectu intereant, ſicut ſæpius docet Ariſtoteles, & quod animalia moriantur propter exſiccationẽ earũ partiũ in quibus reſidet calor vitalis: ſi in aquatilibus humiditas viuifica non ſit diuerſa ab aquoſa elementari; iam ſequitur neceſſario, quod aquatilia immortalia ſint, quia nunquam deeſt eis humiditas.

Neq; dicas piſces mori ex defectu caloris: Quia fruſtra *Ariſtoteles* inueſtigando longitudinem vitæ ſpectaret magis humiditatem, quam calorem. Deinde calor non extinguitur niſi deficiat pabulum cui inhæret, & quo alitur, & eſt humiditas.

Sexta Concluſio. Qualitates vitales vniuſcuiuſq; viuentium prius exiſtunt potentia, ſeu virtute, quam actu fiant.

Sciendum autem eſt *primò*, quod omne, quod fit à cauſis naturalibus ex aliquo fit, in quo exiſtat prius potentia: nam ſi in ipſo prius non ſit potentia, impoſſibile erit vt ex illo fiat; iã enim quodlibet ex quolibet fieri poſſet; quod abſurdũ.

Secundò. Sciendum hanc potentiam ſecundum diſtantiam multiplicem eſſe: quamproximam, remotiſſimam, & medias plures: potentia quamproxima eſt ſi nihil neq; intrinſecus, neq; extrinſecus prohibeat; adſint autem omnia requiſita; vt ex ſemine proximè fit animal: Potentia remotiſſima eſt ſi in materia adſit quidem potentia eius, quod efficiendum eſt; attamen deſint requiſita, adſintq; contraria repugnantia: vt homo ex terra: nam terra quidem materia hominis eſt, non tamen ſtatim, & proximè homo ex terra fit; ſed ex terra alimentum, ex alimento ſanguis, ex ſanguine ſemen, ex ſemine homo: Potentia media eſt, quæ minus remota eſt, vt ſanguis, & ſemen magis proximè fiunt ex terra, quam homo.

Tertiò. Omne, quod fit, opus eſſe, vt ſit in potentia proxima, alias enim ſi deſit aliquod requiſitum, vel adſit repugnans fieri non poterit.

Dico igitur, quod vitales qualitates viuentium prius exiſtant potentia, quam actu fiant; quæ potentia proxima ſit, vt ſtatim fieri poſſint.

Probatur primò, ex *Ariſtotele, qui 2. de anima cap. 1.* tradens definitiònem animæ, ait, quod ſit actus primus corporis organici, potentia vitam habentis: ac ſi dixiſſet; eſt actus talis corporis, quod ſit organicum, & habeat potentia vitam, & potentia non remota, ſed proxima: etenim ſi corpus non habeat potentiam ad fieri animatum, ideſt non contineat potentia vitam, aut potentia ſit remota, forma eius, quamuis perfectiſſima, non poterit eidem conferre operationes vitales: ergo neceſſarium eſt, vt qualitates vitales præexiſtant potentia, & potentia proxima ad hoc vt fieri poſſint actu, ſeu ad actuale exercitium exire. *Item 2. de gener. animal. cap. 3.* ait, vegetalem animam in ſeminibus prius potentia, quam actu exiſtere: immò etiam ſenſibilem, & rationalem. Rurſus *Ariſtoteles de iuuent., & ſeneſt. cap. 14.* conſtituit duplicem mortem animalis violen-

tam,

tam, & naturalem dicens. *Mors enim est, hæc quidem violenta, illa autem secundū naturam. Violenta quidem quando principium extrinsecus fuerit. Secundum naturam autem quando in ipso, & partis consistentia ex principio talis, sed non aduentitia aliqua passio*, nomine principij extrinseci intelligit omne violētum ab extra aduentitiū, à quo aliqua passio inferri possit: naturalis ergo mors fit ex defectu principij intrinseci; non per aliquam passionem ex superueniente contrario corrumpente. Vnde post medium ferè capitis subinfert. *Quapropter, & sine dolore est, quæ in senectute mors; nulla enim violenta ipsis passione contingente moriuntur: sed insensibilis animæ absolutio fit omnino*. Quæro igitur, quæ sit ratio defitionis intrinseci principij: intrinsecum quidem principium proculdubio est calor vitalis; nam paulo infra ait, *Vita autem est mansio huius*, idest caloris, prout inferius subiungit, *Mors est calidi extinctio &c.* Igitur si mors est extinctio caloris; & mors naturalis, ex defectu principij intrinseci: violenta vero ab extrinseco corrumpente: profecto sequitur, quod calor vitalis pendeat ab aliquo principio, & virtute præexistente: Quæ alia non potest esse, nisi hæc virtus potentia calor: quæ in vltima senectute vbi iam secundum totum ad actum exierit, & fuerit euaporata in multitudine vitæ, vt ait *ibid. Arist.* tandem deficiat insensibiliter, & consequenter deficiat etiam vitalis actu calor, non secus ac deficit lumen ex defectu candelæ. Ratione probatur.

Secundò. Viuens generat sibi simile in specie per semen tanquam per instrumentum; sed id non potest efficere nisi communicando semini virtutem, & potentiam ad qualitates vitales, & ad ipsam vitam, ergo potentia, & virtute præexistunt in semine qualitates vitales.

Tertiò. Si qualitates vitales fieri possent absq; eo, quod præexisterent potentia, fieri possent in omni quouis assumpto corpore, quod naturaliter impossibile est; neq; enim qualitates vitales generari possunt in alio corpore, quam in ipso semine, vel corpore seminalibus virtutibus affecto.

Quartò. Non tantum in viuentibus, sed etiam in omni corpore qualitates actuales connaturales præexistunt potentia: nam si à contrario aliquo afficiantur contrarijs suæ naturæ qualitatibus se se restituunt ad pristinas, & connaturales qualitates; hoc enim efficiunt virtute præexistentis potentiæ. Sunt qui dicant restitui à generante; at vero generans est causa remota, & absens; hic autem quæritur causa propinqua, & præsens: Quare alij dicunt à forma substantiali: quod quidem in formis materialibus admitti potest; at anima rationalis nullam habet vim, seu virtutem producendi calorem, vel frigiditatem &c. necessarium est igitur fateri restitutionem ad pristinas, & connaturales qualitates fieri à præexistente virtute, & potentia.

Ex quibus colligitur, quod natura præordinat potentia qualitates, & virtutes vitales in paruis seminibus; à quibus, licet minutissimis ingentes elicit effectus; & insuper quamuis paruo tempore à sua causa proxima conceptis, & editis; tamen exhibent effectus qui longissimam vitam viuant.

Septima Conclusio. Qualitates vitales, actuales, iugiter, & successiuè semper fiunt, & fluunt à suis virtutibus, & potentijs: itaut eorum esse non sit in quiete, sed semper in motu emanationis à suis potentijs, & virtutibus.

Probatur

Probatur primò ex *Aristotele de iuuent. & senect. cap. 3.* in quo agit de duplici vitalis caloris extinctione dicens. *At verò ignis duas ? idemus corruptiones, marcorem, & extinctionem. Vocamus autem eam quidem, quæ à se ipso, marcorem, eam autem quæ à contrarijs extinctionem, illam quidem senectutem, hanc autem violentiam &c.* & paulo infra ait. *Ignis autem perseuerat semper fiens, & fluens, sicut fluuius.* Vbi cauendum, quod *Aristoteles*, agens de calore vitali, vtitur exemplo Ignis; immò censeo, quod verè semper loquatur de hoc calore, sed sub metaphora, & nomine Ignis; aut certè loquitur de vtroq; simul, sed ab Igne, sicut dixi tanquam à notiori transit ad cognitionem caloris vitalis. Ignis ergo, siue quiuis calor, & maximè animalis, de quo ibi agit ex professo *Aristoteles*, perseuerat semper fiens, & fluens, sicut fluuius, in quo successiuè semper partes recedunt, & nouæ semper accedunt: quare sequitur, quod calor vitalis successiuè semper fiat, & fluat a suis virtutibus, & potentijs.

Secundò ratione. Omne agens agendo repatitur; sed qualitates vitales successiuè, & incessanter semper agunt, ergo successiuè semper repatiuntur: At verò qualitates dum repatiuntur remittuntur, seu corrumpuntur secundum gradus intensionis, ergo necessario de nouo successiuè semper fluunt, & fiunt: Maior propositio est in controuersia apud Philosophos, mihi tamen nunquam persuadere possem, quod agens agendo non repatiatur à passo illi contrario; si tamen vtrumq; sit actiuum, & intra spheram alterius ad alterum, & communicent in materia: quibus sic stantibus fateor non intelligere, quanam ratione tota passio contingere debeat ex parte vnius, & tota actio ex parte alterius: At sanè calorem, & potentias animalis ab alimento repati, fateri conamur euidentissimis experimentis in ijs, qui plus alimenti sumunt, quam calor vitalis superare, & decoquere possit: aut si sit corruptiuum, & lethale; ægrotant enim, immò, & pereunt: Præterea alimentum est necessarium ad refrigerandum calorem vitalem: alias enim calor nimis augeretur, & destrueret omnem humiditatem, quia successiuè semper fit, & augetur: ergo calor repatitur, quia refrigeratur: Ex hoc autem euidentissimè constat calorem semper fluere, & fieri de nouo: Minor illa, quod scilicet qualitates vitales successiuè semper agant, patet, quia successiuè semper se exercent in actibus vegetatiuarum potentiarũ.

Tertiò. Vniuersaliter loquendo de omni qualitate actiua, & in quouis corpore, probo, quod successiuè euaporet, & successiuè fluat & fiat. Omne agens habet determinatam sphęram suæ virtutis, seu qualitatis actiuæ; quam ita circa se tenet, vt quocumq; moueatur, circa se habeat semper eandem spheram qualitatis actiuæ; itaut non remaneat in locis retro dimissis, nisi fors leuis, & parũ duratura dispositio: ergo qualitas actiua successiuè euaporat in locis, quæ successiuè relinquuntur: E contra in locis ad quæ peruenit causa actiua successiuè generat suam qualitatem in partibus anterioribus, itaut semper manuteneat eandem sphęram: ergo ibidem qualitas actiua successiuè fluit per generationẽ, seu emanationem à causa principali. Aut certè dicendum esset, quod sphęra illa actiuitatis agentis moueretur localiter ad motum suæ causæ, & principij, immoto persistente medio, quod est subiectum illius; quare accidens moueretur localiter sine subiecto, & migraret de subiecto in subiectum; quæ absurda

sunt:

funt: Opus eft ergo, vt qualitas actiua fuccefsiuè femper fluat,& emanet à fuo principio, & potentia.

Dices. Qualitas actiua intra fphęram agentis non emanat, neq; fluit fuccefsiuè, fed manutenetur. *Refpondeo*, manutenentiam effe fuccefsiuum quemdam influxum, quo caufa influit fuccefsiuè femper conferuationem: nam quandocunq; caufa remoueret influxum manutenentiæ; effectus, & qualitas corrumperetur.

Quartò. Lumen quod producit Sol in noftro hemifphęrio fingulis diebus nõ eft idem numero, fed funt plura numero lumina: ergo lumen quod emanat à Sole non eft femper idem, fed fuccefsiuè femper diuerfum, & nouum, quamuis eiufdem femper naturæ ratione identitatis caufæ.

Dices. Diftinguuntur dies ratione actionis operatæ in fubiecto noftri hemifphęrij, & ratione nouæ applicationis caufæ: quod fi Sol non remoueatur, lumen eius erit femper idem numero. *Refpondeo*, quod lumen Solis eft femper idem numero quatenus procedit à Sole; fed quia procedit fuccefsiuè, ideò fubdiuiditur in plura numero lumina dierum, quod nifi effet ens fuccefsiuum fieri non poffet, neq; enim aliquid diuidi poteft,nifi fuccefsionem admittat. Cæterũ diuifio fit emanationis luminis:etenim lumen,quod emanat hodie non eft idem numero, quod emanauit heri &c.

Quintò. Tandem. Modus agendi fequitur modum effendi; fed modus agẽdi qualitatis actiuæ eft fuccefsiuus ad intenfiores femper gradus, & partes etiã interiores fubiecti patientis; ergo modus etiam effendi eft fuccefsiuus ad nouos femper gradus qualitatis, & partes remotiores medij intra fphęram virtutis, vbi fuccefsiuè euaporat.

Conftat igitur, quod qualitates vitales actuales iugiter, & fuccefsiuè femper fiant, & fluant a fuis virtutibus, & potentijs: cum verò non modo ipfæ qualitates vitales fuccefsiuè femper euaporent, & de nouo fiant, verum etiam partes quoq; corporis fuccefsiuè recedant, & aliæ de nouo fiant per nutritionẽ,& augmentationem; hinc exorta eft quæftio inter Philofophos,an idem numero animal fit, & perfeueret per totam vitam: nam poft multa tempora videtur per totum renouari: de qua tamen re nihil ad nos.

Ex dictis fequitur, quod in animali præordinentur potentiæ qualitatum vitalium, tàm quoad inchoationem, quàm quoad durationem. Quoniam autem hæ potentiæ præordinantur multò tempore antequam fiant, & fluant ad actũ; poterit quis obijcere hanc præordinationem effe impoffibilem: etenim non apparet ratio quomodo eant ad actum fuccefsiuè cum ordine,& quare non omnes fimul. Ad quæ refpondeo, quod ficut natura de facto in animalibus præordinat virtutes, & potentias ad plures effectus per ordinem, & fuccefsiuè ad actum ituros fuis temporibus: vt in femine adeft virtus præordinata ad mẽbra, quæ tamen non omnia fimul oriuntur, fed primò cor &c. vt eft videre apud *Arift. de Hiftor. & Generat. animal.*: Ita fimiliter dico, quod qualitates, & virtutes ita præordinantur,vt ad actum ituræ fint fuccefsiuè per ordinem fuis temporibus.

Octaua Conclufio. Exercitium, operationes, feu effectus potentiarum diftinguuntur

guuntur ab ipsis potentijs. Patet: nam effectus distinguitur semper à causa efficiente: idem enim non potest se ipsum efficere: aut certè nihil noui producit quam quod prius erat: tandem per exercitium potẽtiæ ponuntur in actu secundo, in quo aliquid fit de nouo, quod prius non erat, quando potentiæ erant in actu primo.

Nona Conclusio. Vt potentiæ vegetatiuæ animalis possint agere, & exercere suas operationes, necessaria est materia exercitij, idest alimentum. Hoc etiam patet: quia idem, quatenus idem, non potest esse causa efficiens, & subiectum patiens: Quod autem alimentum patiatur à potentijs animalis, docet *Aristoteles 2. de anima sum. 3. cap. 2.* & suadet quoq; ratio: nam opus est, vt alimentum fiat simile substantiæ animalibus, vt in eius substantiam conuerti possit: ergo alterari debet à potentijs animalis.

Cum verò omne quod fit, præexistat in potentia proxima, sequitur vt alimẽtum debeat esse in potentia proxima substantiæ animalis: & si non sit eo diutius, & difficilius à potentijs animalis disponi necesse erit, vt in eius substantiam conuerti possit, quo magis potentia remotior erit. Sunt autem in proximiori potentia ad esse substantiam animalis mixta omnia perfectiora, & quæ sunt residuum mixti perfectioris, sicut carnes animalium sanguinis calidi; nam talia mixta continent elementa perfectius concocta, & refracta; quare etiam qualitates cælestes perfectiores, & intensiores.

Vnde sequitur, quod Mixta perfectiora facilius, & perfectius nutriant animal; imperfectiora minus, & tardius; pura elemẽta nullo modo: Nam omne quod transmutatur in aliud, debet esse in potentia proxima ad illud; & si non sit, opus est disponi; alias enim nunquam in illud transmutabitur: mixta autem perfectiora sunt magis proximè in potẽtia ad esse animal; imperfectiora minus proximè; pura elementa remotissimè.

Sunt etiam alia mixta perfecta, quæ licet non nutriant, quia non conuertuntur in substantiam animalis; suis tamen qualitatibus cęlestibus valde conferunt ad conseruationem animalium: vt Aurum, Argentum, Margaritæ, Hyacinthus, Coralia, & similia.

Decima Conclusio. Vt potentiæ sensitiuæ animalis possint exercere suas operationes, necessaria est materia exercitij, sunt autem ipsa sensilia.

Cauendum tamen est, sensilia dupliciter spectari; quatenus ad extra sunt, idest quatenus procedunt ab obiectis; & quatenus ad intra, idest quatenus recipiuntur ab organis potentiarum: Quatenus procedunt ab obiectis actiua sunt, mouent enim sensus; quatenus inhærent organis, sunt materia circa quam se exercent potentiæ sensitiuæ.

Sensilia, quæ mouent sensus, sicut supra dixi, sunt colores, voces, odores, sapores, & tactilia.

Vndecima Conclusio. Colores simplices primi sunt quatuor, qui efficiunt duplicem contrarietatem ad instar primarum qualitatum: vna est albedo, & nigredo; altera lumen, & tenebrę.

Et sanè quidem, quod albedo, & nigredo sint duo primi colores simplices patet sẽsibus, ex quorum deinde permixtione fiunt intermedij colores cinericij: difficultas remanet de lumine, & tenebris.

Nomine autem luminis inter colores non intelligo lumen corporis luminosi, quod emanat à Sole, & Igne, & est actus perspicui; sed accipio colorem, qui est effectus luminis quatenus intensũ est: & sunt omnes colores, qui declinãt ab albo, & nigro, & ex his permixtis: omnes igitur colores alios censeo esse effectus intensionis luminis, ideoq; lumen inter colores voco: cæterum contingunt varij colores in infinitum possibiles, tum ratione permixtionis maioris, vel minoris albedinis, tum ratione maioris, vel minoris luminis; vt color flauus, qui est ferè serici crudi, cum magna albedine parum luminis continet; rubens cum modica albedine plurimum luminis habet; ceruleus cum mediocri albedine plurimum luminis obtinet, & similiter de reliquis intermedijs mixtis.

Sciendum autem est *primò*, quod colores sunt qualitates secundæ, habent enim originem à primis quatuor, quæ sunt calor, frigiditas, humiditas, & siccitas: constat hoc ex supradictis, & Philosophi omnes cum Aristotele, qualitates vniuersas ad primas quatuor reuocant.

Secundò. Sciendum, quod cum plura sint genera primarum qualitatum, sicut ostensum est, scilicet elementorum, & mixtorum, quas qualitates mixtorum voco cælestes, sicut dixi, quia ab Astris pendent, & à causis proximis suæ speciei, vel huiusmodi dispositionis, & nullo modo ab elementis: sequitur necessario, vt etiam plura sint genera quatuor simplicium colorum, idest albedinis, nigredinis, luminis, & tenebrarum; quod scilicet alij sint colores elementorum, alij mixtorum cælestes. Constat etiam hoc experimento; nam vt habet *Aristoteles 3. Meteorolog. sum. 2.* alij colores in medio perspicuo fiunt à Sole, alij ab igne; immò ipsæ res coloratæ non apparent eiusdem coloris ad lucernam, & de die ad Solem adeout artifices decipiantur: & re vera lux ignis omninò secundum naturam diuersa est à luce Solis, nam lux ignis expositi ad lucem Solis non percipitur, sed latet, cum tamen, si esset eiusdem naturæ, vtiq; lux intensior ex vtraq; fieret. Item constat, quod ipsa elementa expoliata omni qualitate cælesti habent suos colores, vt terra nigra est, ignis candens, aqua, & aer propter perspicuitatem non adeo sensibiles colores exhibent; quamuis aqua ad viriditatem, aer ad ceruleum inclinant; etenim aqua frigida, & humida est, aer humidus, & calidus. Rursus patet ex Phisiognomica; nam color flammeus, seu candens, ignei caloris signum est, iræ scilicet, vindictæ &c. Solaris autem, & optimus color est, qui temperatur ex albo, & sanguineo. Apparent quoque colores elementorum in ferro quando ope ignis temperatur ad variam duritiẽ: fiunt enim in eo diuersi colores, prout calor intenditur, vel remittitur; vt albus, puniceus, ceruleus, aureus, & alij hos verò colores esse maximè elementares manifestum est. Tandem constat differendo ex ipsis coloribus: nam ex colore aureo non potest fieri candens, neq; viridis, neq; violaceus, neq; leonatus: hi enim colores mixti sunt ex coloribus pendentibus à primis qualitatibus cælestibus simul, & à qualitatibus elementorum.

Colores elementorum sunt albedo fusca ad nigrum inclinata, puta stamni, vel ferri expoliti, quæ in comparatione albedinis Argenti optimi fusca, & nigrior apparet: huic albedini opponitur profundissima, & teterrima nigredo. Color candens, seu ignis; & tenebræ obscurissimæ.

Quod

Quod verò præter album, & nigrum, & ex his permixtos colores, reliqui sint effectus intensionis luminis.

Probatur primò Ex perientia: nam colores omnes, vt flauus, rubens, puniceus &c. in fructibus fiunt à Sole, cuius calore maturescunt, & tunc simul recipiunt colores; nam quousq; fructus pallidi sunt, & virides insipidi sunt ex copia humoris crudi. Item colores Iridis à Sole fiunt; nam de nocte non apparet Iris cum alijs coloribus, nisi cum albedine, & cinericio: lumen verò Solis differt à lumine Lunæ secundum intensionem. Ignis quoq; varios colores efficit, tàm in solidis, quàm in aere, vt patet experientia, & innuit *Aristoteles in Meteorolog. lib. 3. sum. 2. cap. 3.* Tandem constat, quod ignis in materia densa cum sit intensioris caloris, habet etiam intensiorem colorem, & lucem: in materia rara remissiorem vtrumq;

Secundò probatur. Omnis actiuitas ab intensione qualitatis actiuæ ducit ortū, sicut ostenditur *cap. 12.* sed quæ colorata sunt varijs ex permixtione luminis coloribus, constat quod habeant varias, & diuersas qualitates, & virtutes actiuas, & præ cæteris colorandi, quæ qualitas actiua est; ergo colores illi ex intensione qualitatum actiuarum procedunt: minor patet experientia in cunctis rebus, & Aristoteles in Phisiognomica *cap. 10.* & alibi dicit flauum, & rubeum colorē esse signa actiuitatis, audaciæ, astutiæ, magnanimitatis; flammeum, iræ, indignationis, & similia, quæ sunt affectiones actiuæ.

Tertiò. Quæ tingunt, & colorant, vel sunt mixta, sunt enim flores, folia, fructus, herbæ, radices, cortices, arbores, vinum, mineralia, animalia, vt Purpura &c. quæ omnia habent qualitates cælestes, quæ à Sole primum, & principaliter exhibentur, à quo qualitates actiuæ cælestes procedunt, & consequenter etiam ipsa virtus coloratiua: Vel sunt ipsa elementa actiua, vt ignis, fumus, terra ignita, vel per ignem affecta, vt lateres, cinis, fuligo &c. quæ ab igne, & eius actiuitate ducunt originem. Satis ergo constat, quod omnes colores qui ab albo, & nigro, & permixtis ex his declinant, sint effectus intensionis luminis, & qualitatis actiuæ, quæ est calor.

Quod verò è contra Albedo sit color merè passiuus, & ad alios colores se habeat, vt materia, & qualitas passiua, quæ est humiditas, patet *primò* ex hoc, quod albus color permixtus cum quouis alio colore, nihil aliud efficit, nisi quod disgregat colorem, itaut augeat secundum quantum, & remittat secundum quale; idem efficit aqua, quæ humida est. *Secundo* patet, quia albedo est receptiua cuiusuis coloris, illumq; exhibet eo modo, quo in se est, nisi tantum cum disgregatione, vt dixi, & constat miscendo album colorem cum quouis alio: non ita reliqui, vt experiuntur Pictores, efficiunt enim si misceantur tertium aliquē colorem. Tandem *Aristoteles in Phisiognomica* ait, quod albedo, nigredo, & ex his permixti colores, idest pallidus, sint signa timoris, hoc quod materiæ, & humiditatis proprium est, quibus nulla actiuitas; ait etiam, quod albedo sit propria mulierum, sicut patet experientia; at verò *lib. 1. de generat. animal. cap. 2. & lib. 2. cap. 4. & alibi* dicit, quod in generatione mulieres se habent tanquā subiectum, & materiam, & quod præbent materiam: mulieres autem humidę sunt nimis, & humiditas emanat à materia, vt supra dixi. *Idem in Problem. sec. 38.*

num. 9. dicit albedinem ab humiditate prouenire.

Ex quibus infertur, quod nigredo ſit effectus ſiccitatis, & tenebræ frigiditatis, quod experientia ipſa demonſtrat, vt atra bilis virtute frigida eſt, & ſicca.

Dices primò. Ignis calidus eſt, & ſiccus: attamen cum lumine habet aliquã albedinem. *Reſpondeo,* illam non eſſe albedinem, ſed intenſionem luminis: nã lux ignis ſi ſit in carbone, ferro, vel alio ſimili corpore nigro, nullam poteſt habere albedinem, vt patet extincta luce ignis.

Secundò Dices. Argentum, Calx, atq; plura alia corpora alba, ſicca ſunt: ergo albedo non emanat ab humido. *Reſpondeo*, quod elementa efficiunt in mixtis varios colores, prout in ipſis reperiunt varias qualitates cæleſtes: nam ignis efficit alba quædam corpora, alia nigra, & alterius etiam coloris; eadem efficit aqua, & Sol: In Argento autem adeſt humiditas cæleſtis, quæ à Luna maximè communicatur; nam neq; Aurum actu calidum eſt, quamuis habeat cæleſtem calorem potentia, & virtute. Ex hoc autem cenſeo, quod ſi ex Auro, & Argento optimo fierent vaſa coquinæ, quam maximè conferrent valetudini ſumentium cibos in ipſis decoctos, quia ſcilicet Argentum profit humiditati radicali, Aurum calori vitali.

De reliquis ſenſilibus partim dictum eſt, partim alibi dicendum, partim nihil, vel parum referunt; niſi tantum obſeruandum, quod in omnibus eſt sẽper diſtinguere intenſionem, & extenſionem, intenſio eſt maior, vel minor gradus eiuſdem in ſpecie qualitatis ſenſibilis, qua intenſione magis, vel minus mouet ſenſum: Vnde fit, vt quæ ſenſilia nimis ſecundum gradum qualitatis actiuæ intenſa ſunt adeo moueant ſenſum, vt etiam corrumpant; quare dictum illud, quod vehemens ſenſibile corrumpat ſenſum, intelligitur de ſenſibili quatenus eſt qualitas nimis intenſa. Extenſio qualitatis ſenſibilis, eſt extenſio ſubiecti, cui inhæret. Item ex tanta varietate ſaporum, & odorum, qui non reperiuntur in elementis, neq; in omnibus terræ partibus, ſed in aliquibus tantum; argumentum euidentiſſimum aſſumi poteſt has qualitates non eſſe elementa, neq; ab elementis ortum habere, ſed eſſe qualitates cæleſtes. Hactenus de ſenſilibus.

Mores hominis, ſiue dicamus habitus morales habent duo; corpus mixtum, ſeu organa potentiarum; & ſpecies, ſeu phantaſmata; illud ſe habet tanquam materiam; ſpecies rerum ſunt formæ inhærentes.

Fama rerum hominis item conſtat ex ſubiecto, & accidentibus: ſubiectum ſunt res ipſæ quatenus ſunt pura entia, quæ per famam huc illucq; deferuntur, & pertranſeunt; & vt ſic ſe habent tanquam purum ſubiectum, & materiam: accidentia ſunt in qua ſpecie rerum fit ipſa fama, puta literarum, armorum, dignitatum, magnanimitatis, aſtutiæ, vel ſimplicitatis, ignorantiæ, vecordiæ, abiectionis, atq; huiuſmodi.

Valetudo eſt ipſum viuere, quod à qualitatibus vitalibus pendet, ſicut dictum eſt: valetudo ſe habet vt ſubiectum, & multiplex eſt ſecundum quale, ſcilicet, vel bona, vel ægra, vel media, prout fuerit varijs affecta qualitatibus.

Adeſt etiam in rebus omnibus conſeruatio, & reſtitutio ad priſtinas connaturales qualitates actuales, quæ conſeruatio, & reſtitutio fit à qualitatibus vir-

tualibus

tualibus intrinsecis communicatis ipsis rebus à suis causis efficientibus: cum verò hæ qualitates virtuales communicentur ipsis effectibus à suis causis, dum effectus intra causarum vires, & influxum commorantur; sequitur vt effectus, quia quando separantur à suis causis, fit in ipsis vnio, & nexus secundum qualitates virtuales, quas tunc obtinuerant ab ijsdem suis causis, sequitur inquam, vt etiam se se restituant, & conseruent in actualibus qualitatibus per totam suam durationem. Hinc necessarium omninò sequitur, vt Medici cognoscant intrinsecum temperamentum ægrorum, quod in qualitatibus virtualibus consistit, quarum ope ad qualitates actuales connaturales valeant illos restituere, & reddere bonæ valetudini, iuxta suam vniuscuiusq; naturam, quam ex Phisiognomia, colore, voce, statura, membrorum proportione, tum demum excrementis cognoscere possunt.

Quo ad rerum tempora cauendum est res naturales quæcunq; sint, aut quiescere, aut moueri, licet ipsa quies motum saltem alterationis semper includat: motus autem earum, & quies aut mensurantur motu cæleſtium mobilium, ideſt tempore, aut ab ipsis cæleſtibus mobilibus tãquam à causis efficientibus fiunt, itaut in esse, & conseruari pendeant: Quatenus numeris motus cæleſtium mobilium mensurantur, non subijciuntur influxui eorum, quia tempus non influit in rerum motum, & quietem: Quatenus vero efficiuntur, & pendent in esse, & conseruari, manifestum est, quod cæleſtia mobilia, tanquam causæ in rerum motum, & quietem positiuè influant. Igitur quando nos quærimus rerũ motarum, & quiescentium annos, & tempora, vel petimus numerum motuum cæleſtium mobilium, ideſt ipsum tempus, quod tamen non influit in res, quarum durationem metimur, vt dixi; vel quæ sint causæ huiusmodi motus, & quietis, quæ influunt motum, & conseruationem rebus; tunc enim non signa scrutamur, neq; numeros motus; hæc enim postea innotescunt, nimirum quando cognouerimus realem, & positiuum causarum influxum, quem deinde metimur tempore, seu numeris motus mobiliũm. Quare cæleſtia mobilia cum sint causæ, quæ positiuè influunt rerum durationem, & conseruationem, sunt simul & signa temporis durationis earumdem: Similiter, & in ipsis rebus sunt tempora effectæ conseruationis, & ipse effectus conseruationis.

Duodecima Conclusio. Cæleſtium motuum effectus in rebus inferioribus non est purum tempus durationis rerum; sed positiua conseruatio, siue in motu, siue in quiete: tempus autem durationis rerum est quid consequens, & posterius: Patet; nam in ipsis effectibus tempus vitæ, & conseruationis rerum non est aliquid distinctum ab ipsa vita, & conseruatione, sed quid coniunctum, & necessario consequens: prior enim est vita, & conseruatio, quam necessario sequitur tempus, & mensura.

Decimatertia Conclusio. In ipsis cæleſtibus mobilibus causa temporis rerum non est tempus motus mobilium; sed est realis, & positiuus influxus, quo positiuè influunt rebus conseruationem.

Probatur. Causa conseruationis rerum est, quæ positiuè influit rebus conseruationem: sed tempus non poteſt influere conseruationem, est enim numerus motus, quorum neuter influit positiuè; & numerus quidem de se non est actiuus,

neq;

neq; motus, vt alibi ostensum est: ad summum enim motus est causa requisitæ conditionis applicationis, & successiui modi influendi Siderum, tum etiam diuersarum passionum eorumdem: opus est ergo, vt causa conseruationis rerũ influat reali, & positiuo influxu, & actione.

Quoniam verò non desunt Auctores qui censent, quod calor qui producitur à Sole non habeat frigiditatem positiuam contrariam, sit

Decimaquarta Conclusio. Calor cælestis, qui à Sole fit, habet positiuam frigiditatem sibi contrariam. Patet *primò* ex *Aristotele*, qui ait, quod adueniente Sole fit generatio, recedente verò corruptio: sed alibi sæpissimè dicit, quod generatio fit per calorem, & humiditatem, & corruptio per frigiditatem, & siccitatem etiam in animalibus, in quibus calor, & humiditas cælestes sunt.

Secundò. Patet ex eo, quod Aqua non concrescit, nisi quæ Solis calore prius fuit excocta; nam aqua in stagnis non cōgelascit nisi ex parte superiori Soli exposita: neq; generatur grando nisi tempore magni caloris Solis: hoc autem signum est, quod aqua transeat à calore Solis ad eius frigiditatem illi calori contrariam: nam alias aqua in puteis, & in antris terræ frigidissimis aliquandò concrescere deberet: quod cum nunquam contingat, signum est, quod frigiditas glaciei sit frigiditas Solis, & non elementaris.

Tertiò. Glacies frigidior, & densior est aqua; sed si eius frigiditas esset elementaris proculdubio glacies grauior esset quam aqua: at verò supernatat, ergo signum est, quod frigiditas illa non sit elementaris, sed cælestis. Quod aliqui dicunt intra glaciem reperiri aerem, futile est, cum non appareat modus quo introierit; deinde non esset sufficiens ad substentandam eius grauitatem.

Quartò. Actualis frigiditas Cadaueris, & cuiusuis corporis emortui, cuiuslibet quoq; mixti frigidi, vt herbarum, frugum, animalium veneno frigido præditorum, & similium, non est qualitas elementaris; ergo cælestis: Antecedens patet primò; nam huiusmodi corpora sunt mixta, sed qualitates actuales mixtorum non sunt elementares, sed sunt superioris ordinis, & naturæ, vt supra in hoc capite pluribus rationibus ostensum est. Secundò patet; nam in mixtis elementa, & eorum qualitates non sunt actu, sed potentia, itaut sensibus patere non possint; quia quod actu non est, non potest actu agere, & mouere potentias sensuum.

Dices. Calor Solis fit ab eius lumine; sed lumen Solis non habet contrarium positiuum; nam tenebræ sunt priuatio luminis; ergo neq; calor Solis habet contrarium positiuum; contrariorũ enim contrariæ causæ, & positiui effectus positiua causa; ergo frigiditas contraria calori Solis non poterit fieri, nisi à contraria, & positiua causa: cum verò non appareat causa contraria positiua, quia tenebræ non sunt quid positiuum, neq; inueniri poterit effectus contrarius positiuus calori Solis. Ex hoc autem infertur, quod Sol sub terram nihil influat, & quod radij, & Domus, & omnium Siderum sub terram degentium influxus sint inanes, contra doctrinam totius ferè huius Operis. Et confirmatur ex eo, quod Eclipses, Cometes, & omnia Sidera, quæ nobis non apparent in nos non agunt.

Hæc difficultas est maxima omnium, quæ excogitari possit in hac discipli-

na,

na, pro cuius solutione Sciendum est *primò*, quatuor primas qualitates cuiuscunq; generis, & naturæ sint, ita esse contrarias inter se, vt quiuis calor sit contrarius cuilibet frigiditati, & quælibet frigiditas omni calori, quamuis constituantur plura genera caloris frigiditatis &c: Vt calori Solis contraria est omnis frigiditas, etiam elementaris: nam adueniente Sole, eius calor destruit omnem frigiditatem etiam elementorum: è contra, recedente Sole, omnis frigiditas, siue elementaris, siue mixtorum destruit calorem à Sole productum. Similiter humiditas Lunæ humefacit omnem siccitatem etiam Elementorum, & omnis siccitas etiam Elementorum exsiccat omnem humiditatem etiam à Luna productam: nam propterea magis idonea sunt ad qualitates vitales, & esse corpora animata Elementa, & qualitates Aquæ, & Aeris, quam Terræ, & Ignis, quæ idcirco nimis contraria sunt mixtis.

Secundò. Sciendum, quod qualitates, quæ fiunt ab aliqua causa in aliquo subiecto præter naturam illius subiecti, recedente causa, eodem ferè spacio temporis destruuntur, & corrumpuntur, quo productæ fuerant: etenim contrariorum eadem est disciplina.

Tertiò. Quod eadem causa, ratione præsentiæ, & absentiæ producit effectus contrarios positiuos: ita *Aristoteles 2. Phys. tex. 30.* vbi hæc habet. *Amplius autem eadem causa contrariorum est, quod enim præsens causa huius est, hoc & absens facimus aliquando causam contrarij: vt absentiam gubernatoris nauis subuersionis, cuius erat præsentia causa salutis.* Et quoad primas qualitates patet ratione: Nam in materia, & quouis subiecto necessaria est omnino tota latitudo intensionis, vel eiusdem qualitatis, vel cum supplemento qualitatis contrariæ: vt si adsint quinq; gradus caloris, opus est, vt adsint quoq; tres gradus frigiditatis, sicut alibi dictum est ex communi Philosophorum sententia: Et hoc ita necessarium est ex natura rerum, vt censeri etiam possit, quod frigiditas ex defectu caloris fiat, & intendatur violenter, eo prorsus modo, quo violenter ascendunt grauia, & descendunt leuia contra naturam ad prohibendum vacuum: certum enim est, quod nisi frigiditas sufficiatur, non possit aliquo modo corrumpi calor, & è contra: Quare si causa caloris discedat à subiecto calefacto, dum discedit frigefacit subiectum illud introducendo ex discessu, & absentia frigiditatem, & trahendo ipsam frigiditatem ad supplendam latitudinem intensionis qualitatis.

Quod si quis omnino hoc negare velit, dico, quod subiectum ex absentia causæ alicuius qualitatis ex se, ratione suæ virtutis, sicut alibi dixi, se restituit ad contrariam qualitatem: cum hoc tamen, quod qualitas ad quam restituitur habeat etiam contrarietatem eiusdem generis ad illam, quæ destruitur: & hoc contingit ratione cuiusdam dispositionis, quam subiectũ acquisiuit ab illa qualitate, quæ destruitur: Vt frigiditas Cadaueris proculdubio non est frigiditas pura elementaris, quia Cadauer est mixtum, & qualitates elementorũ in mixto non sunt actu, sed potentia, itaut non sint sensibiles sicut dixi: Quoniam igitur Cadauer recipit à calore vitali dispositionem superioris ordinis, & naturæ; est enim mixtum continens Elementa refracta, & concocta &c. remanet Cadauer dispositum ad se frigefaciendum qualitate superioris ordinis, & naturæ, quam sit frigiditas elementaris, adeout calor vitalis tribuerit virtutem Cadaueri

daueri ad se afficiendum illa qualitate frigoris calori vitali in eodem genere contraria: Similiter Aqua nō congelascit nisi sit à Sole excalefacta, vt supra dixi.

Quartò. Tandem sciendum, quod sicut intensio lucis Solis producit calorem, ita optima ratione à cōtrario remissio lucis Stellarum producit frigiditatem: & patet experientia, nam noctes serenæ frigidiores sunt, & efficiunt pruinam, quam non efficiunt nubilosæ; eo prorsus modo quo Sol magis calefacit serena die, quam nubilosa.

Ex his patet solutio difficultatis propositæ: Nam præsentia Solis, & absentia possunt efficere positiuos effectus contrarios eiusdem generis, & naturæ, sicut insinuat *Aristoteles loco cit.* tum maximè cum sufficiantur causæ positiuæ frigiditatis, tum inferiores, tum superiores, & mixtum disponatur à Sole ad frigiditatem eiusdem generis: Cum enim in subiecto necessaria omnino sit tota latitudo primæ alicuius qualitatis, siue eiusdem, siue cum supplemento contrariæ; recedente causa caloris necessario sufficitur frigiditas: nam aliàs calor perseueraret perpetuò absente etiam sua causa efficiente, quod vsu non fit. Præterea cum omnis calor sit contrarius omni frigiditati, & è contra, sequitur, quod recedente Sole aliqua sufficiatur frigiditas, saltem elementaris: quemadmodum adueniente Sole recedit omnis frigiditas etiam elementaris: Nam absente Sole Elementa actu frigida sunt, vt sensibus patet. Quoniam verò omnis alteratio, & restitutio ad contrarias qualitates est motus successiuus, & fit successiuè in tempore, & eodem ferè tempore ad contrarias qualitates, quia contrariorum eadem est ratio; sequitur, quod recedente Sole expellatur successiuè calor per successiuam frigiditatis introductionem: hinc emergit fundamentum efficaciæ influxus, & radiorum Siderum etiam sub terram degentium. Hinc etiam patet quare Eclipses, Cometes, & Astra quæ sub terram latent, & nobis non apparent, in nos non influunt: nam huiusmodi Astra, & Cometes nunquā communicant nobis suum lumen, quod est instrumentum agendi: Eclipses verò nihil innouant, iam enim luminaria non apparent, & idem est respectu nostri pati, vel non pati obseruationem; nam dum sub terram morantur, nobis sunt semper pari modo obscura. Cæterum Astra, quæ nobis apparent, dum supra terram illuminant, influunt suas qualitates; dum morantur sub terram, remittuntur hæ qualitates, & generantur contrariæ sicut dixi.

Siderum familiaritas in vniuersum, quid sit.

CAPVT NONVM.

NAturalis Philosophiæ Doctores plurimi, & insignes censent nullam causam efficientem posse agere in subiectum omnino distans, & ita, vt nullam cum ipso contrahat familiaritatem, neq; per corpus, neq; per virtutem; quorum rationes, & distinctiones, nimis longum esset huc transferre. Similiter & ego censeo Sidera non posse agere in res inferiores, neq; miscere ad inuicem suos influxus, nisi tam ad inuicem; quam erga nos familiaritate

miliaritate aliqua iungantur. Et sanè Philosophi nihil aliud esse putant familiaritatem Causæ efficientis ad passum, nisi mansionem subiecti intra sphæram virtutis actiuæ Causæ efficientis. At verò quoniam Astra diuersis à rebus inferioribus modis agunt in sublunaria, eo quod applicatum semper habeant suum lumen ad elementarem plagam, quam perpetuis circulationibus iugiter illuminant; ideo

Sciendum est & *primò*; Astra nunquam desistere ab alterando sublunaria; alterationem enim efficiunt lumine circumducto; indeficiens autem est, & perennis, vt patet circulatio Siderum; adeout, & alteratio rerum perennis, & indeficiens existat necesse sit. Hinc *Aristoteles agens de longit. & breuit. vitæ cap.* 2. deduxit omnia semper in motu esse. *Quapropter omnia semper in motu sunt*, & quod intelligat de motu alterationis, & non de locali, vereri nullatenus possumus; nam alibi ponit terram immobilem localiter in centro vniuersi consistere: Hinc etiam colligit Causas perpetuitatis generationis, & corruptionis rerum *2. de gen. cap. 10. per totum. Præterea cum demonstratum sit motum esse perpetuum, qui lationi accommodatur, his existentibus, & generationem quoq; continenter esse necesse est: Latio namq; continuè generationem ideo faciet, quia admonet, & abmouet id, quod gignendi vim obtinet &c.* de qua re agit ex professo vsq; ad finem capitis. Cæterum qualitatum alteratio nihil aliud est, nisi earumdem intensio, & remissio; & est motus successiuus pendens non nisi à successiua causarum actione.

Secundò. Sciendum in rebus inferioribus non attingi productionem noui alicuius effectus vel substantialis, vel notabilis, nisi à qualitatibus actiuis: nam qualitates sunt causæ instrumentales cuiusis alterius causæ principalis, quæ prędisponendo intrinsecè ipsam materiam, primum rerum omnium subiectum; attingunt immediatè, & intra subiectum productionem noui, vel substantialis, vel notabilis effectus.

Tertiò. Sicut non quæuis alteratio est productiua noui notabilis effectus, sed requiritur proportio intensionis qualitatum ad naturam rei producendæ, siue prædispositio illi connaturalis; ita non quæuis Astrorum circulatio sufficiens est attingere productionem noui notabilis effectus; sed requiritur vt sit tanta, quæ attingat sufficientem intensionem qualitatum, & prædispositionem subiecti, siue proportionatam, & connaturalem rei producendæ: Vt animalium vtero gerentium quædam magis, quædam minus gerunt iuxta suæ speciei requisitam prædispositionem: Similiter incubantium oua, siue etiam emissa à piscibus, anguibus &c. maiori, vel minori tempore, quo Sol, & matres calore foueant pro suæ cuiusq; speciei requisita prædispositione nascuntur. Hucusq; est communis, & trita Philosophorum doctrina.

Colligitur hinc *primò*, duplicem esse Siderum familiaritatem; vnam purè alteratiuam qualitatum, à qua nunquam abstinent, nisi fortè Luna in totali sua Eclipsi; dum enim circumferuntur, perpetuo, & admirabili ordine intendunt, & remittũt qualitates materiales: Alteram efficacem, qua Sidera attingunt productionem notabilis alicuius effectus; quam familiaritatem obtinent in proportionalibus tantum locis, vbi proportionales quosdam qualitatum gradus attin-

 gunt,

gunt, qui qualitatum gradus apti sunt elicere notabilem effectum.

Ex his emergit ratio quare Sidera nequeant fieri Vitæ prorogatores, nisi reperiantur in proportionalibus ad horoscopum locis, & distantijs: nam Astra dum influunt vitalem calorem lustrãdo successiuè nostrum Emisphærium, prout necesse est, eumdem vitalem calorem ab ortu, vsq; ad occasum successiuè intendunt: cum verò in gradibus improportionatis qualitas non sit efficax, fieri non possunt Vitæ Prorogatores, nimirum efficaces causæ vitalis caloris, nisi in distantijs proportionalibus ab ortu, vnde producere, & intendere cæperunt vitalem calorem.

Secundò. Colligitur Siderum familiaritatem purè alteratiuam definiri posse cum Philosophis vt supra: nam elementaria corpora perpetuò manent intra sphæram illuminationis, seu actionis Astrorum, quamuis non eodem semper modo: At verò Siderum familiaritatem efficacem, & productiuam notabilis effectus aliter definiri debere.

Prima Conclusio. Familiaritas Astrorum efficax in vniuersum est coeuntium potentia luminum proportionalis per motum localem influxus. Particula [influxus] stat loco generis; influunt enim iugiter semper Sidera sicut dixi, quo influxu perpetuò alterant vniuersam sublunarem materiam. Adiectum [proportionalis] ponitur ad differentiam familiaritatis purè alteratiuæ, quæ non est efficax, nisi sit proportionalis, eo quia proportione attingant Astra quosdam intensionis qualitatum gradus efficaces, & productiuos notabilis effectus.

Dices. In viribus potentis admodum causæ reperitur potentia, seu virtus eliciendi omnem effectum inferioris gradus dispositionis: ergo etiam si Astra maiores vires habeant, siue maiorem, & intensiorem gradum qualitatum attingere possint, & de facto attingant, poterunt absq; proportione distantiæ agere, & producere notabiles effectus: vt puta. Sidus fieri poterit Vitæ Prorogator etiamsi reperiatur in octaua Domo; nam licet ibi intensiorem gradum caloris suscitet, quam à nona Domo, quia ab ortu magis elongatum est; sub ipso tamen intensiori gradu continet etiam gradum, quem prius produxerat à nona Domo remissiorem. Item si quis Prorogator sistat in cuspide vndecimæ Domus, & interfector planeta ad decimam Domum Directione peruenerit, poterit abscindere Vitam; quia à cuspide decimæ Domus dum intensiorem gradum attingit alteratione, continet sub intensiori gradu etiam minorem gradum qualitatis parem gradui Prorogatoris. *Respondeo*, omnem Astrorum actionem esse, & fieri ad modum essendi, & patiendi rerum inferiorum, & non nisi secundum eorum potentiam: Quod si accidat, vt Sidera non eliciant effectus in illis locis, in quibus iam attigerunt potentiam, & modum patiendi rerum; quod pluribus de causis sæpè contingit; frustratur eorum actio, & non attingunt notabiles illos effectus, licet attigerint prædispositionem etiam secundum gradum: Vt in ouis, si non fuerint nati pulli post definitum à natura tempus incubitus, & à Sole calefactionis, iam non amplius nascuntur, quamuis diutius calefiant: Sic Astra si præterierint limites familiaritatum absq; effectu, iam amplius non producent illum, quia iam prædispositio dissimilis est, & non amplius connaturalis illi effectui; indicatur autem impotentia ex parte

subiecti:

subiecti: Ad argumentum ergo respondeo distinguendo antecedens: In viribus admodum potentis causæ reperitur potentia eliciendi omnem effectum inferioris gradus dispositionis temporibus suæ cuique effectui connaturalis dispositionis,quod est secundum potentiam recipiendi &c. concedo: vltra prefatum tempus, & potentiã, nego: Prorogator verò lustrans octauam Domum, tangit quidem intensiorem gradum caloris, sed minimè vitalem; quam ob causam & qui nascuntur octauo mense minus vitales sunt, quam qui septimo; nam initio septimi mensis Sol attingit oppositionem sui loci conceptionis; in octauo nullum radium,in principio noni attingit trigonum &c: Similiter & incubantes transacto suo cuiusq; speciei tempore, non eliciunt amplius ad vitam pullos; quia calor superadditus à præfinitio tempore non est vitalis,neq; connaturalis illi speciei animalium: Cumq; progrediatur per gradus extra potentiam recipientium actionem, frustratur effectus ratione impotẽtiæ subiecti: omne enim, quod fit, prius potentia præexistere supra dictum est, & docent omnes Philosophi. Hæc extat potissima causa quare non habeant suos effectus omnes Astrorum familiaritates efficaces ex parte quidem sui: quia illæ dumtaxat habent effectum, quæ proportionatam in potentia materiam, & subiectum inuenerint. Hæc item est ratio quare familiaritates Astrorum momenti effectus similes, vt plurimum sunt familiaritatibus Radicis, & Directionis: nam causa non elicit ad actum, quod suæ naturæ dissimile est; seu effectum,qui prius non existat potentia. Ad rem nostram

Dicitur in definitione (luminum), quo nomine in hoc loco intelligo quicquid lumine præditum est: nam influxus est actio,quæ semper supponit causam efficientem: volo autem,quod in Cælo nihil possit esse causa efficiens, nisi lumen habeat: cum enim Astra agant solum per lumen; quia per motum solummodo applicant ad familiaritates, non agunt, vt dictum est supra: fit, vt quæ loca Cæli lumen non habent,agere minimè possint. Præterea vtor hoc nomine[luminum] vt inter superiores causas includam etiam impressiones meteorologicas, puta Crinitas, & noua Phænomena omnia, quæ sicut euidentissimis experientijs comprobatum est producunt in rebus inferioribus ingẽtes effectus.

Dicitur [coeuntium potentia] quibus verbis excluduntur à familiaritatibus omnia lumina, quæ aliquo modo coniungi ad inuicem non possunt; & ideo neq; cæteras familiaritates efficiunt: nam prima familiaritas est coniunctio, qua Sidera nouum effectum accendunt, & inchoant, circa quem deindè intendunt, & remittunt qualitates, & producunt subsequentibus distantijs, & lationibus nouos effectus: post coniunctionem enim Sidera incipiunt creare distantias, & influentias, quas non crearent, & augerent, si iam distarent semper; quare quæ semper distant,distantiam vtiq; non possunt efficere: nam ad rerum generationem requiritur in materia,& subiecto priuatio formæ rei generãdæ, principians apud Philosophos tanquam terminus aquo: igitur Astra si distantiam efficere non possunt, neq; proportionalem poterunt: nam proportionalis constat ex minoribus distantijs improportionalibus, siue etiam proportionalibus,quæ ab exordio creationis distantiæ fiunt; idest à coniunctione Siderũ, à qua exordium habet omnis distantia.

Cauendum hic est, familiaritatum species, de quibus dicam infra suo loco, ita esse sibi inuicem necessarias, vt data vna, dari sit necessarium cæteras omnes, vel si vna dari non possit, neq; alia quæuis; aut enim omnes, aut nulla, & ratio est.

Primò. Familiaritates sumuntur ex diuisione maximæ alicuius portionis, ita *Ptolemæus cap. de configuratione duodecim locorum Zodiaci:* in qua portione possũt accipi, immò necessario accipiuntur omnes familiaritates *cæterum si maximas duas portiones &c.* ait ille.

Secundò. Non apparet quare danda sit vna, & non reliquæ; aut è contra, si reliquæ dantur, quare præcipua, & principalis desit: non extat maior ratio vnius, quam alterius.

Tertiò. Vna familiaritas est pars alterius; quod si desit minor, vel sit inanis illa, quæ est pars alterius, vtiq; inanis erit, & falsa maior, quæ ex minori illa & inani constare censetur: Vt trigonus constat ex duplici sextili; siue dicamus ex quadrato, & tertia parte quadrati: sic habet *Ptolemæus capite de radijs signorum citato. Triquetra, hoc est angulus rectus vnus, & insuper triens illius.* Et similiter docet de alijs. Sic & in musicis consonantijs, quinta constat ex duplici tertia, tertia ex duplici gradu, gradus incipit ab vnisono, seu coniunctione. Ratio Physica est, quia omnis quantitas habet partes extra partes, quæ minores sunt ipso toto, & exordium sumunt ab extremitatibus illius quantitatis: Sic & proportionalis distantia habet partes extra partes, quæ partes minores sunt illa proportionali; & exordium habent ab extremitatibus maximæ portionis, quæ extremitates sunt coniunctio, & oppositio; quod si desint minores partes, quæ in extremitatibus sunt, iam proportionalis esse non potest, neq; maior.

Dices. Proportionalis quidem pars constat ex partibus minoribus, siue hæ minores partes sint proportionales, siue non; quia omnis pars quantitatis est diuisibilis in minores partes: attamen proportiones in Cælo non fiunt ex partibus motus, & influxus, sed ex partibus Cæli, & spacijs eius: Quocirca reperiuntur, & præexistunt in Cælo radij absq; motu, & ante omnem motum, & influxum Astrorum: ideoq; fixæ, quæ proportionaliter distant, se se inuicem intuentur, quamuis ad inuicem non coniungantur. *Respondeo*, omnem distantiam in Cælo, quæ non sit acquisita per motum, & successiuum influxum, esse perpetuam absentiam, quæ inefficax est: nam causæ, vt aliquid de nouo efficiant, opus est, vt de nouo fiant familiares; aliàs nihil noui producere possunt, quia idem manens idem, idem tantum efficere potest; ergo nihil noui &c. Deinde non quantitas spacij Cæli efficax est, sed quantitas illuminationis, & influxus; nam vt dicam infra, Astra successiuè agunt, & successiuè alterant suis qualitatibus sublunarem materiam; alteratio quippe est motus successiuus; & id nullo alio modo præstant, nisi successiuo motu, & influxu; notabilem tamen effectum tunc eliciunt, quando ex motu attingunt proportionatum influxum, & proportionatum gradum qualitatum, & non quando proportionatam partem, & spacium Cæli. Vt Sol non efficit intensiorem calorem ex altiore situ, sed ex diuturniori illuminatione, quod euidentissimum est; nam Sol magis calefacit in meridie ex tropico Cancri ad altitudinem Poli gr. 71. quam in meridie

ridie ex tropico Capricorni ad altitudinem gr. 23. attamen altior est ab horizonte in Capricorno ad Polum 23. quam in Cancro ad 71. Similiter magis calefacit in ortu, & occasu tempore Solstitij Æstiui, quam in meridie brumalis. Rursus ex communi sententia, fortiora sunt Astra in septima domo, & quarta, quam sint in nona, vel octaua; attamen longè altiora sunt in nona, & octaua, quam sint in septima, & quarta. Item non ob aliam rationem Sidera censenda sunt imbecilla post discessum ab Angulo, deinde in succedenti acquirere vires, in cardine summas obtinere: Igitur maxima portio in proportionales partes diuidenda ad efficaces familiaritates constituendas, non est circulus quilibet ad libitum assumptus, sed circulus motus, & influxus Astrorum, neq; radij sunt partes, & spacia Cæli; sed sunt partes successiui influxus, & motus: Atque propterea non efficiunt familiaritates, nisi quæ Sidera mouentur, & quæ coniungi possunt, & per eam regionem, qua mouentur; quæ verò non mouentur, perpetuò disiuncta censentur esse, & nullo modo familiaria.

Quartò. Ducitur ratio ab effectu: nam radij sunt efficaces, quia in ipsis Astra attingunt quosdam intensionis qualitatis gradus efficaces, quos gradus non possunt attingere, nisi incipiant intendere qualitatem à primo gradu, seu à principio intensionis qualitatis: principium autem intensionis qualitatis fit in coniunctione, cæteri gradus à subsequentibus distantijs; ergo sicut non est possibilis maior intensio qualitatis absq; principio; ita neq; efficaces radij inter Sidera absque coniunctione.

Dicitur tandem in Definitione [Per motum localem] quæ particula cadit super aliam [proportionalis] nam proportio sumi potest primò dupliciter, secundum numerum, & secundum successionem; prima pertinet ad Arithmeticam; posterior multipliciter fit; in motu intensionis, & remissionis omnium qualitatum; in quantitate continua; in motu locali; in tempore; in augmentatione, & diminutione; in voce, & sono; atq; rebus omnibus, quæ aliquam successionem admittunt. In casu nostro, proportio familiaritatum Siderum, vt sit efficax sumi debet ex motu locali, non ex quantitate partium Cæli, vt dixi. Pono autem hanc particulam, vt excludam omnem dimensionem, & omnem distantiam, quæ non sit in motu, & per motum acquisita, & à terminis ipsius motus, & per regionem, seu viam eiusdem motus. Vnde reijcio radios in Æquatore, radios in Zodiaco ad cardines, & Domus; reijcio diuisiones Domorum omnes, præterquam per binas temporales horas iuxta Ptolemæi formam; circulos etiam positionum, & radiorum Monteregij; circulum latitudinis Blanchini; atq; perplura alia, vt suis locis dicam: Volo enim omnem distantiam, & dimensionem, vt sit realis, & efficax debere sumi, & fieri à terminis ipsius motus Astrorum, & per viam, & regionem motus eorumdem: Ab alijs verò quibuscumq; terminis, & per aliam viam, omnem distantiam, & dimensionem esse prorsus inanem, & fictitiam, atq; liberè sumptam, falso peractam.

Quoniam autem tota difficultas inter meam sententiam, & aliorum Auctorum circa omnem à me propositam in hoc Opere Quæstionem in eo ferè consistit, quod alij diuidunt Cæli quantitatem, & spacia; ego verò motum Siderũ, & eorum realem, & successiuum influxum tantum, & nullo modo quantitatem,

&

& Cæli ſpacia: Hac de re ſuis quidem capitibus, & locis agam, & oſtendam meam vbiq; ſententiam: dicam tamen nunc aliquid in vniuerſum, ex quo cætera poſſint euidentius deduci.

Secunda Concluſio. Partes, & ſpacia Cæli, quatenus talia ſunt, vt ſic ſimpliciter, quacumq; proportione diuidantur, fieri tamen propterea non poſſunt efficaces Cauſæ; quare neq; poſſunt fieri efficaces radij, neq; naturales domus, neq; veri ſitus poſitionis &c. huiuſmodi.

Probatur. Partes, & ſpacia Cæli quatenus talia ſunt, nihil aliud ſunt, niſi pura quantitas; ſed pura quantitas non eſt actiua, ergo &c. minorem cenſeo negari non poſſe; nam licet maior, vel minor agentis extenſio, magis vel minus agat, id fit non ratione maioris, vel minoris puræ quantitatis, ſed ratione maioris, vel minoris extenſionis virium agentis; ideoq; poſui particulam illam reduplicatiuam [quatenus talia ſunt,] quia de partibus, quatenus continent qualitates actiuas aliter differendum: Maior illa probatur: Partes & ſpacia Cæli, quatenus talia ſunt, non poſſunt reduci ad aliud prædicamentum, niſi tantum Quantitatis; nam quamuis non poſſint exiſtere partes & ſpacia Quantitatis naturaliter ſine ſubſtantia, & alijs qualitatibus; ſi quantitatem cum ſubſtantia, & alijs qualitatibus accipiamus, iam non quatenus partes, & ſpacia ſunt, ſed quatenus aliud, ideſt ſubſtantia, & qualitas. Deinde partes ſunt de eſſentia quantitatis.

Dices. Partes, & ſpacia in Cælo ſumuntur ad diuiſionem, non quatenus talia ſunt, ideſt puræ quantitatis partes; ſed quatenus illuſtrata per lumen Siderum, quod peruenit ad omnes, & ſingulas Cæli partes; atq; tali ratione diuiduntur, & aſſumuntur vt ſint actiuæ, & efficaces: qua eadem ratione accipipiuntur ad omnes diuiſiones radiorum, domorum, ſituum poſitiones &c. *Ex dicendis patet reſponſio*.

Tertia Concluſio. Sidera nihil reale ponunt in Cælo per lumen, quod ad cæteras omnes Cæli partes, præter ea, quæ lucent, emittunt. *Probatur primò*. Partes Cæli ſunt diaphanæ, ſeu perſpicuæ, ſed corpora perſpicua non retinent in ſe ipſis lumen, ſed ipſum omninò dimittunt, & concedunt liberè pertranſire; ergo nihil reale ponunt Sidera per lumen in ipſis partibus Cæli, ſolummodo tranſmittunt lumen per ipſas partes.

Secundò. Si Sidera illuminarent omnes partes Cæli, Sol ſicut illuminat Lunam, & cætera Sidera de communi omnium Philoſophorum ſententia, illuminaret pari modo omnes Cæli partes; ſed conſtat ſenſu, quod præter Aſtra, & viam lacteam cæteræ partes non lucent; ergo neq; illuminantur à Sole, ergo neq; ab alijs Aſtris.

Tertiò. Immò ſi Aſtra, & Sol illuminarent omnes Cæli partes, Sol non poſſet tranſmittere ſuum lumen ad remotiora Sidera, ſicut ſunt fixa; quia intercipiuntur Orbes Saturni, Iouis, & Martis, qui ſi retinerent in ſe Solis lumen, non poſſent Sidera remotiora Solis luce perfundi.

Quartò. Si Sidera ponunt lumen ſuum in omnibus Cæli partibus, itaut illuminent vniuerſas Cæli partes, lumen minimarum Stellarum, & viæ lacteæ ad nos peruenire non poſſet; ſed peruenit; ergo falſum eſt antecedens: Probatur

ſequela;

sequela; lumen Solis intensius est, quam sit lumen minimarum Stellarum, & viæ lacteæ; Sed si Sol illuminaret omnes Cæli partes, hoc lumen Solis in omnibus partibus esset intensius; ergo lumen Solis obumbraret omne Cælum; nam sicut in die lumen Solis prohibet ne lumen Stellarum, & Lunæ videatur, ita etiam posset id efficere de nocte: prohibet autem in die, quia aer circa terram densior est propter vapores; & ideò retinet in se lumen Solis, quo deinde prohibet lumen Siderum, ne videatur: Ita similiter si Cæli partes essent densiores, itaut retinerent in se ipsis lumen Solis, sicut retinet inferior aer, lucerent nimis, & impedirent ne viderentur Astra.

Dices. Concedendo quidem, quod non omnes Cæli partes recipiant, & retineant in se ipsis lumen Astrorum, eo quia sint perspicuæ; Sidera tamen proijcere ad inuicem lumen sicut proijciunt ad nos, quo lumine familiaritatem ad inuicem contrahunt. *Respondeo*, hoc esse refugium inane, & reijcietur infra.

Quarta Conclusio. Quamuis Astra emittant lumen suum ad omnes Cæli partes, & censeantur lumine suo illustrare illas partes; nihilominus tamen partes illæ sic illustratæ, quacunq; proportione diuidantur, fieri non possunt efficaces radij.

Probatur. Radij sunt proportionales partes alicuius circuli secundum communem sententiam, cuius centrum sit in centro Terræ: sed si Siderum in Cælo radij censeantur efficaces ex eo, quod Sidera illustrent vniuersas Cæli partes, iam non apparet quis, vel qualis debeat esse huiusmodi circulus proportionaliter dispertiendus; ergo etiam si Sidera illustrent vniuersas Cæli partes; adhuc nequeunt hæ partes fieri efficaces Radij: probatur sequela minoris; à conuexo Primi mobilis ad concauum Lunæ intercipitur profunditas maxima omnium orbium Cælorum; quæ si tota illuminatur ab Astris, non apparet in hac profunditate quis, vel qualis debeat esse circulus proportionaliter diuidendus pro radijs: vt apparet in secunda figura, quam infra declarabo. Hic autem

Aduertendum est *Primò:* Quod radij ex communi Mathematicorum sententia sunt Anguli, qui constituuntur in ipsa circumferentia alicuius circuli, nō in centro terræ per lineas perpendiculares ab Astris: nam quamuis Astra linea perpendiculari afficiant alium angulum in centro Terræ, non sumit suam denominationem radius, neq; virtutem, neq; qualitatem ab angulo centri; sed hæc accipit ab angulo circumferentiæ, quem efficiunt ipsa corpora Siderum: Vt in prima figura Sol, & Luna sunt in sexangulo, non ex eo, quod in centro, a, efficiant angulum sexanguli; nam ibi efficiunt angulum triāguli æquilateri, non sexanguli: efficiunt quidem in circumferentia angulum sexanguli; propter quam causam eorum radius vocatus est Sextilis. Similiter Sol, & Saturnus sunt in triangulo ad inuicem, non ex eo, quod in centro efficiant angulum triāguli æquilateri; nàm efficiunt ibi angulum sexanguli; sed quia in circumferentia ipsæ Stellæ efficiant angulum trianguli. Solus quadrangulus efficit quadrāgulum etiam in centro, vt Sol, & Iuppiter; attamen non fit hostilis quadrangulus ratione anguli recti centri, sed ratione dissimilitudinis Signorum in circumferentia secundum Ptolemæi doctrinam. Hæc autem prima figura repræsentat Radios secundum communem Mathematicorum sententiam: Quæ

figura

figura postulat necessariò circulum, vel orbem, in quo possint accipi radiorum proportiones.

Secundò. Aduertendum, quod tres circuli, seu orbes ad summum assignari possunt ab aduersarijs ad diuisionem pro radijs: Concauus Primi Mobilis; Circulus per corpus Planetæ respicientis: & circulus per corpus Planetæ recipientis radium: vt in secunda figura, ex communi sententia Luna est in quadrato Martis, & è contra, quia Luna est in grad. o. ♈. Mars in grad. o. ♋. Radius eorum quadratus potest accipi in cõcauo Primi Mobilis; in proprio suo cuiusq; Sideris intuentis circulo; & in circulo Sideris recipientis radium. Si sumatur in concauo Primi Mobilis, Quadratus Lunæ ad Martem iacitur ad punctum, b, Quadratus Martis ad Lunam ad punctum, c; Si sumatur in circulo proprio intuentis, Quadratus Lunæ est in puncto, f; Quadratus Martis in puncto, e; Tandem si in circulo recipientis radium, Quadratus Lunæ est in corpore Martis, Quadratus Martis in corpore Lunæ: Alij non apparent circuli, vel orbes possibiles, & idonei ad hanc diuisionẽ, quod si adsint assignentur.

Quinta Conclusio. Radij sumpti in proprio circulo, seu orbe intuentis Astri, non sunt reales, neq; efficaces; vt quadratus ☽ ad, f, & □ ♂ ad, e; Probatur ex dictis; Non tangunt se inuicem Astra his radijs; & non sunt efficaces ex rationibus tertiæ Conclusionis: Sed neq; fuit vnquam, qui radios ita sumpserit.

Sexta Conclusio. Radij in circulo, seu orbe Sideris recipientis radium, idest de corpore ad corpus Astri, vt de Luna ad Martem, & è contra, quamuis sint reales, & naturales, & ex supradictis omnibus probabiliores, attamen non sunt efficaces. Hæc Conclusio est directè contra Aduersariorum refugium positum in fine rationum tertiæ conclusionis.

Probatur Primò. Non sunt proportionales hi radij, & non fiunt aliqua proportione; nam distantia Lunæ à Marte non est latus quadranguli; neq; Luna, & Mars efficiunt angulum rectum, idest quadranguli æquilateri, cum tamen ex suppositione de communi Mathematicorum sententia Mars, & Luna sint ad inuicem in radio quadranguli.

Secundò. Ex hoc Systemate plura sequuntur absurda, vt quod idem radius trinus Martis ad Solem sit quadratus ad Mercurium; trinus Martis ad Saturnũ sit quadratus ad Venerem; quadratus Iouis ad Solem sit sextilis ad Venerem; atq; plura his similia, quæ implicant, & confusionem efficiunt, vt in eadem secunda figura manifesta fiunt: & sanè neque hoc modo qui radios finxerit vnquam repertus est.

Remanet ergo differere, an radij sumi debeant in concauo Primi Mobilis: nam Auctores omnes tam antiqui, quam recentiores censent in Primo Mobile fieri, & sumi debere Siderum radios, & ibi tantum esse efficaces.

Septima Conclusio. Radij, qui ab Astris prout insident in suis orbibus, proijciuntur ad concauum Primi Mobilis, non possunt esse efficaces. *Probatur primò*. Radij Siderum prout insident in suis orbibus iacti ad concauum Primi Mobilis non efficiunt angulum, neq; latus figuræ suæ speciei, sed diuersum; ergo non possunt esse efficaces, quia non sunt proportionales: antecedens patet in secunda figura; vbi quadratus Lunæ in puncto, b, non est angulus, neq; latus quadranguli:

dranguli: similiter quadratus Martis in puncto, c, non est angulus, neq; latus quadranguli; ergo non possunt habere effectum similem effectui quadrati, cum non habeant naturam quadrati.

Secundò. Astra radijs huiusmodi non se tangunt inuicem; sed opus, vt Astrū recipiens radium, accipiat radij virtutem à concauo Primi Mobilis, ad quem Sidus intuens proijcit ipsum radium; sed hoc est impossibile, nam Luna distat à Primo Mobile spacio penè immenso, adeout non possit accipere virtutem radij à tam remotis locis.

Tertiò. Patet ex tertia conclusione; nam concauus Primi Mobilis est perspicuus &c. ergo non potest sumi dispertiendus ad efficaces radios; nam pura quantitas non est actiua.

Quartò. Stellæ fixæ maioris censendæ roboris erunt, quam Planetæ, quia proximiores ipsi concauo Primi Mobilis: sed hoc repugnat traditioni grauium Auctorum, & experientiæ, tum demum communi omnium sententiæ; ergo radij non sunt accipiendi in illo concauo.

Quintò. Si concauus Primi Mobilis sumitur diuidendus, quatenus est illuminatus ab Astris, non apparet vbi sit accipiendum initium diuisionis ad proportionales partes efficiendas; nam concauus Primi Mobilis sumitur verbi gratia tanquam pagina, vel tabula, quæ à longè illuminatur à Sole, & cæteris Astris; in qua non est accipere respectum ad Solem, & Stellas, quia tabula quateuus est subiectum cum accidente luminis, potest libertate prout placuerit diuidi: Sic accidit concauo Primi Mobilis, si sumatur diuidendus quatenus est spacium luce Siderum perfusum, & omnium Siderum, & vbicumq; reperiantur; iam enim libertate diuiditur, non ex natura rei: cumq; longissimè distet ab Astris, non potest in eo sumi principium, neq; proportio diuisionis ad radios accipiendos.

Dices: initia radiorum sumuntur ab Astris tanquam si sint in concauo Primi Mobilis: Quare Doctores, vt omnem effugerent difficultatem posuerunt omnia Sidera, & eorum radios in concauo Primi Mobilis, & ibi statuerunt debere fingi distantias, latus, angulos, coniunctiones, & vniuersas Astrorum familiaritates eo modo, quo expositum est in prima figura: ita censent Regiomontanus, Keplerus, Maginus, & omnes, tum recentiores, tum prisci; qui vnanimes, & si diuersimodè metiti sint radiorum distantias quoad longū, & latum; tamen in hoc omnes conueniunt, vt in concauo Primi Mobilis Astrorum radij sumi debeant, & ibidem etiam ipsa Sidera collocari. Contra quam sententiam, pace tantorum numero, & præstantia virorum sit.

Octaua Conclusio. Si sumantur radij Siderum in concauo Primi Mobilis, ex eo quod ipsa Sidera collocentur in eodem concauo; efficaces esse non possunt.

Probatur primò. Falsum est ipsa Sidera inhærere in concauo Primi Mobilis, ergo etiam id quod inde sequitur falsum erit: Sed radij accipiuntur in concauo Primi Mobilis non ob aliam rationem, nisi quia ibidem ponuntur ipsa Sidera; hoc falso fingitur; ergo & radij ibidem falso finguntur. Nam profectò verum non est Sidera inhærere in concauo Primi Mobilis; ergo neq; verū esse potest, quod inde sequitur: & hoc omninò, & absolutè loquendo. Quod si radij falso sumuntur, efficaces esse non possunt.

Secundò. Eædem ferè militant rationes suprapositarum conclusionum; nam vel radij sumuntur ex diuisione partium Primi Mobilis, quatenus puræ partes quantitatis sunt; vel quatenus illuminatæ; Si primum, non sunt efficaces, vt dixi, quia quantitas non est actiua. Secundum falsum est: partes enim Primi Mobilis diaphnæ sunt, & perspicuæ, quæ non retinent lumen; nam si non possunt diuidi, nisi quatenus luminosæ, iam diuidi non possunt; quia re vera perspicuæ sunt non luminosæ, vt sensu patet.

Dices tandem: In quo igitur circulo, aut orbe supersunt accipiendæ proportiones radiorum, & efficiendæ diuisiones? *Respondeo*, quod in nullo circulo, aut orbe; est autem diuidendus successiuus influxus Astrorum, de quo partim dictum est, & diffusius dicetur infra suis locis.

Signorum, & Domorum distinctio in Cælo, an realis.

CAPVT DECIMVM.

QVI scientiam de Sideribus oppugnant, & hoc obijciunt, quod scilicet Professores ponant in Cælo plures distinctiones tanquam sint ibi reales; cum tamen in Cælo nullum appareat talium distinctionum vestigium, & præ cæteris inter Signa Zodiaci, & Domus Cæli: arguunt igitur validissimè:

Primò. Non apparent in Cælo hæ distinctiones tàm Signorum, quàm Domorum; ergo falsæ sunt, & hominum libertate fictæ, & positæ.

Secundò. Omne punctum in superficie terræ habet circulos horizontis, Meridiani, & reliquarum Domorum diuersos ab alijs punctis: sed puncta in superficie terræ sunt infinita saltem assignabilia; ergo si circuli illi reales sunt, sequitur dari infinitum reale actu in natura numericum, quod absurdum communiter censetur à Philosophis, his atq; similibus rationibus, & sanè robustissimis inuehuntur.

Prima Conclusio. Distinctio Cardinum, & Domorum est effectus realis Astrorum. *Probatur*. Sidera motu reali oriuntur, occidunt, mediant Cælum &c. quibus distinguunt, & constituunt ortum, & occasum &c. ergo hi sunt effectus reales Astrorum, quos præstant dum mouentur.

Dices. Ab eadem causa non possunt pendere effectus contrarij, vt ab igne non potest produci calor, & frigiditas: omnis enim causa agit secundum suam potentiam, & naturam, quæ in se ipsa non includit contrarietatem, ergo Sidera non possunt producere reales effectus contrarios: ortus autem, & occasus contrarij sunt, sicut etiam culmen, & imum; ergo non possunt esse effectus reales Astrorum. *Respondeo primò*, hoc verum esse tantum in causis vniuocis, non in æquiuocis, sicut sunt Astra, à quibus procedit eiusdem rei generatio, & corruptio, vt sæpius ex Aristotele dictum est. *Secundò*, hoc verum esse in causis eodem modo se semper habentibus; quia idem quatenus idem, idem producit:

Astra

Astra verò per motum diuersimodè se habent. *Tertiò*, hoc verum esse de effectibus positiuè contrarijs, & se inuicem expellentibus, & corrumpentibus: ortus autem, & occasus sunt contraria ratione motus, & modi illuminandi, quæ non se expellunt; immò contingunt fieri ab eodem Sidere eodem tempore: nam idem Sidus eodem tempore quibusdam terræ locis oritur, alijs verò occidit &c. *Quartò*, possunt fieri ab eadem causa effectus contrarij ratione subiecti, vt Sol liquat pinguia, exsiccat lutum &c. *Quintò*, possunt procedere effectus contrarij ratione motus, & actionis: nam in omni motu dari debent duo termini à quo, & ad quem, ab vno recedit Mobile, ad alium accedit; recedere autem, & accedere contraria sunt; & hoc præ cæteris est maximè ad rem nostram.

Secunda Conclusio. Effectus distinctionis Cardinum, & Domorum fit, & recipitur in terræ regionibus. Oportet autem meminisse distinctionem illam, quam sæpius attuli in ipsa actione quatenus procedit à Causa, & quatenus recipitur in subiecto: nam in Causa est adeo eminens, & vniuersalis virtus actiua, vt ad plura subiecta, & ad plures specie, & genere diuersos attingendos effectus extendi possit: quatenus verò recipitur in passo, ita specificatur, vt non alium effectum in specie attingere possit, quam qui specificatur à potentia ipsius subiecti. Quare ortus, & occasus in Astris sunt eminenter, specificantur verò in terra, & in quolibet subiecto erga, quod mouentur ipsa Sidera: nam etiam respectu partium Lunæ, & reliquorum Siderum Sol occidit, & oritur &c. immo omnia Sidera, quæ ad inuicem mouentur similiter se habent.

Patet igitur euidentissimè hæc conclusio; etenim eodē momento idem Astrū respectu diuersarum terræ partium oritur, & occidit, mediat Cælum &c. quippe oritur illis terræ partibus, quibus incipit se ipsum manifestare; occidit verò à quibus absconditur; mediat Cælum quibus in media est ab illis punctis distantia: & pariter de cæteris Domibus.

Tertia Conclusio. Cardines, & Domus si Mathematicè spectentur sunt termini respectiui, & relatiui ad assignatum subiectum. *Explicatur*: Ortus, & Occasus Astrorum sunt successiui; & ex duplici capite: primò ratione successiui motus localis eorumdem; cum enim non nisi per motum localem oriantur, & occidant; motus verò localis sit successiuus, necessariò sequitur, vt & ortus, & occasus sint res quædam successiuæ: hoc sanè quidem contingit in ipsis Astris, quia motus quoq; localis in ipsis est. Secundò, ratione successionis partium subiecti sphærici, circa quod mouentur, sicut est terra. Ex priori capite Sidera dum mouentur secum deferunt perpetuo ortum, & occasum pari successione motus, quo mouentur: nam successiuè se manifestant regionibus versus terminum ad quem motus eorum positis; & successiuè se se abscondunt, & euanescunt ab illis versus terminum a quo repertis. Ex posteriori verò oriuntur, & occidunt successiuè diuersis terræ partibus, sibi inuicem succedentibus; adeout non sit tempus aliquod, quo subsistant in ortu, & occasu respectu alicuius terræ partis. Quare verè, & realiter oriuntur, & occidunt assignatis terræ partibus quando verum est dicere nunc Sidus oritur, vel occidit relatiuè ad hoc punctum superficiei terræ: Eo prorsus modo, quo verè, & realiter sphæra dum mouetur super planum tangit ipsum semper in puncto: & contactus quidem realis est,

quis enim illum vnquā negaret? puncta autem non sunt actu realia, quia essent infinita, sed tantum per assignationem, & contactum, prout est communis Philosophorum sententia.

Quarta Conclusio. Ortus, & Occasus Astrorum si spectentur physicè sunt initium, & finis influendi lumen, & qualitates partibus terræ quibus Astra oriuntur, & occidunt. Hæc conclusio patet ex pluribus locis huius operis. Cum verò initium,& finis illuminationis,& influxus qualitatum sint termini reales; sequitur etiam vt situs, & loci à quibus initium, & finis pendent realis influxus, sint reales.

Quinta Conclusio. Ortus, & Occasus Astrorum siuè sumantur Physicè, siuè Mathematicè, sunt termini reales, quidem siuè quantitatis Cæli, siuè influxus Astrorum; attamen in potentia; in actu verò per actualē assignationem puncti in superficie terræ ad quod referuntur. Cum enim sint termini relatiui ad subiectum, tale esse habent, quale habet ipsum subiectum: Puncta autem in superficie terræ realia sunt, in potentia tamen, actu verò per actualem assignationem. Ex quibus omnibus satis manifestum fit Domorum distinctionem esse effectum realem Siderum erga res inferiores. Sed iam dicamus de distinctione Signorum.

Sexta Conclusio. Signorum distinctio est realis per realem scilicet Astrorum influxum. Probatur: In Signorum distinctionibus fiunt ab Astris proportionales influxus, sed proportionales influxus sunt reales,ergo &c. minor patet ex dictis alibi: nam proportionalis influxus est efficax, & constituit efficaciam radiorum, & omnium familiaritatum; efficacia autem est influxus realiter distinctus ab influxu inefficaci. Maior verò probatur: Sidera à punctis Mobilibus Zodiaci incipiunt producere qualitates, ergo à punctis proportionalium distantiarum attingunt proportionales gradus qualitatum; sed distinctiones Signorum sunt puncta proportionalium distantiarum, ergo &c. minor hæc probatur. Initium Signi Tauri est in trino ad initium Capricorni, & in sextili ad initium Cancri: Initium Geminorum est in trino ad initium Libræ, & in sextili ad initium Arietis, & similiter de reliquis: Etenim à singulis distinctionibus Signorum Astra attingunt proportionales gradus qualitatum; proportionales verò gradus qualitatum sunt efficaces, & efficacia distinguit præcedentem influxum a subsequenti.

Ad primum Argumentum in contrarium Respondeo, quod Ortus, & Occasus Astrorum sunt reales, & successiui, & ideo assignabiles potentia, non assignati actu; idest respectiui ad assignata puncta in terra: quia quę assignata sunt actu, sunt entia actu distincta, & permanentia,non successiua; successiua autem sunt semper in potentia.

Ad secundum Respondeo, quod omne punctū superficiei terræ habet Cardines distinctos à reliquis punctis ea distinctione, qua partes continui distinguuntur ad inuicem; nam vna pars verè, & realiter non est altera; attamen quia continuæ sunt vnum sunt; sunt autem distinctæ reali potentia.

Ex his colligitur, quid sit respondendum obiectioni Pici Mirandulæ, qua nititur ostendere Annum nullum habere principium, neq; in Æquinoctijs,neq; in

in Tropicis; quia circuitus Solis, est integer circulus, in quo non est principiũ, neq; finis: Nam licet Solis latio sit in integrum circulum qui principio, & fine caret; attamen in ipso circulo constituit initium influendi qualitates temporum Anni, & diuidit, atq; constituit ipsa tempora, ratione obliquitatis ipsius circuli, vt ait Aristoteles agens de causis perpetuitatis ortus, & interitus rerum: qua obliquitate fit, vt accedat, & recedat, propè fit, & procùl &c. Igitur in illis punctis in quibus Sol incipit producere qualitates temporum, incipit Anni tẽpora &c. quæ puncta naturali ratione manifestant aeris futuras mutationes.

Sexus Signorum vnde procedant.

CAPVT VNDECIMVM.

Videtur sanè præ cæteris figmentis in Cælo positis ab Astrologiæ Professoribus illud maximè inane, Signa nimirum quædam masculini, quædam fœminini sexus constitui; nam sexus diuersitas ad prolis generationem in animalibus à natura videtur ordinata fuisse: stultum est autem affirmare Signa in Cælo, quædam in masculinum, quædam fœmininũ sexum ad huiusmodi finẽ dispertiri: Cum igitur natura nihil frustra producat, & sexus discrimen in Cælo ad nullum finem dirigatur; vtiq; licet inferre prorsus fictitium esse, & inane in Signis Cæli similem distinctionem ponere. Deinde nulla apparet ratio distinctionis sexus inter Signa etiam si spectentur tanquam causæ talis effectus erga res inferiores.

Conclusio. Signa Zodiaci differunt inter se secundum sexum: ita tamen, vt non ex reali sexu, quemadmodum hæc animalia, sed ex virtute, quam continent qualitatum actiuarum, & passiuarum. Signa quidem distingui inter se ratione efficaciæ graduum qualitatum ostensum est suo loco.

Probatur Conclusio. Illa Signa, quæ proportionalem habent distantiam ad puncta initij, & finis productionis qualitatum actiuarum, obtinent virtutem actiuam, quia sunt efficacia in qualitatibus actiuis; ergo masculina sunt: quæ verò habent proportionalem distantiam ad puncta initij, & finis productionis qualitatum passiuarum obtinent virtutem passiuam, quia sunt efficacia in qualitatibus passiuis, ergo fœminina sunt. Sed initium, & finis productionis qualitatum actiuarum sunt exordium Signi Arietis, & Libræ, ergo Signa, quæ habent proportionalem distantiam ad hæc puncta obtinent virtutem actiuam masculinam, & diurnam: Item initium, & finis productionis qualitatum passiuarum sunt exordium Cancri, & Capricorni; ergo Signa, quæ habent proportionalem distantiam ad hæc puncta obtinent virtutem passiuam, fœmininã, & nocturnam: Vt Signa Geminorum, Leonis, Sagittarij, & Aquarij habent proportionalem distantiam ad Arietem, & Libram; ergo efficacia sunt in qualitatibus actiuis, ergo masculina sunt, & diurna: Similiter se habent Signa Tauri, Virginis, Scorpij, & Piscium ad Capricornum, & Cancrum, ergo sunt efficacia

ficacia in qualitatibus passiuis; ergo fæminina sunt, & nocturna.

Diceret forsitan Picus: Distantia quadrati est efficax, attamen fit inter Signa sexu dissimilia, ergo nulla est ratio allata. *Respondeo*, quod distantia Quadrati etiam constitueret Signa eiusdem sexus, nisi Signum in quadrato repertum, iam constitutum fuisset in altero sexu ratione proportionalium distantiarum ad Signa sui sexus, & qualitatis: Vt Aries, & Libra proculdubio sunt Signa masculina, quia sunt initium qualitatum actiuarum: item Capricornus, & Cancer vtiq; sunt Signa fæminina, quia sunt initium qualitatum passiuarum: quare licet hęc Signa sint in Quadrato ad illa, neq; tamen propterea deponunt hæc innatam qualitatem passiuam, neq; illa actiuam: & Similiter de reliquis signis. Deinde sicut Quartæ Zodiaci, & Mundi dispositæ sunt quemadmodũ conducit ordini Vniuersi, vt vna virtutem habeat masculinam, altera fæmininam, & hoc tum ratione Signorum in punctis mobilibus existentium, tum ratione qualitatis in ipsis quartis prædominantis: Ita similiter idem ordo postulat, vt & Signa alternatim disponantur.

Proprietatum luminis Astrorum effectus connaturales in specie.

CAPVT DVODECIMVM.

DIctum est *cap*. 2. duas esse principales proprietates luminis Astrorum, Intensionem, & extensionem: dictum etiam *cap*. 7. qui sint effectus in genere proprietatum, & passionum, & quod sint proprietates, & passiones ipsorum effectuum. Nunc quæro in specie, quæ sint proprietates, & passiones in effectibus pendentes ab intensione, & extensione luminis: Non loquor autem de motu ad quantitatem; idest de augmentatione, & diminutione; neq; de motu intensionis, & remissionis, quia hæ sunt passiones, de quibus dicam postea: Sed data qualibet extensione, & dato quolibet gradu intensionis lucis, quæro quæ sit virtus eorum actiua, siue qui sint eorum connaturales effectus in specie: Rursus non specto extensionem, & intensionẽ lucis Astrorum veras, & reales, quæ in ipsis Astris sunt, sed apparentes sicut dixi *cap*. 4.

Prima Conclusio. Ab intensione lucis Astrorum procedit qualitas quatenus actiua: siue dicam; effectus intensionis lucis Astrorum est qualitas quatenus actiua.

Probatur primò. Omnis qualitas quatenus intensa est, est actiua: sed ab intensione lucis Astrorum procedit qualitas quatenus intensa: ergo ab intensione lucis Astrorum procedit qualitas quatenus actiua: probatur maior: Omnis qualitas quo magis intensa est, est magis actiua, quo minus intensa, minus actiua: adeout si nullam habeat intensionem, nullam habeat actiuitatem; si summam habeat intensionem, summam habeat actiuitatem: ergo omnis qualitas

quatenus

quatenus intenſa eſt, eſt actiua: Minor verò patet ex dictis *cap.* 7. tum etiam experientia: nam lux Solis producit calorem: & ſi eius lux intendatur per congregationem radiorum efficit ſemper maiorem calorem vſq; ad ignem etiam, ergo &c.

Secundò. Qualitas, non niſi quatenus intenſa eſt, efficit motum alterationis, ergo quatenus intenſa eſt, eſt actiua, ergo ab intenſione procedit actiuitas: probatur antecedens: eadem qualitas efficit motum alterationis ſecundum eādem in ſpecie qualitatem, ſcilicet alterando ab vno ad alterum gradum, & non niſi ratione intenſionis; quia ſecundum eandem qualitatem, abſq; eo, quod variet ſpeciem qualitatis, ſed tantum alterando ſecundum gradus intenſionis, ergo &c.

Tertiò. Maior, & minor actiuitas eiuſdem in ſpecie qualitatis in ſubiectis de cætero paribus non poteſt procedere aliundè, niſi à maori, vel minori intēſione qualitatis: ergo actiuitas qualitatis ab intenſione ducit originem.

Ex his ergo ſatis notum fit, quod ab intenſione lucis Siderum procedat qualitas quatenus actiua; ſiue etiam dicamus, quod qualitas quatenus actiua eſt ſit effectus intenſionis lucis Aſtrorum.

Secunda Concluſio. Ab extenſione lucis Aſtrorum procedit qualitas quatenus paſſiua: ſiue dicam, effectus extenſionis luminis Aſtrorum eſt qualitas quatenus paſſiua.

Patet primò: Nam Aſtra non recipiunt lumen, ideſt non patiuntur ab inuicē illuminationem, niſi ratione extenſionis: omne enim ſubiectum fit paſsibile per extenſionem ſicut eſt communis Philoſophorum ſententia: ergo ab extenſione procedit paſsibilitas, tàm in rebus inferioribus, quàm in cauſis cæleſtibus: ſed proprietates, & paſsiones cauſarum cauſæ ſunt proprietatum, & paſsionū in effectibus, vt dictum eſt *cap.* 7. ergo extenſio luminis, & paſsibilitas in Aſtris cauſa eſt extenſionis, & qualitatis paſsibilis in rebus inferioribus. Hinc autem emergit ratio, quare *Ptolemæus cap. de morbis corporis lib.* 3. dicit, quod animalium corpora pendeant a Sole, & Luna, quia ſcilicet luminaria agūt ſecundum maiorem extenſionem, quæ ſit inter ſidera: & ſanè quidem nunquam patitur corpus bonam, vel malam valetudinem, niſi dependenter a felici, vel infelici luminarium diſpoſitione: nam luminaria maiora nobis apparent præ omnibus Aſtris; Aſtra verò agere in hæc inferiora ſecundum apparentē extenſionem, & non ſecundum veram iam probatum eſt.

Secundò. Patet euidentiſsimis experientijs ex Lunæ augmento, & decremento; nam in augmento eius luminis augentur ſecundum quantum, & humidum res inferiores: è contra, in decremento diminuuntur, & exſiccantur: & ex eius plenitudine ſequuntur effectus maioris copiæ materiæ, & humiditatis, quæ eſt qualitas paſsiua; è contra, ex eius luminis paruitate ſequuntur effectus paruæ materiæ, & humoris; vt euidentiſsimum eſt in Oſtreis, Conchilijs, Cancris, & ſimilibus: in Arboribus, herbis, frugibus, Maris fluxu, & refluxu, in ægritudinibus, atq; rebus vniuerſis, quamuis in aliquibus magis, in alijs minus cognoſcatur. Res expoſitæ ad lumen Lunæ magis plenæ magis humeſcunt &c.

Tertiò. Patet etiam ex augmento lucis Solis: nam duo tempora ſcilicet Hyemis,

mis, & Veris humida communiter à Ptolemæo, Aristotele, & omnibus Philosophis prout experientia comprobat, censentur esse; maximè Ver, in quo augentur omnes fruges, & ad generationem alliciuntur vniuersa mixta: augmẽtum autem, & ad generationem allici ex copia humoris pendent: sed in his temporibus augentur dies, ergo ex augmento lucis procedit copia materiæ, humiditatis, & qualitatis passiuæ.

Quartò. Tandem probatur auctoritate Ptolemæi, *qui cap. de viribus Errantium lib.* 1. agens de Luna dicit, quod madefacit, eo quod feratur proximè terram, vnde humidæ exhalationes exeunt: Quod non debet sic intelligi, vt Luna ideo humectet, quia patiatur prius humiditatem à terræ humidis exhalationibus: nam talis sensus inuoluit circulum impossibilem; Sic enim Luna humectaret terram, & terra Lunam: idemq; quatenus idem esset effectus, & causa, saltem mediata; idem esset prius, & posterius, tum natura, tum tempore respectu eiusdem: Astra essent alterabilia secundum qualitates elementares, & à rebus inferioribus; atq; plura similia contingerent prorsus absurda. Sensus igitur Ptolemæi est in hoc loco: Eo quod Luna feratur proximè terram apparet latæ magnitudinis; inde est, vt exeant humidæ exhalationes: nam particula (vnde) non est aduerbium loci, sed Causæ.

Et quod talis sit sensus Ptolemæi in allato textu, patet euidenter ex his, quæ in eodem capite paulo infra subinfert; vbi agens de Venere, hæc habet; *Stella Veneris eosdem habet effectus, quod quidem ad temperationem attinet, quos Iuppiter: sed ratio diuersa: nam quod vicina est Soli non nihil calidifica; sed multo vehementius humectat, quemadmodum & Luna, propterea quod ingenti luce prædita attrahit exhalationem humidam à proximis terræ locis*; ergo ingens lux humiditatem suscitat; ergo, quæ supra dixerat de Luna, in hoc sensu, quem nunc subiecit intelligenda sunt, sicut ipsemet declarat dicens, rem in Venere sicut in Luna se habere: adeout Luna madefaciat, eo quod, quia proximè terram feratur, appareat ingentis luminis; nam aliàs Luna est ferè omnium Siderum secundum extensionem minima.

Sunt autem hæ duę conclusiones maximè concinnæ rerum vniuersitati: nam duæ sunt naturæ in cunctis rebus, sicut dictum est *cap.* 8. vna passiua, altera actiua, vt primæ partes substantiæ sunt materia, & forma, illa pura est potentia passiua, hæc purus actus actiuus: prima accidentia sunt quantitas, & qualitas, idest accidens quatenus extensum est, & accidens quatenus intensum; illud passiuum est, hoc verò actiuum: inter animantia mas, & fæmina: tempus habet diem, & noctem: actio requirit agens, & patiens: & similiter in cunctis rebus: Quemadmodum verò omnes actiuę qualitates se tenent ex parte formę, ita passiuæ ex parte materiæ: & sicut qualitates actiuæ sunt causæ qualitatum actiuarum; ita qualitates passiuæ sunt principia qualitatũ passiuarum: Etenim omnes qualitates reducuntur ad primas quatuor secundum Aristotelem, & communem Philosophorum sententiam; ergo omnes actiuę ad primas actiuas, omnes passiuæ ad primas passiuas: adeout actiuæ talem habeant connexionem ad inuicem, vt vna ab altera pendeat, vt secundæ qualitates à primis originem habent: ita similiter qualitates passiuę talem habent connexionem ad inuicem,

vt

vt vna ab altera pendeat, & omnes à quantitate originem ducant; vt raritas à minori quantitate materiæ sub magnis dimensionibus: leuitas à raritate; humiditas à facili terminatione ipsius quantitatis &c. ergo qualitates actiuæ causæ sunt qualitatum actiuarum; qualitates passiuæ sunt principia passiuarum qualitatum: ergo qualitas, quatenus intensa est, producit qualitatem actiuam, quatenus extensa, passiuam.

Ex dictis colligitur primò, quod in rebus inferioribus omnis effectus actiuæ naturæ referatur, tanquam ad suam causam, ad lumen Solis, quatenus intensum est: Vt quod calor vitalis vniuersi generis viuentium cum suis operationibus referatur ad Solem; quamobrem viuentia potissimum, & generentur, & reuiuiscant in augmento lucis Solis, quod fit tempore Veris in Anno, & mane in Die; item masculum genus, Reges, Principes, Paterfamilias, atq; huiusmodi; inter primas verò qualitates calor, & frigiditas, quæ ab Aristotele qualitates actiuæ censentur esse: hæ omnes ad Solis lumen, quatenus intensum est, referuntur, tanquam ad suam connaturalem causam.

Secundò. Colligitur, quod omnis effectus passiuæ naturæ referatur ad extensionem luminis Astrorum tanquam ad suam connaturalem causam: Vt, quod humiditas radicalis vniuersi generis viuentium, cum omni sua ratione patiendi sub vitali calore ad operationes vitales exercendas, referatur maximè ad Lunã: item fæmininum genus; Reginæ, Vicesgerentes, Mater familias, & huiusmodi: inter primas verò qualitates, humiditas, & siccitas, quæ ab Aristotele passiuæ qualitates habentur; inter substantias verò materia prima, cum omnibus suis passionibus, de quibus dictum est *cap.* 8. Igitur prima rerum omnium distinctio in naturam actiuam, & passiuam, pendet ab his duabus principalibus proprietatibus lucis Astrorum, quæ sunt intensio, & extensio.

Cauendum tamen est, quod tàm intensio, quàm extensio luminis adest in vtroq; luminari; immò etiam in omnibus Astris: verumtamen in Sole virtus intensionis luminis præualet nimis supra virtutem extensionis: in Luna intensio luminis admodum exilis est, quare in ipsa præualet virtus extensionis.

Cum autem intensio, & extensio lucis Solis, & Lunæ sint causæ manifestationis, & communicationis sensibus omnium rerum; quæ aliàs non fierent manifestæ, neq; secundum colores, neq; secundum figuras, neq; secundum reliquas qualitates, non modo ratione ipsius lucis, quæ visui manifestat obiecta, sed etiam ratione cuiusuis actus, & qualitatis, quæ statum luminarium sequuntur quoad suum esse, & exitum ad actum: fit, vt intensio, & extensio lucis Solis, & Lunæ sint causæ publicationis omnium rerum; vt qualitatum animi, famæ, actionum, & cæterarum rerum naturalium hominis; hinc Regna, & Gubernacula à luminaribus pendent, quę secundum famam, & qualitates animi donantur: hinc publica bona, hinc etiam publica mala, ipsa mors iuxta Ptolemęi pręcepta; hinc sexus distinctio; hinc animi dotes; hinc forma corporis, & valetudo &c. Nam si loquamur exempli gratia de fortuna honoris, de qua *Ptolemæus agit cap.* 2. *lib.* 4. Luminaria, quia dant prima vitę principia, si sint in signis masculinis, dant virilia, & actiua; si sint in Angulis, intendunt has qualitates: at verò ex actiuitate, & intensione necessariò sequitur manifestatio; nàm

K qualitas

qualitas nimis actiua, ex ipsa actione se manifestat: Quod si luminaria sint in familiaritate Siderum temperatę naturę, temperatas reddunt actiones, si intemperatę intemperatas, & infelices: Quare luminaria in Angulis, & signis masculinis summam felicitatem, vel summam infelicitatem pręstant, vel etiam inconstantem: in cadentibus non adeò manifestant; in fęmininis signis, & nullius familiaritate minus manifestant, efficiunt enim otiosas mentes fęmineas, & nullius penè actiuitatis. Hinc patet, quam consona sit rationi, & naturę rebus Ptolemæi doctrina, tàm circa rem hanc, quàm circa ceteras quando loquitur de Luminaribus. Sed dicamus de reliquis proprietatibus lucis Astrorum.

De Coloribus agam ex professo cap. sequenti: Alię verò proprietates sunt Figura, dispositio localis, scintillatio, obscuritas, nebulositas, mutatio coloris, sicut in Mercurio, & in nouis Phęnomenis, in quibus etiam mutatur extensio, & Figura.

Figura dupliciter contingit, primò in ipso corpore luminoso, vt in Luna quasi facies animalis apparet: Similiter Crinitę, & alię impressiones Metheorologicę ad Figuram aliquam accedunt. Secundò modo ex plurimum Siderum locali dispositione, sicut contingit in Stellis fixis, quarum alię constituunt Figuram vnius animalis, alię alterius: vtroq; modo similes cuiq; Figurę effectus producunt superiores causę, sicut insinuat *Ptolemæus cap. de Signis masculinis, & fœmininis; cap. de Crinitis, & alibi*. Scintillatio producit micantes effectus, qui quodam modo ex intensione virtutis actiuę tela iaciant. Obscuritas, & nebulositas obscuritatem, & tenebras. Mutatio coloris, & formę mutationem naturę, & inconstantiam. Quarum omnium ratio ex dictis colligitur, idest ex relatione qualitatum passiuarum ad extensionem, actiuarum ad intensionem, proprietatum ad proprietates &c.

Effectus colorum Lucis Siderum.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

PRobatum est, quod lux Astrorum, quatenus est intensa, & extensa, exhibeat primam rerum omnium distinctionem in genus actiuum, & passiuum: Superest inuestigare causas diuersarum naturarum in vtroq; genere: Cum enim actiuitas, & passibilitas communes sint vniuersis corporibus, & qualitatibus sublunaribus, & ipsa corpora, & qualitates differant inter se secundum naturam, & proprietates, sicut dictum est *cap.* 8. opus est co noscere in Cælo causas huius diuersitatis naturæ, & proprietatum.

Et sanè quidem natura, & proprietates effectuum comproducuntur cum ipsis effectibus, eo quod esse, & esse quale simul fiant, & pendeant ab eadem causa; quare videtur, quod etiam in Astris causæ diuersitatis naturæ, & proprietatum iunctæ sint cum causis effectuum; causæ autem effectuũ sunt lumen Siderum,

rum, vt dictum est *cap.* 1. Etenim natura, & proprietates effectuum pendent ab eadem virtute instrumentali Siderum, in qua si continetur esse, de maiori ad minus sequitur, vt eo magis contineatur esse quale: Igitur cum ipso Siderum lumine videtur debere esse iuncta causa diuersitatis naturæ, & proprietatum rerum actiuarum, & passiuarum: At verò cum lumine Siderum nihil aliud apparet coniunctum nisi colores: Præterea causa diuersitatis, & proprietatis rerum opus est, vt in Cælo sit plurium naturarum, & proprietatum; & hoc, vt diuersa producere possit; eo quod idem, quatenus idem, idem producere natū sit, vt sæpiùs attuli *ex Arist.* Nihil autem aliud apparet in Astris, quod inter ipsa diuersitatem admittat post intensionem, & extensionem, de quibus iam dictum est; & præter motum, de quo infra dicendum, nisi colores.

Prima Conclusio. Diuersitas colorum luminis in Astris importat diuersitatem effectuum in rebus inferioribus.

Probatur primò. Deus, & natura nihil frustra producunt; cum verò Sideribus datum sit lumen, quo tanquam instrumento agant in hæc inferiora, non possumus censere, quod diuersitas qualitatum in ipso lumine sit otiosa, & quod varij colores in Astris frustra positi fuerint.

Secundò. In sublunaribus diuersitas colorum est signum diuersitatis naturæ, & qualitatum rerum, ergo etiam in Astris: probatur consequens: Non adest ratio disparitatis, quod si colorum diuersitas in effectibus sit signum diuersitatis naturæ, & qualitatum eorumdem effectuum; in causis quoq; diuersitas colorū non sit signum diuersitatis naturæ, & qualitatum actiuarum: & si in rebus productis colores sunt effectus subordinati effectui principali, siue coeffectus in causis quoq; non sint causæ subordinatæ principalibus causis, & concausæ: ergo si in rebus inferioribus diuersitas colorum est signum diuersitatis naturæ, & qualitatum, prout etiam omnes Philosophi concedunt, & ostendit *Aristotiles in Phisiognomica, in Metheoris, & alibi*; consequens est, vt etiam in Astris &c.

Tertiò. Inter causam, & effectum est talis ordo, vt proprietates, & natura causæ producant proprietates, & naturam effectuum; sed colores sunt proprij cuiq; Siderum, ergo producunt similes proprietates in effectibus: maior propositio patet ex dictis *cap.* 7. modus enim agendi sequitur modum essendi: cum verò in modo essendi includantur proprietates, & natura, sequitur, vt proprietates, & natura effectuum dicant ordinem, & sequantur proprietates, & naturam suarum causarum.

Quartò. Auctoritate *Ptolemæi*, qui *lib.* 1. *cap. de natura Erraticarum, & lib.* 2. agens ex professo de coloribus in deliquijs, & crinitis, spectat colores ad cognoscendam in causis superioribus naturam effectuum rerum inferiorum.

Secunda Conclusio. Duo primi colores aureus, & albus, qui sunt in Sole, & Luna, idem valent, quod intensio, & extensio luminis; idest efficiunt eandem distinctionem, de qua dictum est præcedenti capite.

Probatur primò. Ex dictis *cap.* 8. de coloribus: nam albedo inter colores est pars subiectiua, & passiua, sicut extensio; aureus autem est pars actiua, sicut intensio: ergo idem valent, quod extensio, & intensio.

Secundò. Color aureus fit etiam ex intensione lucis, quod patet in conegre

gatione, & densatione radiorum; etenim cuiusuis lucis fiat congregatio per vitrum conuexum, vel speculum concauum, lux congregata apparet intensioris coloris aurei, quam in radijs rectis. Albus quoq; color fit ex rarefactione, & disgregatione lucis; disgregatio autem fit ex acquisitione maioris extensionis; patet ex vitro disgregante lucem ad maiorem ambitum; emergit enim lux pallidior, & magis alba quàm in radijs rectis.

Ex hoc autem sequitur, quod nigredo, & tenebræ efficiant siccitatem, & frigiditatem, contrariorum enim contrariæ causæ; nigredo autem opponitur albedini, & tenebræ opponuntur lumini, seu colori aureo: colorem enim aureum lumen voco, quia ab intensione luminis procedit, sicut dixi *cap.* 8.

Tertia Conclusio. Color aureus, & albus, qui sunt in Sole, & Luna, magis peculiariter significant res puræ, simplicis, & præstantis naturæ: albus quidem in genere passiuo, aureus autem in genere actiuo. Patet primò ex natura Auri, & Argenti, quæ si non sint alijs metallis permixta, adeo pura, & præstantia sunt, vt nullus liquor, nullumq; tempus illa maculare possit: cum enim in se nihil imperfectionis contineant, neq; ad extra emittere possunt quare neq; olent. Patet etiam in rebus, quæ lauantur, & mundantur; nam ad albedinem, & aureum colorem inclinant omnia.

Secundò. Patet: nam Sol est causa maximè actiua, & indifferens ad omnia genera rerum: dat enim vitam, & esse cunctis rebus; quod est actus formalis, (& caueas sẽper, quod quãdo loquor de forma, in homine intelligo de formis partialibus, & materialibus membrorum, non de anima, sicut dixi *cap.* 8.) Similiter Luna est causa disponens primum principium passiuum cunctarum rerum indifferenter: hæc verò principia præstantioris, & simplicioris naturæ sunt cunctis rebus, ergo &c.

Quarta Conclusio. Colores lucis Astrorum sunt causæ qualitatum in effectibus rerum inferiorum, pro qua intelligenda cauendum est, quod dixi *cap.* 8. in rebus inferioribus reperiri materiam, & formam materialem; deindè qualitates: forma, & materia pendent ab intensione, & extensione luminis, sicut dixi *cap. præced.* Nunc dico, quod colores luminis Astrorum sunt causæ qualitatum in effectibus.

Probatur primò. Astra post intensionem, & extensionem non differunt inter se, nisi per colores; sed in effectibus post differentiam specificam, & numericã non producunt nisi differentes qualitates, ergo per colores efficiunt diuersas, & differentes qualitates: Iam enim nullo alio modo differunt Astra inter se, nisi per colores; opus est autem, vt diuersos effectus non nisi per diuersam virtutem producant, quia idem quatenus idem, idem efficit; è contra, diuersorum diuersæ causæ, sicut & contrariorum contrariæ, vt docet Philosophus.

Secundò. Nihil censendum est otiosum in Astris, sicut dixi: ergo colores aliq.. m virtutem habent actiuam; sed non potest esse nisi qualitatum, ergo &c.

Obijcies. Alibi dictum est, quod idem sidus producit omnes quatuor primas qualitates, ratione quatuor modorum illuminandi, & influendi, ergo non est opus, vt colores aliquid producant. *Respondeo* ex dictis *cap.* 8. quod plura sunt genera quatuor primarum qualitatum, quæ necessariò postulant diuersas causas:

causas: Quodlibet quidem Astrum producit omnes quatuor primas qualitates, sicut alibi dixi, & docet *Ptolemaus*, sed in suo genere secundum scilicet suam naturam, quæ à colore luminis pendet in agendo.

Ex his colligitur primò, quod color aureus Solis, quia est cum intensione luminis tribuat actiuitatem, & virtutem formis substantialibus materialibus: quare à Sole ducant originem omnia bona, quæ actum formalem sequuntur.

Secundò. Colligitur, quod color albus Lunæ, quia est cum extensione efficiat qualitates, & passiones, quæ materiam, & quantitatem sequuntur; vt humiditatem, raritatem, leuitatem, cum suis contrarijs &c.

Tertiò. Quod color ceruleus, & croceus, quales sunt in Ioue, & Venere, qui colores mixti sunt ex albo, & aureo, indicent naturam temperatam ex calore, & humiditate, in ceruleo quidem prædominante calore, in croceo humiditate: ideoq; hi duo planetæ ambo dant bonum vtile, & delectabile, Iuppiter verò magis vtile, Venus magis delectabile: ille disponit elementum Aeris, Venus Aquæ: ille masculus est propter maiorem calorem, Venus fæminea est propter maiorem humiditatem.

Quartò. Quod color plumbeus, & candens, quales sunt in Saturno, & Marte indicent naturam intemperatam ex frigore quidem, & siccitate in Saturno, ex ariditate, & æstu in Marte: & Saturnus magis frigidus est, quam siccus, ideò masculinus, & disponit elementum Terræ: Mars verò magis aridus est, quam calidus, ideò ad fæmininam naturam inclinat, & disponit elementum Ignis.

Quintò. Tandem, quod color instabilis, & mutationi obnoxius, qualis est in Mercurio indicet instabilem, & inconstantem naturam.

Hæc etiam omnia patent auctoritate Ptolemæi ex *cap. de natura Erraticarum lib.* 1. Deinde ex ijs, quæ alibi dicta sunt manifesta fiunt.

De motu locali Siderum, & Passionibus, quæ ipsum sequuntur.

CAPVT QVARTVMDECIMVM.

Motus quidem Siderum localis de se, *vt dixi cap.* 1. non potest esse causa alicuius effectus in sublunaribus, quia non est productiuus alicuius qualitatis; sed ad summum dici potest causa, vel potius conditio necessario requisita ad passiones luminis Astrorum, quas *cap.* 2. ex Aristotele enumeraui, quæ sunt accessus, recessus, propè, & procùl esse; inceptio, continuitas, augmentatio, diminutio, & defectus luminis; quarum passionum in hoc capite, qui sint connaturales effectus perquirere instituo.

Prima Conclusio. In vniuersum actio pendens ab his luminis passionibus, sequitur easdē passiones, *sicut dixi cap.* 7. vt ex accessu, & recessu, sequitur accessus, & recessus actionis, ex propè, & procùl esse, quod actio propè, & procùl fit: ex inceptione initiū actionis, ex cōtinuitate continuitas, ex augmento augmentū &c.

De

De actione quidem quatenus procedit ab Astris, quæ est virtus in ipsis actiua, patet hæc conclusio; nàm virtus actiua Siderum, quæ est semper cum ipsis Astris, sequitur eorum singulas passiones, & modum essendi, vt alias dixi; etenim repugnat, vt virtus, quæ est in ipsis Astris aliter se habeat, quàm se habent ipsa Sidera. De actione verò, quæ recipitur in passo, de qua *dictũ est cap.* 4. similiter patet, quia actio, quæ recipitur in passo est ipsa eadem virtus Astrorum, tantum cum adiecto modi essendi, & recipiendi ipsius subiecti passibilis, ergo omnis actio etiam in subiecto passibili, primò quidem semper sequitur modum essendi ipsius causæ; deindè modum essendi, & recipiendi ipsius subiecti passibilis.

Cauendum autem est, quòd accessus, & recessus Astrorum propè, & procùl fieri duobus modis contingit, primò ratione decliuitatis Zodiaci, cuius meminit Aristoteles loco sæpiùs allegato: nam Astra dùm a partibus Zodiaci remotioribus à nostro vertice ad propinquiores accedunt propè fiunt; è contra, à propinquioribus recedendo ad remotiores longè fiunt: Secundò, ratione eccentrici, & Epicycli; nam a superioribus locis, quæ Apogæa vocantur ad inferiora, quæ Perigæa, descendendo ad nos accedunt, & propè fiunt; è contra, ab inferioribus ad superiora accedendo recedunt, & longè fiunt.

Secunda Conclusio. Ex accessu, & propè fieri Siderum, sequitur augmentatio luminis secundum extensionem: Patet hæc conclusio: nam ex accessu per descensum ab Apogæis Astra maiora semper apparent; ex accessu à remotioribus Zodiaci partibus diutiùs successiue semper supra terram lucent; acquirunt enim successiuè semper maiorem arcum diurnum: Quare, è contra, ex recessu sequitur diminutio. Constat euidentissimè hæc conclusio ex dictis *cap.* 4.

Tertia Conclusio. Ex augmentatione luminis secundum extensionem consequitur deinde etiam maior intensio luminis secundum gradus. Patet *primò* experientia in Luna, quæ in Plenilunio intensiorem lucem efficit, quam circa Nouilunium. *Secundò* ratione; nam ex maiori propinquitate intensior lux communicatur ex doctrina sphæræ actiuitatis. *Tertiò*, ex diuturniori illuminatione, intensior fit indè effectus procedens; vt intensiores calores fiunt Æstate, eo quod Sol diutiùs manens supra terram, diuturniori tempore, idest maiori arcu diurno illuminat nostrum hemisphærium, quam Hyeme.

Quarta Conclusio. Ex augmentatione luminis secundum extẽsionem sequitur augmentum humiditatis: siuè dicamus augmentatio luminis secundum extensionem est causa humiditatis.

Probatur primò ex dictis *cap.* 12. nam lumen, quatenus extensum est, efficit humiditatem, ergo dum augetur extensiuè, auget humiditatem.

Secundò auctoritate *Ptolemæi lib.* 1. *cap. quid valeant configurationes erga Solem*; vbi dicit, quod Luna in prima quarta post coniunctionem cum Sole efficit maximè humiditatem, in secunda calorem, in tertia siccitatem, & in quarta frigiditatem: idem asserit de tribus superioribus; hæc autem ita intelligenda sunt, vt semper fiat coniugatio duarum qualitatum, sed tamen præualeat vna qualitas, illa scilicet quam dicit, ideoq; addidit particulam maximè: nàm efficiunt

humidi-

humiditatem per totũ semicirculum à coniunctione, vsq; ad oppositionem cum Sole, & indè in alio semicirculo, vsq; ad coniunctionem efficiunt siccitatem: sed à coniunctione cum Sole, vsq; ad oppositionem augentur lumine secundum extensionem; quod in Luna maximè constat visu; & in reliquis etiam, sed minus, cum enim descendunt ab Apogæo Epicycli ad Perigæum, maiores nobis secundum extensionem semper apparent, quia sunt nobis semper propinquiores; minores è contra, dum ascendunt, quia semper remotiores; ergo ex augmento luminis secundum extensionem, sequitur augmentum humiditatis.

Rursus *Ptolemæus lib. 1. cap. de Anni temporibus* dicit, quod Ver habeat plurimum humiditatis, Æstas caloris, Autumnum siccitatis, & Hyems frigiditatis, quæ item intelligenda sunt, vt in singulis temporibus fiat coniugatio duarum qualitatum, præualeat tamen vna, quam innuit: adeout semicirculus à puncto tropico Hyemali, vsq; ad tropicum Æstiuum efficiat humiditatem, reliquus siccitatem: Sed in illo semicirculo augetur lux dierum secundum extensionem; augetur enim quantitas dierum, ergo augmentum lucis secundum extensionem est causa humiditatis.

Quinta Conclusio. Ex maiori intensione luminis sequitur maior calor. Patet *primò* ex dictis *cap. 12.* *Secundò*, experientia in congregatione radiorum; & in Anni temporibus; nam Æstate quando Solis lux nobis intẽsior communicatur, tum ratione altitutidinis, seu propinquitatis ad verticem, tum ratione diuturnioris per diem illuminationis experimur intensiorem calorem. Et sanè quidẽ hæc conclusio negari non potest, quippe quæ constat euidentissimè, & non solum in lumine Siderum, sed etiam in luce ignis.

Ex contrarijs autem contraria pari ratione colligere possumus, quia contrariorum contrariæ causæ, vt sæpè ait *Aristoteles*, maximè in hoc proposito agens de causis per petuitatis ortus, & interitus rerum. Quare ex recessu, & longè fieri sequitur diminutio luminis &c. & ex diminutione, secundum extensum, sequitur siccitas, ex remissione, secundum gradus intensionis, frigiditas.

Hęc etiam omnia comprobantur auctoritate *Aristotelis* à me allata *supra cap. 2. ex 2. generat. text. 56.* vbi perquirit causas perpetuitatis ortus, & interitus rerum. Et *primò* quidem supponit demonstratum generationem, & corruptionem rerũ esse continuam. *Secundò*, harum rerum causam esse lationem. *Tertiò*, quod vna latio non sufficit, quia effectus, idest ortus, & interitus contrarij sunt, idem autem, & similiter se habens semper idem natum est efficere: quare ex vna latione sequeretur semper, aut generatio, aut corruptio: *oportet autem*, ait *multos esse, & contrarios motus, quia contrariorum contrariæ causæ. Ideoq; non prima latio causa generationis, & corruptionis est, sed quæ secundum obliquum circulum*, prima latio est motus Primi Mobilis, cum omnibus Astris ab ortu ad occasum &c. quæ sanè non est causa ortus, & interitus rerum, qui fiunt per Annum, de quibus loquitur ibi Philosophus, sed eorũ, quæ fiunt in die; generationis autẽ, & interitus rerum per Annum causa est motus secundum obliquum circulum, qui est Zodiacus, *in hac enim continuum vnum est, & moueri duobus motibus*, sed profectò contingit etiam in die moueri duobus motibus, idest accessus, & recessus, atq; propè, & procùl fieri, quos non animaduertit Philosophus, quia nõ erant

ad

ad rem suam, dum inquireret causas generationis, & corruptionis annuæ: *Necesse enim si erit semper continua generatio, & corruptio, semper aliquid moueri, vt non deficiant ipsæ transmutationes*, correlatiua sunt hæc; nàm si effectus est continuus, sequitur, vt etiam causa sit continua: & si causa continua est, quod etiam effectus sit continuus: si tamen causa sit necessaria; *duobus autem, vt non solum contingat alterum*: iam dixerat necessarium esse duplicem motum; qui verò sint hi motus subdit infra: *continuitatis igitur, quæ est totius, latio causa est*, causa continua producit effectum continuum, latio autem continua est; ergo producit effectum continuum: *accedendi verò, & recedendi inclinatio*, obliquitas Zodiaci causa est accessus, & recessus Astrorum: *contingit enim quandoq; fieri longè, quandoq; propè*, quia Zodiaci partes quædam propè sunt, quædam longè, quædam intermediant: *inæquali verò distantia existente, inæqualis erit motus*: patet hoc ex Theoricis secundorum Mobilium. *Quocirca si in adueniendo, & in propè esse generat; & in recedendo, & longè fieri idipsum corrumpit*. Dicit nunc, qui sint duo motus, quos dixerat esse necessarios ad generationem, & corruptionem rerum; & sunt accessus, & recessus; procùl & propè esse: generationis quidem causa est accessus, & propè esse; corruptionis recessus, & longè fieri: Quod paulò infrà dicit patere etiam sensibus. *Apparent autem, & secundum sensum confessa his, quæ à nobis dicta sunt: videmus enim, quod adueniente quidem Sole generatio est, recedente verò corruptio*. Et ne quis fortè contenderet, quod non procedant ab his motibus, & luminis passionibus, sed ab occultis influentijs, de quibus dictum est *cap*. 1. non posse esse instrumentum Siderum; propterea arguit à tempore, *& in æquali tempore vtrumq;*; nam in Vere, & Æstate semper generatio est, in Autumno, & Hyeme corruptio; adeout non possimus affirmare, quod generationis, & corruptionis alia sit causa, quam hæc latio, quæ statis semper temporibus rerum generationem, & corruptionem efficit: Ego autem nunc stantibus sic rebus, efficio minorem propositionem hanc; sed omnis rerum generatio requirit humiditatem, & calorem, ergo Aristoteles censuit, quod ab accessu, & propè esse fiat humiditas, & calor; à recessu, & longè fieri, fiat siccitas, & frigiditas; etenim re vera generatio rerum ex humiditate fit, & calore; corruptio ex frigiditate, & siccitate, prout sæpissimè idem Philosophus docet in suis operibus, & præcipuè *de longit. & breuit. vitæ*: *de Respiratione*, *de Animalibus*, *& alibi*. Quare sequitur, vt *Aristoteles* velit, quod accessus, & propè esse Siderum sit causa humiditatis, & caloris; recessus, & longè fieri siccitatis, & frigiditatis.

Ex dictis autem colligitur quatuor esse coniugationes modi influendi Siderũ, iuxta quatuor coniugationes modi illuminandi: in augmento luminis, & propè esse: in propè esse & decremento: in decremento & longè esse; in longè esse & augmento. Per has verò coniugationes constituuntur quatuor Quartæ in Mundo, quæ sunt diei; ab Ortu ad Meridiem, à Meridie ad Occasum, ab Occasu ad Imum, ab Imo ad Ortum. Item constituuntur quatuor Quartæ Zodiaci, & temporum Anni, ab Ariete ad Cancrum, à Cancro ad Libram, à Libra ad Capricornum, à Capricorno ad Arietem. Ab his quartis, & suis modi illuminandi coniugationibus pendent quatuor coniugationes qualitatũ quatuor temporum Anni, & Diei.

Tandem fiunt quatuor ſtatus ſex erraticarum erga Solem; & ſunt à prima ſtatione ad Perigæum Epicycli; à Perigæo ad ſecundam ſtationem; à ſecunda ſtatione ad Apogæum Epicycli; ab Apogæo ad primam ſtationem; in Luna pro ſtatione intellige Dicotomam. Qui quidem ſtatus ſex errantium, eo quia fiant in ſingulis,& vnoquoq; eorū ſeorſim,ratione ſcilicet diuerſitatis ſui vniuſcuiuſq; luminis, & orbis parui, non conſtituunt inter Sidera familiaritates, quemadmodum reliqui duo modi illuminandi in Zodiaco, & in Mundo; ſed tantum pertinent ad modificandas naturas vniuſcuiuſq; de qua re agit Ptolemæus *lib. 1. cap. quid valeant configurationes erga Solem*. At verò reliqui duo modi in Zodiaco, & in Mundo conſtituunt efficaces familiaritates inter omnia Sidera.

Ex his emergit ratio quare à Ptolemæo tres ſuperiores cenſeantur fortiores ſi ſint à Sole matutini, & tres inferiores veſpertini: nam in his ſtatibus deſcendunt ab Apogæo Epicycli, quare augentur lumine, & propè fiunt; veſpertini verò ſuperiores, & matutini inferiores minuuntur lumine, & longè fiunt, quia aſcendunt à Perigæo ad Apogæum Epicycli. Hinc liquidò conſtat,quam concinna ſint à me poſita principia, quæ tàm ad inuicem, tàm erga res ipſas, tàm erga Ptolemæi, & Ariſtoteles doctrinam pulchrè correſpondent.

Ceſſant leues plurium Auctorum rationes,vtpotè nullis innixæ fundamentis: quidam enim dicunt Planetas ſuperiores eſſe viribus robuſtos, ſi ſint matutini, quia lucent ante Solis ortum; & inferiores ſi ſint veſpertini, quia lucent poſt occaſum. At quæſo,quæ eſt hæc ratio? mihi profectò non dicam exilis, ſed omninò nulla videtur, & prorſus inanis, & vacua.

Sexta Concluſio. A punctis cardinalibus Mundi, & Zodiaci Sidera incipiunt influere primas quatuor qualitates: vt à Tropico Hyemis humiditatem, ab Æquinoctio Verno calorem, à Tropico Æſtiuo ſiccitatem,ab Æquinoctio Autumni frigiditatem: Similiter ab Imo humiditatem, ab Ortu calorem, à Culmine ſiccitatem, ab Occaſu frigiditatem.

Probatur ex dictis. Nam humiditas fit ex augmento lucis; calor ex propè eſſe; ſiccitas ex decremento; frigiditas ex longè eſſe; ergo à quibus punctis Aſtra incipiunt has paſſiones, incipiunt etiam earum effectus: Sed ab Imo,& Capricorno accedunt ad nos; à Culmine, & Cancro recedunt; ab Ortu,& Ariete,vſq; ad Occaſum,& Libram propè ſunt; ab Occaſu,& Libra,vſq; ad Ortum, & Arietem longè ſunt, ergo &c.

Contra hanc tamen concluſionem adeſt validiſſima ratio, quæ talis eſt. Saturnus frigidus eſt, & ſiccus ſecundum naturam, ergo non poteſt efficere quocumq;loco conſiſtat calorem,& humiditatem: Item Mars calidus eſt,& ſiccus; non poteſt ergo à quouis loco efficere frigiditatem, & humiditatem; Similiter neq; reliqui, qualitates naturæ ſuæ ſibi inuicem contrarias: Nam quilibet Planeta habet ſuam naturam abſolutam ſecundum quam ſemper agit in quocumq; loco, & non agunt Sidera ſecundum naturam loci, vel modi influendi, & illuminandi,de quibus dictum eſt. *Reſpondeo primò*, quod hæc ratio militat contra doctrinam Ptolemæi ſupra allegatam ex *lib. 1. cap. quid valeant configurationes erga Solem*: omnis enim Planeta alterat ſuam naturam ex diuerſi-

tate situs erga Solem; itaut Saturnus efficiat etiam calorem, & humiditatem; Mars humiditatem, & frigiditatem &c: *Secundò*, quod militat contra Aristotelem supra citatum, qui ex accessu, & recessu, propè, & procùl esse Siderum colligit generationes, & corruptiones rerum: generationes autem rerum sæpiùs docet fieri humiditate, & calore; corruptiones frigiditate, & siccitate. *Tertiò*, quod militat contra experientiam euidentissimam, quàm afferunt iidem Doctores, nam Sol calidus est, & siccus; attamen à diuersis Mundi, & Zodiaci situbus efficit etiam frigiditatem, & humiditatem: Item Luna humida est & frigida; tamen Galenus, & Ptolemæus dicunt, quod circa plenilunium calidifica sit, & in decremento luminis exsiccans. *Quartò*, Respondeo, quod omnia, & singula Sidera efficiunt quatuor primas qualitates, cum hoc tamē discrimine, quod Sidera benignæ naturæ efficiunt qualitates benignas, & fæcundas; Sidera malefica, & sterilia efficiunt qualitates maleficas, & destructiuas: Plura autem esse genera primarum qualitatum iam ostensum est *cap.* 8. vbi probatum, quod quædam sunt fæcundæ, quædam vitales, quædam mixtorum; quædam maleficæ, & exitiales, quædam elementorum &c: *Quintò*, tandem dico, quod idem Sidus alio modo influit latione coniunctionis cum Sole, alio modo latione peragrationis Zodiaci, alio modo latione circa Mundum. Quæ, vt benè percipiantur

Sciendum, quod etiam supra dictum est, Solem duabus lationibus influere in res inferiores, latione peragrationis Zodiaci, & horaria circa Mundum; reliqua verò Sidera tribus, latione peragrationis Zodiaci, coniunctionis cum Sole, & horaria circa Mundum. Medici verò triplicem mensem lunarem constituunt, coniunctionis, peragrationis, & apparitionis, & putant diuersimodè his tribus mensibus Lunam influere in res inferiores: Et sanè mensis apparitionis non differt à mense coniunctionis, etenim Luna agit etiam dum latet sub radijs Solis; quod patet in punctis nouilunij, in quibus multùm vehemēter commouet omnia sibi inferiora elementaria corpora, tàm mixta, quàm simplicia.

Sciendum etiam, quod omnis varietas in Astris varietatem effectuum importat, hoc etiam alibi dictum est, & deducitur ex principijs *cap.* 7. modus enim agendi sequitur modum essendi, quod si modi essendi sint diuersi in causis, & effectus necessariò erunt diuersi: Nam non est possibile, quod eiusdem in specie effectus plures sint causæ secundum naturam diuersæ, ingentia quippe sequerentur absurda; & quamuis ad eundem effectum totalem plures concurrant causæ, puta omnia Sidera ad generationem hominis, omne Sidus habet suum effectum partialem in ipso homine, vt Aries respicit caput, Sol calorem vitalem &c: Omnis ergo latio Siderum habet suum effectum, qui verò sint dicam infra, nunc sequar ordinem Capitis.

Septima Conclusio. Has qualitates ab his punctis Astra intendunt continēter, & semper successiuè progrediendo, vsq; ad terminum oppositum: vt ab Imo, & Capricorno ad Culmen, & Cancrum intendunt humiditatem, ab Ortu, & Ariete ad Occasum, & Libram intendunt Calorem &c.

Hoc item patet ex dictis, & ex ipsis luminis passionibus, prout enim ipsæ passiones successiuè fiunt, & vlterius contendunt, successiuè semper vlteriores gradus

gradus qualitatum producunt. Quare continuitas modi influendi causa est continuitatis effectus. Hoc idem innuit *Aristoteles loco supra citato* illis verbis, *continuitatis igitur, quæ est totius, latio causa est*, ergo latio, quæ continua est, & perpetuò successiua, causa est continuitatis effectus: Qualitates autem continuitate influxus intenduntur.

Hinc sequitur, quod in singulis coniugationibus dominetur, & sit intensior vna qualitas iuxta Ptolemęi doctrinam: etenim si Sidera incipiunt, & intendunt humiditatem ab Imo, & Capricorno, vsq; ad Culmen, & Cancrum: & incipiunt, atq; intendunt calorem ab Ortu, & Ariete, vsq; ad Occasum, & Libram &c. sequitur necessariò, vt in quartis ab Ortu, & Ariete vsq; ad Culmen, & Cancrum, intensior sit humiditas, quàm calor: à Culmine, & Cancro ad Occasum, & Libram intensior sit calor quàm siccitas &c: Et ratio est, quia intensior est proculdubiò qualitas, quæ prius tempore inchoata est, quam quæ posteriùs, quia qualitas tendit semper ad vlteriores, & intensiores gradus &c.

Octaua Conclusio. Ab his punctis Astra dum successiuè intendunt vnam qualitatem, remittunt etiam successiuè alteram qualitatem illi contrariam: vt dum intendunt humiditatem, remittunt siccitatem &c: pro cuius intelligentia

Cauendum est *Primò*, ex communi Philosophorum doctrina, quòd ex quatuor primis qualitatibus fiunt duæ coniugationes contrarietatis: vt calor contrarius est frigiditati, humiditas siccitati: & hæ contrarietates sunt positiuæ, quia à contrarijs positiuis.

Secundò cauendum, quod duæ qualitates contrariæ non possunt naturaliter reperiri, & simùl commorari in eodem subiecto, & esse in summo intensæ: quia summus calor expellit omnem frigiditatem, & summa frigiditas omnem calorem &c.

Tertiò. Quod non potest reperiri in eodem subiecto aliqua prima qualitas in gradu remisso, nisi adsit qualitas contraria secundum illos gradus quibus caret illa qualitas remissa: vt non possunt esse sex gradus caloris in aliquo subiecto nisi adsint ibidem duo gradus frigiditatis: quia omnis remissio alicuius primæ qualitatis fit ex præsentia qualitatis contrariæ.

Primò igitur ex dictis patet conclusio tamquam à posteriori, idest ab effectu: nam dùm Astra intendunt vnam qualitatem, necesse est, vt remittant alteram illi contrariam.

Secundò Patet ex dictis de modis illuminandi, tanquam à priori: quia si Sidera augmento luminis intendunt humiditatem: sequitur necessariò, vt decremento illam remittant: & si decremento intendunt siccitatem, quod eamdem remittant augmento; & hæc ob relationem contrariorum: ergo dum intendunt vnam qualitatem, remittunt alteram illi contrariam.

Ex dictis autem colligitur *Primò*, quod influxus Astrorum pendet à motu, & illuminatione, non a quantitate spatij Cæli, neq; à situbus: Et quod radiji Siderum non sint efficaces ex distantijs acceptis mensura quantitatis Cæli, sed mensura quantitatis motus, & illuminationis, sicut alibi sæpiùs dictum est.

Secundò Colligitur ratio quare Sidera in Domibus cadentibus imbecilla sint secundum vires, in succedentibus robustiora, in centris Angulorũ robustissima.

Tertiò. Quod Sidera velocis motus, velociter agant, & quod eorum effectus parum durent; è contra, quod Sidera tardi motus, tardè perficiant opus, sed tamen, quod diutiùs perseueret.

Quartò. Quod ex motu directo Sidera intendant qualitates, & effectus; ex motu regressus, quod remittant.

Quintò. Quare quædam Domicilia, & Signa sint Mobilia, quædam fixa, & quædam communia: nam illa in quibus Planetæ incipiunt nouum modum illuminandi mobilia sunt: illa in quibus illuminandi modum continenter diutiùs prosequuti sunt, vt ferè sint circa finem, fixa sunt, quia ibi secundum qualitates stabiliunt naturam illius quartæ: illa tandem, in quibus quàm proximè cessant modi illuminandi, & incipiunt participare subsequentem communia dicuntur.

Sextò. Sidera, quæ maiorem habent arcum, siue diurnum supra terram, siue nocturnum sub terra, robustiora esse ijs, quæ habent minorem: nam quæ maiorem habent arcum ex diuturniori modo illuminandi intensiorem producunt qualitatem. Quæ verò parem habent arcum viribus æqualia esse: & hinc ratio efficaciæ omnium parallelorum &c.

Septimò. Quod luminaria ex deliquio cessent ab influxu, & quod tunc sufficiantur Sidera viribus robustiora: quoniam verò à Luminaribus pendent omnia bona, maximè quoad substantiam; vnde Sol, & Luna sunt Prorogatores, significatores, seu largitores principales omnium bonorum; hinc est, quod ex deliquijs luminarium sequuntur ingentes effectus circa res magnas, & vtiles.

Octauò. Emergit fundamentum reale, & naturale efficaciæ Domorum, & radiorum Siderum, tàm inter se, quàm in Mundo; Diuisionis quoq; Signorũ, & Domorum, atq; plurium rerum, de quibus suis locis dictum est: quorum efficacia cum consistat in influxu proportionalis gradus qualitatis; & proportionales gradus qualitatum Astra producant à proportionalibus distantijs ex motu, & influxu sit; vt omnis proportionalis distantia motus, & influxus sit efficax, sicut alibi dictum est.

Superest nunc perquirere qui sint effectus singularum lationum Siderum: hoc autem puto, quod difficile admodum sit cognoscere, & huius ignoratio sit causa ingentium errorum in hac disciplina. Difficultatem verò affert, quod Sidera secundum naturam quam habẽt absolutam ex coloribus, sicut dictum est *cap.* 13. efficiunt quatuor primas qualitates, vt Saturnus frigiditatem, & siccitatem &c: Deindè omne Sidus efficit quatuor primas qualitates ex latione peragrationis Zodiaci: tertio, omne Sidus efficit quatuor primas qualitates ex latione horaria circa Mundum: quartò tandem omne Sidus efficit quatuor primas qualitates ex latione circa Solem. Quæ lationes cum sint modi diuersi influendi, necessariò habent effectus inter se diuersos; itaut hi modi producant qualitates inter se secundum naturam diuersas.

Nona Conclusio. Qualitates actuales quæcunq; siuè elementorum, siuè mixtorum pendent à latione Siderum horaria circa Mundum: quæ autem sint qualitates actuales, & quæ virtuales, dictum est *cap.* 8.

Probatur primò. Qualitates actuales quæcunq; sint agunt vehementiori, &

celeriori

celeriori motu, & actione, quam fieri possit secundum gradus suæ intensionis; non sic qualitates virtuales, quæ ad agendum adeò pigræ sunt, cuiusuis sint intensionis, vt egeant extrinseca causa efficiente similis sibi naturæ, quæ ad actũ eas eliciat; & si sit virtus se restituens ad actuales qualitates sibi connaturales, tardè admodum se restituit; nam non nisi qualitates actuales verè actiuæ sunt, quæ contra alias actuales sibi hostes pugnando agunt, & resistunt: Ergo qualitates actuales habent causam vniuersalem vehementiori, & celeriori motu agentem, quam esse possit: sed non est in Cælo vehementior, & celerior motus, quam sit horarius circa Mundum, ergo qualitates actuales ab hac latione pendent. Quod verò Sidera lationibus efficiant primas qualitates iam ostensũ est. Consequens antecedentis patet *cap.7.* quia modus agendi sequitur modum essendi; ergo vehemens, & celeris actio postulat vehementem, & celerem motum causæ.

Secundò probatur. Qualitates actuales eliciunt ad actum illas qualitates, quæ sunt in potentia, & virtute; Latio verò circa Mundum est, quæ de presenti applicat nobis influxus Siderum, qui fiunt in Zodiaco, & circa Solem: sed influxus Siderum in Zodiaco, & circa Solem sunt causæ qualitatum virtualium: ergo latio circa Mundum elicit ad actum influxus Astrorum, qui fiunt in Zodiaco, & circa Solem; idest producit actuales qualitates: minor propositio patet; nam si Sidera mouerentur tantum in Zodiaco, & non circa Mundum, præordinaretur quidem virtus, & potentia ad qualitates, vt puta temporum Anni: at verò nisi Sidera mouerentur circa Mundum non efficerent ipsas qualitates actuales temporum Anni; quod certissimum est: nam nisi Sol nobis oriretur, & lustraret nostrum hemisphærium, nunquam afferret nobis calorem etiam in summa altitudine tropici Cancri repertus &c.

Tertiò. Patet ex Ptolemæo, qui lib. 2. cap. penult. vbi agens de particulari tempestatum consideratione, venatur particularem, & actualem mutationem aeris, & elementorum ex accessu Siderum, & luminarium ad Cardines.

Et quod qualitates actuales Elementorum pendeant è latione Siderum circa Mundum potest item probari: Nam Elementa sunt quatuor effectus perpetuò iidem, immobiles, & incorruptibiles secundum totum, definiti, & librati, adeout fines suos nullatenus excedere, vel admodum leuiter possint: ergo opus est, vt habeant quatuor causas perpetuò easdem, immobiles, & inuariabiles secundum totum; quæ non reperiuntur nisi in quatuor quadrantibus Mundi, quæ lustrantur ab Astris latione horaria circa Mundum, vt patet. At verò circa mixta.

Cauendum est *Primò*, quod mixta sunt in diuersis gradibus perfectionis, prout eorum mixtio magis, vel minus perfectior est ratione diuersitatis concoctionis, & refractionis Elementorum, quæ ex perfectione qualitatis Cælestis, quæ in ipsis est dependet: Vt inter animantia, plantæ, deinde illa, quæ ex putri genita sunt infimæ sunt perfectionis; magis perfecta sunt cætera animalia sensibilia; tandem homo continet mixtionem omnium perfectissimam.

Secundò cauendum, quod mixtorum animatorum tempora durationis, seu Vitæ, vel sunt horæ, vel dies, vel menses, vel Anni, secundum eorum maiorem

rem perfectionem mixtionis; ſicut habet *Ptolemaus lib. 3. cap. de his, qui non nutriuntur. Tempus enim*, ait, *propriè hoc vnius Anni accipitur; potentia verò etiam minus eſt illo menſes videlicet, ac dies, & horæ. Sed quæ de illis, qui non nutriuntur ſuſcipitur quæſtio in eos tantum cadit, qui ob malitiæ abundantiam minoribus temporibus decedunt*. At quæſo, quænam eſt abundantia malitiæ, niſi illa, quæ in mixtis imperfectis eſt inconcoctio, & cruditas elementorum? Etenim quo magis Elementa in mixtis refracta, & concocta ſunt eo perfectiora emergunt mixta, ideoq; diutiùs viuunt propter maiorem Elementorum concoctionem, qua minus malitiæ continent: Hinc optima ratione *Ptolemaus* minora vitæ tempora tribuit ijs, qui infortunarum malitia opprimuntur, ideſt qui minorem adepti ſunt perfectionem mixtionis: Et hoc idem eſt, quod vult *Ariſtoteles 2. gener. tex.* 57. verbis illis; *Et in æquali tempore corruptio, & generatio, quæ ſecundum naturam: Ideo & tempus, & vita vniuſcuiuſq; numerum habent, & hoc determinantur, omnium enim eſt ordo. Et omne tempus, & vita menſurantur circuitu, ſed tamen non eodem omnia, ſed hæc quidem minori, hæc autem maiori, his enim annus, his autem maior, alijs autem minor circuitus eſt menſura*.

Tertiò cauendum, quod animantium durationes fiunt ex eo, quod exeunt ad actum, ideſt fiunt actu qualitates vitales præexiſtentes virtute, & potentia, ſicut dictum eſt *cap.* 8. Nam durationes rerum non ſunt pura tempora, ſed poſitiui effectus, & qualitates, quæ ad actum eunt.

Quartò cauendum, quod qualitates infimorum mixtorum viuentium ſunt primę cauſæ naturales efficientes omnē mixtionem cuiuſuis gradus perfectioris mixti viuentis; dixi, quod ſint primæ cauſæ, intelligo tamen in ordine operis, non perfectionis; quia in ordine perfectionis principalis cauſa mixtionis, ſicut dixi *cap.* 8. eſt qualitas cæleſtis virtualis: Omne enim mixtum incipit à prima concoctione elementorum, & ab infima mixtione: Inde tendit ad perfectiorem concoctionem, & mixtionem. Vt eſca naſcitur ex elementis, ſicut frumentū, olera, & ſimilia, ſumpta fit ſanguis, ex ſanguine ſemen, ex ſemine fit Embryo, inde viuens vita plantæ, poſtea ſenſibile &c. Et hæ qualitates infimæ ita ſunt primæ cauſæ ad omnem mixtionem cuiuſuis gradus perfectionis mixti, vt ſint ſemper primæ cauſæ, tàm in fieri, quàm conſeruari etiam, vſq; ad vltimum eſſe mixtorum ante eorum reſolutionem: Quod patet ex eo, quia niſi animal reficiatur quotidie intra ſeptem moritur; & omnis inconcoctio cibi officit; è contra, optima concoctione conſeruatur animal: tandem quando moritur homo, cum his tantum infimis qualitatibus vltimò viuit. Quapropter omne viuens cuiuſuis perfectionis ſit habet operationes omnium inferiorum viuentium: Et quia operationes viuentium pendent à qualitatibus Cæleſtibus, quæ quò intenſiores ſunt eò perfectiores operationes habent; intenſior verò gradus qualitatis continet ſub ſe etiam remiſſiorem; hinc optima ratione Philoſophi cenſent, quod animalia perfectiora continent eminentèr perfectionem animalium inferiorum: Ex hoc autem ſequitur, quod licet tempora viuentium perfectiorum ſint maiora, puta ſint Anni, in quibus exeunt ad actum eorum qualitates vitales; attamen ſunt etiam menſes, dies, & horæ tanquam inferiora membra, & inferiores quædam differentiæ partium: Vt homo dum benè valet viuit per

Annos,

Annos, per menses, dies, & horas; dum ægrotat viuit per menses, dies, & horas; ingrauescente morbo viuit per dies, & horas; in agonia viuit per horas: ergo viuit semper per minora tempora tantum, & qualitates, quæ in ipsis exeunt ad actum, prout infirmatur qualitas Cælestis, quæ est causa mixtionis primaria, & principalis; vndè etiam mixtum ad resolutionem in elementa contendit.

Ex his ergo *limitatur* suprapofita conclusio quoad qualitates mixtorum, vt in ea sit sermo duntaxat de qualitatibus infimis omnium mixtorum, quæ qualitates sunt primæ causæ mixtionis etiam perfectioris cuiusq; tàm in fieri, quàm in conseruari: & ita sunt primæ causæ, vt non in ordine perfectionis, sed in ordine operis, & tanquam proximum instrumentum principalis causæ, quæ est qualitas Cælestis virtualis. Igitur à latione Siderum horaria circa Mundum, tanquã à causa præsentanea pendet omnis infima qualitas mixtorum, quæ est causa mixtionis non quidem principalis, sed in ordine operis, & tanquam proximum instrumentum principalis causæ, quæ est qualitas Cælestis virtualis. Hinc autem patet quàm efficaces censeri debeant familiaritates in Mundo acceptæ, quas ego excogitaui, immò melius dicam, quas reperi iam existentes in natura: Nam si diligenter experiaris, inuenies semper omninò, quod non moritur homo, neq; grauiter infirmatur, nisi tunc de præsenti adsint infortunarum familiaritates hostiles in Mundo acceptæ erga Prorogatores Mundo vniuersales, iuxta ea, quæ alibi dixi: & vide Decubitus quos afferunt *Maginus, & Argolus in suis de Diebus Criticis operibus*; in quibus memineris obseruare etiam parallelos in Mundo.

Decima Conclusio. Qualitates virtuales Elementorum pendent à lationibus peragrationis Astrorum in Zodiaco: siue dicam, Astra peragrando Zodiacum efficiunt qualitates virtuales Elementorum.

Probatur primò. Tales secundum naturam qualitates, & effectus producunt Astra suis lationibus, qualem respectum habent cum ijsdem motibus: Sed motu in Zodiaco Sidera habent respectum ad Elementa, ergo hoc motu producunt Elementa, & eorum qualitates: At verò Sidera efficiunt qualitates actuales Elementorum latione horaria circa Mundum, sicut supra ostensum est; ergo superest, vt latione peragrationis in Zodiaco efficiant qualitates virtuales eorumdem: Maior propositio patet *cap. 4. 7. & alibi*, modus enim agendi sequitur modum essendi; & Sidera agunt secundum apparentem respectum. *Aristoteles ait*, quod Sidera generant, & corrumpunt accedendo, & recedendo, procùl, & propè manendo; hi autem sunt respectus quidam; nam dum accedunt ad nos, recedunt ab alijs regionibus terræ, & è contra. *Ptolemæus quoq; lib. 2. cap. de Coloribus in Deliquijs, & crinitis* inuestigat Regiones ex inclinatione causarum, seu ex respectu. Minor verò probatur: motu peragrationis Zodicaci Sidera accedunt, & recedunt, propè, & procùl sunt à partibus fixis Elementorum, terræ &c: ergo Sidera latione in Zodiaco habent respectum ad Elementa, cum quibus hoc motu variant respectus, & habitudines, accedunt, & recedunt, &c.

Secundò probatur. Eadem ratione, qua supra ostendi, qualitates actuales Elementorum pendere à motu Siderum circa Mundum: Elementa sunt qua-

tuor

tuor effectus perpetuò subsistentes ijdem, immobiles, incorruptibiles ex totò, & secundum quantitatem perpetuò diffiniti: ergo necesse est, vt pendeant à quatuor causis, quæ perpetuò subsistant eædem immobiles, & inuariabiles secundum totum, sicut sunt quatuor Quadrantes Mundi, & Zodiaci, seu lationes Astrorum circa Mundum, & in Zodiaco. Vt verò hæc ratio benè percipiatur.

Cauendùm est *Primò*, quod effectus eodem modo in perpetuum subsistentes, & definiti, habent causam eodem modo in perpetuum agentem, & se habentem; idem enim eodem modo se habens idem efficit, ergo & idem effectus habet causam eodem modo semper se habentem: Nam è contra, variorum effectuum variæ causæ, sicut contrariorum contrariæ.

Secundò cauendum. Quod Elementa sunt effectus perpetuò subsistentes, & quamuis ex parte corrumpantur, & generentur, attamen secundum totum perpetuò permanent ijdem, & definiti, adeout eorum generatiò secundum partē, & conseruatio secundum totum postulet necessario causam eodem semper modo in perpetuum se habentem, & agentem: Vt omnis humiditas ab augmento luminis pendet, omnis calor ab intensione, sicut ostensum est: immò tanta humiditas a tantò augmento, talis calor à tali intensione &c: Effectus omnes reliqui, & sunt mixta non subsistunt perpetuò, & ab inuicem differunt omnes secundum temperamentum, & mixtionem, augentur, minuuntur, &c.

Tertiò Cauendum, quod in Cælo modus perpetuus agendi Siderum est duplex; secundum peragrationem in Zodiaco, & lationē circa Mundum; hi enim modi ijdem semper sunt: nam Quartæ Zodiaci, & Mundi nullam vnquam varietatem suscipiunt erga singulos terræ finitores. At lationes Astrorum erga Solem sunt in perpetua mutatione, quia Sidera nunquam coniunguntur ampliùs cum Sole in eodem loco Zodiaci. Ex his autem magis euidens fit supradicta ratio, quæ has duas vltimas Conclusiones optimè probat.

Vndecima Conclusio. Qualitates actuales vitales animalium viuentium per Annos, & menses pendent a lationibus Solis in Zodiaco, & Lunæ circa Solem, tanquam a suis causis efficientibus prætentaneis.

Probatur primò ex totali similitudine temporis: nam qualitates animalium viuentium per Annos, exeunt ad actum in Annis, & viuentium per menses, exeunt ad actum in mensibus; quia vita animantium non sunt pura tempora, sed qualitates vitales, prout exeunt ad actum, sicut alibi dixi: ergo hi effectus habent tempora omninò similia temporibus dictarum causarum, idest lationibus Solis in Zodiaco, & Lunæ circa Solem: ergo ab his lationibus pendent. Hæc autem ratio probat etiam nonam Conclusionem.

Secundò. Animalia viuunt ex actuali calore, & humiditate, quæ sunt qualitates vitales; sed hæ pendent a Sole, & Luna, sicut alibi demonstraui; ergo actuales qualitates vitales viuentium per Annos, & menses pendent à lationibus Solis in Zodiaco, & Lunæ circa Solem.

Tertiò. Animalia perfectiora, viuunt diuturniora tempora, idest per Annos, & menses, non tantum per dies, & horas, ratione mixtionis perfectioris: sed longè perfectior mixtio fit, & qualitas Cælestis à Sole in Anno, & à Luna motu circa Solem, quam eorum lationibus diurnis circa Mundum, vt supra dixi,

dixi, & colligitur ex *Ptolemæo lib. 3. cap. supra relato*; ergo qualitates viuentium per Annos,& menses pēdent à lationibus Solis in Zodiaco,& Lunæ circa Solē.

Obijcies *Primò*. Dictum est supra, quod Sol peragrando Zodiacum producit qualitates virtuales Elementorum; quare quod hoc motu sit causa Elementorum: At verò diuersorum effectuum diuersæ sunt causæ, ergo hac latione Sol non potest efficere calorem in viuentibus, qualitates Cælestes in mixtis, atq; tantam varietatem effectuum in rebus inferioribus.

Secundò Obijcies. Lunæ latio multiplex est circa Mundum, peragrationis Zodiaci, circa Solem, & illuminationis, seu apparitionis: non est autem ratio quare vnà magis latio, quàm altera sit causa Elementorum, aut mixtorum &c: Ad quarum difficultatum solutionem

Cauendum est *Primò*. Iuxta ea, quæ alibi dixi, quod Luminaria ratione ingentis magnitudinis, & intensionis lucis, quibus administrant in primis materiam, & formam materialem in cunctis rebus; deindè qualitates cælestes in mixtis, & educunt ad actum omnes res; continent eminenter, & virtute omnes effectus rerum inferiorum; idest Elementorum, mixtorum, & viuentium: attamen cum discrimine, quod procedit ex parte quidem causarum. *Primò*, à varijs gradibus qualitatum, quos suis lationibus attingunt ipsa luminaria: nam cum intensiori gradu attingunt mixta perfectiora ratione perfectioris concoctionis: cum remissiori gradu imperfectiora &c: *Secundò*, à varijs, & diuersis familiaritatibus cum cæteris erraticis; nam cum temperatis producunt mixta temperatæ naturæ, cum intemperatis è contra: *Tertiò* ex varijs congressibus cum imaginibus fixarum diuersas species rerum producunt: Patent hæc omnia ex *Ptolemæo pluribus locis, vt lib. 2. cap. de effectibus Eclipsium: & lib. 3. cap. de monstris*, *ibi sic habet, Primum enim in huiusmodi, lumina quidem ab Angulis decidentia, & horoscopo nulla familiaritate coniuncta*. En imbecillitas, & paruitas qualitatum luminarium, iuxtà mea principia: nam luminaria ab Angulis decidentia, & cum horoscopo inconiuncta imbecillem remissam nimis, & inefficacem qualitatem Cælestem producunt. *Anguli verò ipsi à maleficis occupati reperiuntur*, ecce influxus validus infortunarum intemperatæ naturæ: & paulò infra. *Si igitur his sic habentibus luminaria in quadrupedibus, aut feralibus signis inueniuntur, duoq; Angulis insidentes Planetæ malefici, non humanum esse portenditur, quod procreatum, est &c.* Ex signis non humanis, quibus insident luminaria colligit effectum non esse humanæ speciei: quibus & sequentibus planè fiunt manifesta ea, quæ dixi. *Quartò*, ex parte ipsorum effectuum luminaria, immò, & omnia Sidera, quia non agunt, nisi secundum modum patiendi ipsarum rerum, producunt effectus secundum subiectam rerum dispositionem: vt cum causis proximis viuentium prærordinant potentia, & postea accendunt actu qualitates vitales in animalibus secundum suas species, & similiter de cæteris mixtis inanimatis, tùm demùm de Elementis.

Secundò Caueas, quod inter res sublunares omnium magis passibilia sunt Elementa, quippè in quæ vltimo resoluuntur omnia mixta, & quæ sunt prima materia completa omnium mixtorum, & actionis Astrorum, sicut ait *Aristoteles initio lib. 1. Meteor.* & occupant omnem plagam sublunarem; etenim mixta ni-

mis pauca ſunt, & parua. At verò inter Cæleſtes cauſas luminaria vàlidiſſimæ ſunt actiuitatis, & continent eminenter omnes effectus naturales, vt ait ſæpiſſimè *Ptolemaus*, quod ſcilicet luminaria, vt Principes omnium imperium, & editionem penès ſe habent &c: Adeòut duæ ſint cauſæ extremæ in rerum natura, vna ſummè paſſiua, & ſunt Elementa, altera ſummæ actiuitatis, & ſunt luminaria. Quoniam verò Sidera agunt ſecundum ſuos reſpectus, vt dixi, cum reſpectu ad Elementa producunt Elementa, & eorum qualitates, ſicut dictum eſt, cum reſpectu ad Luminaria, & ipſa Luminaria reſpectu ad cætera Sidera (etenim reſpectus eſt mutua correlatio) ſpecificant naturam qualitatum, & formarum omnium mixtorum. Ex his patet ſolutio propoſitarum difficultatum: quare ſit

Duodecima Concluſio. Qualitates virtuales vitales in animalibus præordinantur à Sole latione circa Mundum, & à Luna circa Solem, ideſt in menſe coniūctionis. Et quidem, quod præordinatio qualitatum vitalium in viuentibus ſit omnino neceſſaria, probatum eſt *cap.* 8. & conſtat etiam alibi: *vt cap. ſeq. &c.*

Probatur Concluſio. Hæ qualitates virtuales vitales ſunt veri effectus reales, ergo in præordinari, & conſtitui pendent à cauſa actu agente, quæ non poteſt eſſe, niſi luminaria; quæ vt patet adeo fæcunda ſunt in producendis qualitatibus vitalibus, vt producant etiam animalia ex putri &c. eliciant ſemina ad actum vitæ &c: Sed Sol actu agit latione circa Mundum, & Luna latione circa Solem, ergo &c.

Dices. Sol actu agit etiam motu peragrationis Zodiaci: Luna item peragrationis Zodiaci, & circa Mundum: ergo falſa concluſio; aut ſaltem non eſt maior ratio vnius lationis, quam alterius.

Quoad Solem. *Reſpondeo Primò*, quod validior eſt actio Solis latione diei, quam Zodiaci, immò hæc recipit actum ab illa: nam niſi Sol oriatur, & ſit in noſtro hemiſphærio nunquam produceret nobis calorem, quem producere poſſet, quamuis nimis intenſum ex maiori altitudine Zodiaci. Dixi, quod latio Solis in die ſit validior, tamen quoad actum, & velocitatem agendi; nam quoad perfectionem validior eſt, quia perfectior latio Solis in Zodiaco; licet quoad actum agendi, & velocitatem ſit Segnior, quia motus eius eſt tardior; modus autem agendi ſequitur modum eſſendi. *Secundò Reſpondeo*, ex ſupradictis nam omnis concoctio, & mixtio incipit à latione diei, etiam quæ perficitur in Anno, & quæ de ſe eſt perfectior, & duratio perfectioris mixti. *Tertiò dico*, quod omnis præordinatio neceſſariò præcurrere debet, neq; enim fieri poteſt à latione præſentanea, quæ effectum elicit ad actum: effectus autem annuus non poteſt præordinari à Sole, niſi latione diurna, vt etiam alibi dicam. *Quartò Reſpondeo*, quod præordinatio effectus eſt poſitio, & productio virtutis cuiuſdam ſeminalis, quæ ad actum vitæ itura eſt; eodem prorſus modo, quo in ſeminibus præordinatur virtus ad effectus eliciendos ad actum: quippè alias nunquam vitales effectus poterunt produci, vt oſtenſum eſt *cap.* 8. Virtus verò ſeminalis à natura ſolet in paruis loculis, & ſeminibus recludi: ſimilitèr ſuos effectus Aſtra recludunt, & parant, ſiue præordinant paruis lationibus: Et hæc ſimilitudo eſt realis, nimirum effectus ad ſuam cauſam: nam parua ſemina,

quia

quia sunt parui effectus possunt effici, immò necessariò fiunt à paruis lationibus; quia modus agendi sequitur modum essendi; & patet experientia; nam animalia quotidie concipiunt semen, vt euidentissimum est in ouiparis, atq; alijs. Quoad Lunam, *Respondeo*, ex supradictis: nam latione peragrationis Zodiaci,& circa Mundum respicit Elementa, & nullo modo qualitates vitales, quas non potest efficere, nisi relatione, & respectu ad Solem, qui est causa caloris vitalis,& qualitatis Cælestis,quæ est causa principalis proxima mixtionis: Cum autem Sol sit causa potioris principij vitæ, fit vt cætera Sidera relatione ad ipsum ea producant, quæ spectant ad vitam: vt Luna humiditatem radicalem, Saturnus atram bilem, Mars flauam, Iuppiter sanguinem, Venus phlegmam &c: Nam Luna, & cæteræ erraticæ imitantur motum Solis, & lucent nobis semper cum respectu ad Solem, itaut augeant, & diminuant suum lumen semper cum respectu ad Solem, ergo motu, & luce ea afficiunt,quæ ad effectus Solis pertinent, à cuius coniunctione exordium habent modi eorum influendi.

Decimatertia Conclusio. Differentiæ Cælestium qualitatum, quæ sunt in mixtis, tàm viuentibus, quàm non viuentibus pendent à varijs congressibus, & familiaritatibus luminarium cum cæteris Astris, tàm erraticis, quàm fixis, & à diuersis locis Zodiaci.

Probatur primò. Mixta differunt inter se, vel genere, vel specie per formã, vel indiuidua secundum temperamentum: omne autem diuersum temperamentum, tàm in diuersis speciebus, quàm indiuiduis pendet à diuersa intensione qualitatis Cælestis, quæ efficit concoctionem, & mixtionem: Sed diuersam intensionem qualitatis Cælestis luminaria efficiunt ex varijs congressibus,& familiaritatibus cum cæteris omnibus, tum etiam à diuersis locis Zodiaci, ergo &c.

Secundò probatur. Sidera agunt secundum respectum,sicut ostensum est,ergo latione circa Solem agunt circa ea, quæ fiunt à Sole; sed à Sole fiunt qualitates Cælestes, quæ sunt in mixtis, ergo ab Astris secundum naturam differentibus, prout mouetur circa Solem fiunt differentiæ qualitatis Cælestis.

Tertiò. Sidera latione circa Solem imitantur motum eius, & lucent secundũ respectum ad ipsum: Sed Astra agunt secundum, quod mouentur, & lucent, quibus accedunt, & recedunt, augent, & minuunt suum lumen, ergo latione, & respectu ad Solem imitantur, & sequuntur opus Solis: opus autem Solis sunt primariæ qualitates mixtorum, seu qualitates Cælestes: ergo Sidera latione circa Solem cooperantur ad ipsas qualitates Cælestes producendas à Sole, vt diuersitatem naturæ afferant; quia Sol de se indifferens est ad omnes qualitates mixtorum, & dat calorem vitalem omnibus viuentibus, etiam inter se contrarijs, & inuicem destruentibus.

Hinc est,quod luminaria,maximè Sol,ex familiaritate infortunarum,producunt animalia, & mixta perniciosa mixtis optimis, atq; perfectis hostilia: ex familiaritate fortunarum,producunt animalia, & mixta temperatæ naturæ ad commodum,vtilitatem, & conseruationem: hinc mores, & qualitates animi, & diuersitas naturæ, & temperiei hominum &c: hinc aeris corruptelæ lues

&c: nam pestis est qualitas Cælestis corruptiua: hinc febres, & omne genus infirmitatum, vt habet Ptolemæus passim: hinc tandem omnis varietas rerum generica, specifica, & numerica temperamenti; itaut quædam mixta sint etiam ad inuicem contraria, & hostilia; cum tamen luminaria, à quibus pendent qualitates Cælestes mixtorum quoad esse, sint semper eadem. Quare puto, quod effectus Solis in genere sit actiuitas, Lunæ verò passibilitas, quas *cap.* 8. dixi esse primas qualitates, ad quas reducuntur omnes aliæ quæcunq; sint: reliquorum verò Siderum effectus, quod sint naturæ, & temperamenta actiuitatis, & passibilitatis: vide *Ptolemæum cap. de qualit. animi; de magisterio, & alibi.*

Tandem caueas, & colligitur ex dictis, quod latio Siderum in Zodiaco dupliciter spectatur. *Primò*, quatenus est pura latio, sicut si non adessent Stellæ fixæ in Zodiaco, neq; fierent in eo familiaritates erraticarum cum luminaribus, sed latio vniuscuiusq; planetæ ageret à se sola; & hoc modo hæc latio Siderum in Zodiaco producit tantùm qualitates elementares, quare ipsa Elementa, & nihil ampliùs; & quamuis luminarium lux semper efficeret calorem, & humiditatem Cælestem, quibus eminenti modo Sol, & Luna agitarent Elementa; attamen propterea nunquam attingerent productionem mixtorum. *Secundò*, spectatur quatenùs in Zodiaco adsunt imagines fixarum, & fiunt familiaritates erraticarum cum luminaribus, quibus determinantur in speciebus, & indiuiduis influxus luminarium, & eorum qualitatum Cælestium, quæ omnino vniuersales sunt, & indifferentes ad omnes effectus ratione eminentis virtutis. Cum autem latio Siderum primo modo sumpta nullam aliam differentiam agendi contineat nisi quatuor modos illuminandi, de quibus dictum est, scilicet augmentum, decrementum, propè, & procùl esse; de cætero verò sint omninò homogeneæ, & eiusdem naturæ: sequitur necessariò, vt hæc latio primo modo sumpta nullum alium habeat effectum, quàm Elementares qualitates, & Elementa, quorum vnumquodq; homogeneum est, & eiusdem naturæ; & inter se non differant nisi secundum quatuor primas qualitates, quæ à quatuor modis illuminandi Siderum pendent, vt ostensum est. At quoniam latio Siderum secundo modo spectata admittit causam varietatis, & differentiæ, quibus ad varios, & differentes effectus determinatur, sequitur necessariò, vt latione secũdo modo spectata Sidera efficiant vniuersam varietatem mixtorum: & in ipsis mixtis partes eterrogeneas, & dissimilares, vt membra, & partes animalium, potentias, humores, &c. Hinc signa respiciunt membra, planetæ sensus, humores &c. hæc autem ratio validissimè comprobat superiores etiam Conclusiones.

Quod sit verum momentum Natalis.

CAPVT QVINTVMDECIMVM.

AVctores communiter censent illud esse natalis verum momentum, in quo fætus egreditur è matris vtero: nonnulli quoq; putant quando per respirationem primum attrahit aerem; quemadmodum è contra, tunc mori, quãdo iam

iam ampliùs non respirat. *Cardanus in suis Commentarijs super Quadrip. Ptolemæi,* tempori natalis tribuit latitudinem quamdam, ea ductus ratione ni fallor, quod fætus non in momento ad lucem profertur, sed tempore quoto: *Primò enim*, inquit, *fætus in vtero vertitur, incipiuntq; matri dolores, inde, vi prodire nititur., & cessant motus arteriarum ex ministerio matris, tandem ad lucem venit emittendo membrum post membrum; quæ cuncta non nisi aliquali temporis latitudine fieri possunt.* Rursus ab effectibus ipsis arguit *Cardanus*; prius enim quam decedat quispiam decumbit, & fit quarto die mala crisis, inde sub septimo, aut quartodecimo natura morbo succumbit, & deficiunt vires, sensus, vegetatio, halitus, calor, & motus omnis; quæ latitudinem temporis natalis putat *Cardanus*, necessariò postulent.

At, pace tanti viri, futilis est proculdubiò hæc latitudo temporis natalis, cuius ipsemet Cardanus in Geniturarum Exemplis, quæ ponit in fine suorum Commentariorum, nunquam meminit; effectuum quoq; præcurrens disponentium rerum series aliundè fit, vt habet fusè *Ptolemæus*. Et reprobari potest hæc sententia tali ratione.

Non incipiunt enascenti puero Cælestes Astrorum influxus, eo quia ex matris vtero ad hanc lucem erumpat; sed ob aliam rationem; ergo temporis hæc latitudo in genesi non obseruanda; antecedens probatur; nam si ob prædictam rationem, aut certè, quia Sidera non agunt in viscera terræ, animalium, & abdita loca; aut quia fætus fit independens à genitrice, tanquam à causa proxima ipso momento, quo egreditur ex vtero; sed vtrumq; falsum est, ergo propter aliam rationem: prioris quidem falsitas sic ostenditur; Astra non minus agunt in viscera terræ, & Maris, quam intra ambientem aerem, vt ex mineralibus, lapidibus, vermibus, piscibus, alijsq; innumeris penè rerum generibus argumentari licet; in animalium quoq; viscera negari non potest; fouent enim Astra potentias eorum vegetatiuas, & sensitiuas; sed & ipse fætus non minus subest Sideribus intra matris vterum, quam extra, licet cum discrimine, vt infra patebit: Posterioris verò falsitas sic probatur; fætus non fit independens à matris opere, tanquam à causæ proximæ dum exit ex eius vtero, sed fit independens eo ipso, quod mater iam amplius fætum non alit, non fouet, nec amplius perficit, vt mox dicetur: quod fit cum vegetatiuæ fætus potentiæ sufficientem fuerint adeptæ perfectionem, cum prius in potentia nunc primò erumpunt in actum, suumq; absolutè à se ipsis incipiunt exercere munus, abhorrentes à ministerio matris, tanquam a causa proxima, cui suberat ab ipso statu: hæc enim est dependentia essentialis, illa localis.

Prima Conclusio. Momentum natalis est quando fætus cum prius penderet à matre tanquam à causa proxima, nunc primò fit independens. *Probatur*. Illud est momentum natalis, in quo fætus, tanquam effectus fit extra suam causam proximam: sed hoc accidit quando fit independens à matre, ergo &c: maior propositio patet; nam quousq; effectus est intra causam proximam subest influxui eiusdem; minor etiam clara est, quia effectus quando adhuc dependet à causa nondum est effectus, sed est in fieri, & perfici, & intra causæ vires, ergo non est effectus, nisi quando fit independens à viribus causæ.

Secunda

Secunda Conclusio. Momentum quo fætus fit independens à matre est quando primò relinquitur à ministerio matris. Vbi cauendum, quod nomine ministerij matris intelligo influxum illum, quo mater tanquam causa proxima alit, & perficit fætum, igitur quando mater iam amplius non alit, neq; perficit fætum, ipse fætus fit independens à matre, tanquam effectus à causa proxima.

Tertia Conclusio. Momentum autem hoc est indiuisibile, & est instans temporis: patet, nam dependentia, & independentia, in perfici, & in esse perfectum, non admittunt medium temporis, sed distinguuntur per instans indiuisibile: aut enim aliquid dependens est imperfici, & intra causæ vires, & influxu: aut independens, in esse perfecto, & extra causæ vires, & influxum.

Dices primò. Hoc momentum non poterit cognosci: antecedet enim ipsum ortum, & exitum ex vtero: Est autem communis opinio, quod momentum natiuitatis sit illud in quo fætus egreditur, & oritur ad hanc lucem: & ratio quoq; suadet: nam intra vterum fouetur calore matris, & subest influxui eiusdem: ergo tunc ampliùs non fouetur, neq; subest influxui matris quando fætus egreditur.

Dices secundò. Aliquando mater moritur antè perfectionem fætus, & tamen fætus viuit; ergo verum momentum non est quando iam fætus est perfectus.

Dices tertiò. Est communis Philosoporum sententia, quod fætus primò viuat vita plantæ, deinde vita sensibilis animæ, tandem rationalis; & hæc multo ante ortum: sed anima rationalis affert omnem perfectionem, ergo fætus iam perfectus est multo ante natiuitatem: ergo non est attendenda perfectio.

Ad primum respondeo, concedendo, quod propterea verum momentum natalis cognosci non possit: immò pluribus de causis, & præ cæteris propter horologiorum imperfectionem, vt notat *Ptolemæus*, & ob id ponit modum definiēdi Cardines natalis ductum à prædominantè in luminarium præcedenti coniunctione, vel oppositione. Quocirca per subsequuta accidentia potissimè verum natalis momentum cognoscitur: Vt plurimum verò contingit non nihil ante egressum ex vtero. Cæterum calor matris semper quidem fouet ipsum fætum quousq; intra vterum manet, sed non perficit semper, eo prorsus modo, quo Gallinæ fouent iam natos pullos, quæ non influunt sicut essentiales causæ, sed fouent accidentaliter, & prohibent extraneam contrariorum actionem.

Ad secundum. Dico, quod tunc fætus est perfectus quando iam à matre eam dispositionis perfectionem recepit, quam habet ipsa mater: nulla quippe causa præbet maiorem, & vlteriorem dispositionem, & perfectionem effectui, ea quam in se ipsa continet; nullus enim actus supra suam potentiam: Quapropter si mater moriatur, aut infirmetur, nititur fætus, quamuis immaturus vti ea dispositione, quam recepit licet exiguam, se ipsum alere, & conseruare, sicut sæpè de facto contingit.

Ad tertium. Respondeo, quod anima quidem rationalis constituit fætum in specie perfectissima hominis; attamen non tribuit corpori perfectionem illam, quam membra, & organa postulant ad exercenda munera naturalia, & constat euidentissimis experientijs; inueniuntur enim sæpissimè homines penè

toto corpore oppressi, alias calidissimi; & homo antequam moriatur, & separetur anima rationalis, remanet immobilis; fætus ergo constituitur quidem in specie animalis rationalis, multò ante natiuitatem per aduentum animæ rationalis: sed corpus, & eius membra nondum receperunt omnem dispositionis perfectionem; recipiunt verò quousq; mater influit tanquam causa proxima &c. Viuit ergo fætus vita vegetantis, sensibilis, & rationalis animæ multò ante natiuitatem; sed tamen corpus, & membra perficiuntur à matre, tanquam à causa proxima quousq; ipsa mater influat in ipsum fætum.

At verò propter difficultatem cognoscendi verum natalis momentum *Ptolemæus* ex intimis naturæ rebus pulcherrimum deduxit modum illud reperiendi; scilicet ex prædominante planeta in præcedenti luminarium, vel coniunctione, vel oppositione: cui tanquam potentiori causæ sit potestas definiendi Cardines natalis: quæ ratio ego censeo, quod talibus principijs in natura nitatur.

Sed illa regula non est ut in pluribus vera imo possumus dicere falsa.

Sciendum est primò, quod Sidera, quæ maiorem auctoritatem habent, & prædominantur in singulis, vel coniunctionibus, vel oppositionibus luminarium habent etiam præcipuam auctoritatem toto tempore illius semicircuitus Lunæ; & ratio est, quia afficit, vel ambo luminaria in Synodo, vel conditionarium, idest quod supra terram fuerit in oppositione: cum autem à luminaribus primum, & principaliter pendeant generationes, & corruptiones rerum, vt sæpius dictum est; qualiter luminaria afficiuntur in his suis congressibus ex familiaritate cum cæteris, tales tunc effectus producunt in sublunari plaga; implent enim elementarem plagam talibus qualitatibus: Hinc emergit ratio mutationis aeris, prout huiusmodi fundamento *Ptolemæus* agit de hac re.

Secundò Sciendum, Quod effectus illi, qui sunt in potentia proxima tunc fiũt, & separantur à causis, quando nouum quemdam impulsum, & dispositionem licet leuissimam suscipiunt: hoc autem experimur in cunctis rebus, vt exempli gratia sæpissimè contingit, quod mortis hominis censeatur esse leuis causa, vel alicuius cibi, vel potus, vel suscepti aeris nocturni, vel frigoris; quæ res, quia alijs non obsunt, vtpotè leuissimæ, non sunt censendæ potiores causæ mortis hominis, sed semper est intrinseca dispositio, cui addita quęuis licet modica causa, ingentem nihilominus elicit effectum: hoc inquam contingit passim.

Tertiò. Dispositionem, & qualitatem prædominantis Astri tunc esse efficacem, quando respicit aliqua familiaritate Cardines Mundi: patet hoc ex supradictis: Quot autem, & quæ, & quomodò accipiendę, & quibus numeris, & distantijs familiaritates ad Cardines alibi dixi.

Ex his ergo colligitur *Primò*, quod sit fundamentum rei propositę: nam quia fętus reperitur in proxima potentia ad fieri extra suam causam, etiam leuis dispositio, quę superueniat à prędominante illo tempore, separat à sua causa fętum.

Secundò. Quod non sint spectandi gradus Planetę, & Cardinis, sed aliqua familiaritas Planetę prędominantis in congressu luminarium ad aliquem Cardinem in Natali: & hoc sensu sit accipienda *Ptolemæi* doctrina.

Tertiò. Quod felices, vel infelices luminarium dispositiones in pręcedenti congressu, non parum influant in fętum.

Quomodo

Quomodo futura, & successiua accidentia fiant, & pendeant à præsenti momentanea Natalis constellatione.

CAPVT SEXTVMDECIMVM.

HOC præ cæteris obijciunt qui Astrologiam insectantur: non posse scilicet futura, & successiua accidentia fieri, & pendere à præsenti Natalis instantanea constellatione, siuè præsentem effectum ab illa iam præterita.

Probant *primò*. Causa quæ præcessit, & ampliùs non est, non potest producere effectum de præsenti. Et confirmatur ex eo quia iam nouæ semper constellationes adueniunt, quæ vel contrariæ, vel saltem diuersæ sunt à præteritis: *Videtur autem propterea Cælestis influxus*, ait Picus, *esse magis efficax cùm non est, quàm cum est*.

Secundò. Quæ fiunt successiuè, vel post successiua tempora diuersæ sunt naturæ, & temperamenti; nam id ipsum, quod est non producitur de nouo, sed diuersum, & quod non est: constellatio autem momentanea, non potest esse, nisi vnius tantum naturæ, & temperamenti: ergo non potest esse causa futurorum.

Tertiò. Instantanea actio non potest producere temporales effectus, sed tantum instantaneos; quia temporales effectus fiunt actionibus successiuis, vel saltem post successiua tempora; ad quæ non potest extendi actio instantanea: nàm actio est adeo iuncta cum effectu, quod acriter decertent Doctores inter se, àn realiter distinguantur.

Cauendum autem est nomine futurarum rerum duo posse accipi, scilicet noua accidentia, quæ rei iam genitæ superueniunt futuris temporibus; & conseruationem per futura tempora rei genitæ, siuè etiam eius restitutionem ad connaturales, & congenitas qualitates, & dispositiones:

Secundò. Cauendum in omni quocunq; genito, quod de nouo fit, siuè sit mixtum, siuè simplex, & siuè animatum, siuè inanimatum, eodem momento suæ separationis à causa proxima fieri nexum, seu vinculum quoddam inter materiam, & formam, prima corpora, & qualitates congenitas; quo vinculo deindè, quod genitum est nititur ad conseruationem, & restitutionem ad illas dispositiones, & qualitates in specie, & gradu, quas illo eodem momento suæ separationis à causa proxima obtinuerat: Hoc autem in confesso est apud omnes Philosophiæ Professores, & patet etiam inductione in cunctis rerum generibus.

Tertiò. Cauendum, quod & alibi dixi; conseruationem, & restitutionem ad actuales connaturales qualitates, & dispositiones cuiusuis corporis, fieri à qualitatibus virtualibus, à quibus tanquam à principijs, & fontibus emanant qualitates actuales; Quæ qualitates virtuales communicantur in fieri ipsis effectibus à suis causis: dum verò effectus separantur à causis, remanent virtutes illæ definitæ secundum illum gradum, quem tunc obtinebant; secundum quem deindè

deinde res ipsæ productæ nituntur ad conseruationem, & restitutionem ad actuales correspondentes qualitates, & dispositiones: omnis enim qualitas virtualis elicit actualem qualitatem in gradu sibi simili, ideſt secundum suam potentiam: itaut actualis qualitas excedere nullatenus possit suam potentiam, & virtutem.

Prima Conclusio. Ad hoc, vt constitutio Siderum momenti separationis effectus à causa proxima generante sit vera causa cõseruationis eiusdem effectus, non est necesse, vt constitutio illa perseueret: hoc enim profectò est impossibile.

Probatur. Non est opus, vt causa generans principalis proxima perseueret ad hoc, vt effectus diutiùs conseruetur: sed causa proxima principalis generans est causa conseruationis, ergò sicut non est opus, vt hęc perseueret, ita neq; opus est, vt quæuis causa vniuersalis remota perseueret; nam causa vniuersalis se se accomodat modis agendi causarum proximarum; & non est maior ratio in vna, quam in altera: maior propositio patet inductione, & experimento in rebus inferioribus: nam conseruantur effectus postquam etiam perijt causa principalis generans: Minor verò est quidem sententia plurimorum Philosophorum, & insignium; probatur tamen: Instrumentalis causa conseruationis effectus est virtus congenita in ipso effectu, qua effectus conseruatur, & restituitur ad connaturales qualitates, & dispositiones: sed hęc virtus tribuitur, & communicatur effectui à causa principali proxima generante, ergò hęc est causa conseruationis: Minor patet: nam in primis vix concipi potest distingui inter se productionem, & conseruationem, prout disputant Philosophi àn distinguantur realiter: Deinde, hanc virtutem non potest idem effectus producere in se ipso, ergo producit causa generans, à qua ipse effectus pendet in esse cum congenitis qualitatibus, & virtutibus: Consequens patet, quia nulla alia causa assumi posse videtur: Antecedens verò probatur: nam ad hoc, vt effectus producere possit hanc virtutem in se ipso, opus est, vt per aliquod tempus effectus existeret, ergo prius conseruaretur, quam haberet virtutem suæ conseruationis; quæ implicant.

Secunda Conclusio. Satis est, vt constitutio illa Siderum concurrat cum causis proximis ad tribuendum esse, & connaturales qualitates. Patet hæc conclusio; nam effectus postquam egressus est à suis causis, virtute, & qualitatibus sibi congenitis conseruatur, & ad illas restituitur: & hoc satis esse videtur. Quare effectus postquam egressus est à suis causis proximis, tantum refert in se ipso per totum tempus suæ conseruationis constitutionem illam Siderum momenti suæ separationis à causis proximis, tanquam causam suæ generationis, & omnium suarum connaturalium qualitatum: Nam stellæ sunt causæ vniuersales, & fæcundissimæ, & perpetuis suis lationibus iugiter semper agunt in res inferiores disponendo, alterando, & introducendo qualitates Cælestes, ideſt diuersas, & nobiliores à qualitatibus elementorum, sicut alibi dixi: Interim in plaga sublunari, quicquid separatur à suis causis proximis retinet in se ipso in ea specie, & gradu qualitates illas, quas inueniunt in se ipsis suscitatas a Cælestibus causis momento illo suæ separationis à causis proximis: igitur effectus refert tantum, & repræsentat in se ipso Cælestem constitutionem tanquam causam suæ pro-

ductionis, & conseruationis. Et hæc intelligantur dicta de conseruatione entis permanentis; nam de ente successiuo ratio diuersa: quare

Cauendum est, quod & alibi dixi; in animali distingui corpus à suis potentijs seù virtutibus, & ipsas potentias, seù virtutes à suis operationibus. Corpus est mixtum quoddam ex elementis, & est ens permanens, quod si accidat, vt alienis qualitatibus alteretur, vel tandem soluitur, vel cessante contrario restituitur ad connaturales qualitates: & id contingit etiam in omni corpore, siuè inanimato, & siuè simplici. Potentiæ animalis sunt virtutes quædam, seù qualitates virtuales à fæcunditate virtutis causæ generantis, & caloris Cælestis productæ in ipso corpore, & suis partibus organicis inhærentes: omne enim, quod ad actum venit in animali prius existit potentia, & virtute. Operationes sunt in duplici differentia, aliæ sunt qualitates actuales, quæ à virtutibus, & potentijs emanant, & procedunt; aliæ sunt operationes, seù nouæ qualitates, quæ ab his actualibus qualitatibus fiunt: Qualitates actuales sunt calor, & humiditas vitales actu accensæ; sensus vigiles; appetitiua; digestiua; retentiua; expulsiua; atq; facultates omnes actu vegetantes, & sentientes: operationes sunt appetitus, digestio, retentio, expulsio, vegetatio, sensationes &c: Potentiæ autem, seù qualitates virtuales sunt quidem entia permanentia quousq; præexistunt in organis, seù partibus corporis animalis; attamen non nisi successiuè parantur, & successiuè quoq; ad actum eunt. Qualitates actuales sunt entia omninò successiua, sunt enim actus virtutum, seù potentiarum, quæ præexistunt potentia, actus autem entis in potentia est motus successiuus.

Hucusq; igitur dictum est quomodo constitutio Siderum momentanea sit causa conseruationis entis permanentis, idest cuiusuis corporis, siuè simplicis, siuè mixti, & siuè animati. Superest inquirere quo modo eadem constitutio se habeat ad potentias animalis, & earum operationes, à quibus deinde pendent accidentia naturalia, quę de nouo superueniunt animali in Vitę decursu, quę vel sunt entia successiua, vel producta post successiua tempora.

Tertia Conclusio. Astra inferunt in animali potentias, & qualitates virtuales quibusdam lationibus breuioris, & angustioris temporis; quibus prępordinant in potentia omnia accidentia naturalia ad actum itura suis statis diuturnioribus temporibus decursus Vitę.

Explicatur. Operationes vitales quęcunque, & qualitates actuales non exeunt ad actum, nisi pręexistant in suis virtutibus, & potentijs: hę autem virtutes, & potentię sunt qualitates Cęlestes, quę pręordinantur ab Astris: Dico igitur, quod pręordinantur quibusdam Astrorum lationibus breuioris, & angustioris temporis.

Probatur primò: Si non præordinantur, ergo quando fiunt non præexistunt potentia; sed hoc est falsum, & contra communem Philosophorum sententiã, quia impossibile omninò. Sed dices, præexistunt in potentia materiæ: Respondeo, potentiam materiæ esse adeò vniuersalem, vt nisi præordinetur ad hos effectus in genere, & specie mediantibus qualitatibus virtualibus, non prædeterminari ad aliquem effectum, sed esse puram potentiam indifferentem ad quæcunq; etiam contraria: Igitur si vitales effectus præordinantur præcurrunt

tempore;

tempore; ergo præordinantur breuiori, & anguſtiori tempore, quam ſit tempus ſui actus.

Secundò Probatur. Inferiores cauſæ præordinant in potentia effectus naturales vitales; ergo etiam Sidera præordinant, nam non eſt maior ratio in cauſis inferioribus proximis, quam in ſuperioribus remotis; quia neceſſitas eſt ex parte effectus, ſicut dictum eſt: inferiores autem cauſæ nullum effectum vitalē naturalem producunt, niſi illum præordinent in potentia, & virtute, vt in ſeminibus euidentiſſimè conſtat, quæ licet ſint quantitate minima, & anguſta, virtute tamen continent integrum, & completum effectum, ergo etiam ſuperiores cauſæ præordinant in potentia vitales naturales effectus, quibuſdam lationibus, ſeù influxibus breuioris, & anguſtioris temporis, quæ tamen lationes, ſeù influxus virtute continent integra tempora ſuorum effectuum: Diſparitas in cauſis non apparet. Hæc autem ratio mihi videtur validiſſima; & comprobatur manifeſtis experientijs. Sol generat ex primis corporibus animalia, & non ſtatim vnica latione, & primo calore, ſed pluribus lationibus diſponit primò ipſa elementa, poſteà introducit vitalem calorem vegetantem, & ſentientem; vt generat ranas ex guttis aquæ, & puluere prius multis lationibus excalefacto, & prædiſpoſito, ita ſimiliter generat vermes in terræ viſceribus, herbas, arbores, piſces in Mari, & ſtagnis etiam de nouo cauis, atq; tot genera animalium ex putri; quæ non producit, niſi prius prædiſponat, & præordinet in potentia, & virtute, quæ potentia, & virtus æquiualet ſeminibus animalium.

Quarta Conclusio. Hanc præordinationem incipiunt Aſtra in ipſo momento Natiuitatis hominis. *Probatur primò*. Tunc relinquitur homo intra vires abſolutas Aſtrorum, cum prius ſubeſſet influxui cauſę proximæ, ideſt matris; ergo tunc incipiunt Aſtra præordinare has qualitates virtuales; tunc enim maiori robore, & virtute in ipſum agere incipiunt.

Secundò probatur. Tempus ante natiuitatem non ſufficit ad hanc præordinationem, vt mox conſtabit, & dicetur *lib.* 3. ergo neceſſe eſt, vt fiat poſt natiuitatem, ergo ſtatim, quia opus eſt, quod hæ virtutes pręcurrant omnes actuales effectus.

Tertiò. Membrorum augmentum ante geneſim fit à cauſa proxima, ideſt ipſa matre; concurrente, quod non nego, etiam cauſa vniuerſali remota; ſed multò maius augmentum fit poſt geneſim a cauſa Cæleſti; ergo cum ipſo augmento cauſæ Cæleſtes influunt has virtutes: nam ſi natura tempore illo inſtituit augmentationem membrorum, veriſimile eſt, vt inſtituat etiam intenſionem qualitatum, & præparationem virtutum ad diuturniora tempora, tum etiam ad reliquas operationes.

Quartò. Conſtitutio Siderum natalis eſt cauſa conſeruationis corporis hominis per totum vitę decurſum, ergo ab illo momento Sidera incipiunt influere, & pręordinare in potentia illos effectus naturales, quos per totum vitę decurſum productura ſunt: effectus enim futuri requirunt neceſſariò ſubiectum, nimirum corpus aliquod mixtum, ſed corpus mixtum pendet à conſtitutione illa, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo effectus futuri præſupponunt conſtitutionem illam

 natalis,

natalis, ergo posteriores sunt: nam influxus Astrorum ante natalem finem habent in ipso natali, in quo fit nexus, & vnio de qua alibi dictum est.

Quinta Conclusio. Minora tempora, in quibus Astra influunt seminales virtutes ad diuturniora Vitæ, quæ sunt Anni; sunt dies, & menses.

Explicatur. Tempora Vitæ hominis sunt Anni (quamuis possint etiam esse minora, vt habet *Ptolemæus lib. 3. cap. de his qui non nutriuntur*) in quibus exeunt ad actum qualitates vitales, quæ sunt calor, & humiditas, cum suis omnibus operationibus &c: Minora tempora, in quibus præordinantur in potentia virtutes seminales harum qualitatum actualium, & operationum vitalium, dico esse dies, & menses; dies quidem sunt in quibus præordinatur calor, menses verò in quibus humiditas.

Probatur primò. Virtutes seminales sunt suis actibus, & effectibus omninò similes; omnis enim actus est similis suæ potentiæ; sed influxus in die, & mense similes sunt effectui vitali in Anno: ergo minora tempora, quibus Astra influunt seminales virtutes ad annua Vitæ tempora, sunt dies, & menses. Maior propositio necessaria est, nam in seminali virtute continentur eminenter omnes partes effectus, ergo &c: minor verò euidentissima; nam singulæ partes influxus Solis in die, & Lunæ in mense similes sunt effectibus annuis, vt alibi demonstratum est. Sol autem præordinat calorem vitalem, Luna humiditatem radicalem.

Secundò. Non apparent alia minora tempora, in quibus influxus sint similes virtute secundum omnes partes effectibus annuis, ergo &c.

Ex his colligitur, quod non pura tempora Cælestium motuum sint causæ tẽporis vitæ hominis, sed quod realis influxus successiuus sit causa realis successiui effectus, nimirum caloris, & humiditatis vitalis cum suis omnibus operationibus, quæ entia realia sunt, tàm ex parte causæ, quàm effectus: nam tempus nõ est purum ens reale, sed numerus emergens ex motu; numerus verò refert intellectum numerantem. Cum autem menses ante natiuitatem pauci sint, sequitur, vt hæc præordinatio fieri non possit ante natiuitatem.

Sexta Conclusio. Accidentia naturalia, quæ fiunt in vitæ decursu pendent ab hac præordinatione seminalis virtutis, & potentiæ. *Probatur*. Causa, quæ dat esse, dat etiam esse quale, quantum, & cætera accidentia naturalia; sed hæc pręordinatio dat esse, quia dat prima principia vitę, quę sunt calor vitalis, & humiditas radicalis, ergo dat etiam quale cum omnibus accidentibus naturalibus: Nam in seminali virtute pręordinatur Vita hominis, idest calor, & humiditas vitales cum omnibus suis operationibus naturalibus, à quibus pendent accidentia naturalia: Calor enim vitalis, & humiditas radicalis sunt principia vitę post animam ex communi Medicorum, & Philosophorum sententia, quę principia qualiter in potentia, & seminali virtute parantur, & pręordinantur, taliter ad actum eunt.

Hinc colliguntur duo motus à quibus pendet pręordinatio caloris vitalis, & humiditatis radicalis, qui sunt vnus quidem motus Solis, qui Directionis vocatus est; alter motus Lunę, qui Progressionis, de quibus dicetur *lib. 3*.

Septima Conclusio. Eodem temporis ordine, quo pręordinantur seminales virtutes,

virtutes, exeunt ad actum suis per ordinem temporibus. Et quidem Astra agere in res inferiores ordine maximè admirabili, euidentissimè patet: Itemq; ipsos effectus in homine, nimirum vitalem calorem, humiditatem radicalem, & omnes eorum diurnas, menstruas, & annuas operationes exire ad actum ordine inuariabili docent Medici, & patet etiam in ipsis operationibus, potissimè in motu pulsus, & sanguinis: Quare si effectus ordinatissimi sunt, & causæ item in agendo ordinatissimæ, colligitur necessariò, vt effectuum ordo sequatur ordinem causarum: quia effectus similes sunt suis causis, & imitantur eas.

Rursus si effectus sequuntur methodum præordinationis causarum proximarum, quare non poterunt sequi ordinem causarum Cælestium? immò id necessarium est: At quod effectus sequantur methodum præordinationis causarum proximarum patet ratiocinando in vniuersis viuentium generibus: omne enim viuens oritur, augetur, consistit, minuitur, tandem occumbit: item plures potentias acquirit longo post ortum tempore, vt generatiuam, & in vniuersũ vires corporis, sensibiles cognitiones, plura quoq; membra, & dentes, & ipsos quoq; cum ordine &c; quę omnia certissimum est præordinari in semine, & corpore ipsius fętus à causis proximis, ipsis scilicet parentibus. Igitur si causæ proximæ inferiores ante multa tempora præordinant hos effectus inuariabili methodo,& ordine ad actum ituros suis statis temporibus, quare non poterunt etiam Astra? ratio disparitatis non apparet, immò quoniam Astra influunt ordine, & motu maximè vniformi, optima ratione videntur obtinere hanc virtutem prædeterminandi per ordinem suos effectus.

Octaua Conclusio. Potiora tempora ex statis, & præordinatis, in quibus elucent in actu præordinati ab Astris effectus, sunt in quibus præsentes constitutiones Astrorum similes sunt constitutionibus suæ præordinationis.

Explicatur. Exempli gratia Nato cuidam præordinata est ægritudo anno 10. suæ ætatis; dico, quod in anno illo potiora tempora, idest mensis, & dies, in quibus ad lucem, & actum apparebit ægritudo illa, erit quando constitutiones Astrorum in illo anno similes sint constitutionibus suæ præordinationis. Hoc quidem docet experientia, & *Ptolemæus cap. finali lib.* 4. attamen

Probatur. Causa, quæ ad actum elicit præexistentes virtute effectus, opus est, vt sit similis ipsis effectibus,ergo similis etiam causis præordinationis eorũ: nam effectus est semper similis suæ causę, ergo tàm causæ pręordinationis, quàm causæ extractionis ad actum; nam frigus verbi gratia non potest accendere calorem vitalem in ouis &c: huiusmodi.

Hinc patet ratio, quare ex constitutione Siderum in Decubitu possimus colligere qualis futura sit ægritudo, an longa, an breuis, an mortalis, an salubris, & an ex frigiditate, an calore &c: quia præsens causa, & Siderum constitutio, quę nunc educit ad actum pręexistentes potentia, seù pręordinatos effectus, debet esse similis constitutioni pręordinationis eorũdem effectuum; cum enim qualitas, & grauitas effectuum pendeat ex qualitate, & grauitate constellationis pręordinationis; & effectus similes sint vtriq; constellationi; sequitur, vt Decubitus constellatio similis sit constellationi pręordinationis ęgritudinis; quare, vt etiam ex Decubitu cognoscere possimus ęgritudinis qualitatem, &

grauita-

grauitatem. Taliq; ratione constitutio Decubitus non est purum signum, sed est primum vera causa pręsentanea, deindè etiam signum, ratione similitudinis ad constitutionem pręordinationis.

De Prorogatoribus, & eorum immobilitate.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

EX dictis hucusq; fit manifestum esse in Cęlo quędam Sidera, & loca, quę se habent tanquam subiectum passibile erga actiones aliorum Siderum: producunt enim, & administrant in rebus inferioribus illa principia, à quibus res vniuersę pendent in esse; atq; se habent tanquam subiectum actionum cęterorum Siderum. Hęc autem *Ptolemæus*, dicit esse quinq; Solem, Lunam, Horoscopum, Culmen, & Fortunæ partem, & vocat Prorogatores, Moderatores, Significatores, Præcursores, principalia loca, atq; aliter, quorum sępiùs meminit, maximè verò *cap. vlt. lib. 4.* Cum igitur ad hęc loca pertineat producere, & administrare illa principia per quę res vniuersę subsistunt, sicut sunt calor vitalis, humiditas radicalis, corpora existimatio, mores, facultates, &c: felicitatem, vel infelicitatem cum his rebus coniungunt prout familiaritatem contrahunt cum Astris felicibus, vel infelicibus.

Sæpiùs autem dictum est, sicut docet *Ptolemæus, vbi de Vita*, hos Prorogatores permanere immobiles toto vitę decursu in eisdem locis: quod etiam circumfertur nulla ratione comite, nisi tantum frequenti rerum experientia apud Professores omnes, à quibus in percuntando de causis, & rationibus nihil curiosis vltrò recipitur.

Ego autem cum amicis aliquando differens in primis absolutè negabam Prorogatorem consistere immobilem eo innixus, quia non est in Cęlo aliquid, quod sine motu consistere possit: attamen ne sensibus carere viderer, ipsam rerum experientiam abnuens: assentiendo subindè postulaui, quę esset hęc immobilitas, nam quadruplicem in Cęlo fingi posse constat.

Prima Immobilitas, est cessatio à motu raptus, vt si sit Sol in summo Cardine, iam non vltrà descendat cum cęteris Astris ad Occasum, sed permaneat ibi immobilis, possit tamen mutare distantiam à Polis Mundi, & situm sub Primo mobile.

Secunda Immobilitas, est cessatio à motu particulari in Signifero, vt si sit Sol in gradu primo Arietis, non moueatur ad secundum, tertium, neq; alium subsequentem: permaneat autem in ipso primo gradu, cum quo moueatur ab ortu ad Occasum, sicut Planetę stationarij, & fixę.

Tertia Immobilitas, est cessatio a permutatione distantię à Polis Mundi; vt Sol in Tropicis aliquandiù non permutat distantiam à Polis Mundi, quamuis bifariam moueatur, & circa Mundum, & sub Zodiaco: hinc nomen Solstitij.

Quarta Immobilitas, est rigorosa, & compręhendit omnes tres supradictas, ita ut

itaut Prorogator non moueatur sub Primo mobile, neq; circa Mundum, neq; à Polis Mundi. Cum ergo Prorogator fingi possit immobilis consistere his quatuor modis, quęro quali censeant Auctores.

In plurimis disputationibus, quas cum Professoribus habui, quartam vltimam immobilitatem eligebant, quę àn sit realis, àn saltem possibilis ex dicendis patebit: plurimi tamen inter differendum mutata sententia priores accipiebant variè loquentes. Hęc sanè quęstio ad tertium librum spectare videtur, vbi de omni motu Siderum, quibus ad familiaritates vadunt, agam; quamuis nunc re vera non inquiro motum, sed viam motus, quasi dicam situm omnis status Astrorum dum mouentur.

Prima Conclusio. Nullus Prorogator consistere potest immobilis omninò, & adeò rigorosè, vt nullo prorsùs modo ex dictis moueatur.

Probatur Primò. Effectus Prorogatorum est successiuus, ergo etiam causa debet esse, & agere successiuo modo: quia effectus, & modus agendi, sequitur modum essendi suę causę: sed nullam aliam successionem possunt habere Prorogatores, nisi per motum localem; ergo necessariò Prorogatores moueri debēt. Quod effectus Prorogatorum sit successiuus patet; est enim animantium Vita, quę est ens successiuum, sicut alibi dictum est.

Secundò Probatur; Nam adhuc mouebitur; ergo &c: probatur antecedens; ponatur exempli gratia Sol in Culmine, si maneat ibi immobilis, adhuc mouebitur ad partes Orientales Primi mobilis; dum enim Primum mobile cum omnibus stellis ad Occidentem fertur, Sol inuenietur sub partibus successiuè Oriētalioribus eiusdem Primi mobilis; ergo non consistet immobilis omninò, & rigorosè, sed mouebitur sub Primo mobile.

Dicunt ipsi: non mouetur Sol, sed partes, & stellę Orientaliores Primi mobilis ad Solem feruntur. *Contra & ego pariter dicam* de motu quotidiano proprio vniuscuiusq; Planetę; non Planetam moueri ad partes, & Stellas Primi mobilis Orientaliores, sed partes, & Stellas Primi mobilis ad Planetas; atq; ita non dari motum particularem Planetarum in Signifero, sed Signiferum moueri ad Planetas, si & ad Solem culminantem mouentur partes Zodiaci, & Primi mobilis Orientaliores, & non Sol ad ipsas partes. Et quę nam est ratio disparitatis? Igitur si Planetę mouentur sub Signifero, Prorogator quoq; per Directionem mouebitur sub eodem Signifero.

Dicent rursus. Non Prorogator, idest Sol permanet immobilis in suo situ, sed virtus ipsius Prorogatoris in eo situ impressa: ad quem situm quando perueniunt obuij producunt suos effectus circa virtutem illam. *Respondeo*, eodem modo differendo de hac virtute; sic enim fit quęstio de nomine; nam siuè sit Sol, siuè eius virtutis prorogatoria, nihil refert, quia de Prorogatore est sermo. Sed hęc conclusio clariùs patebit ex dicendis.

Respondent verò quidam, & dicunt moueri Prorogatorem, sed permanere semper cum eadem Declinatione; licet enim vadat ad partes Orientaliores Primi mobilis; attamen non permutat Declinationem, neq; punctum consessus, & consistentię in cirulis positionum, & consequenter neq; distantiam à Polis Mūdi; Mouetur autem sub Primo mobile describendo sub ipso parallelum ad

Æquatorem;

Æquatorem; quod veriſſimum eſſet,ſi non permutaret Declinationem,& punctum ſui conſeſſus in circulo poſitionis, neq; diſtantiam à Polis Mundi.

Secunda Concluſio. In motu Directionis directo ſecundum ordinem Signorũ, quem *Ptolemaus* vocat Actinobolium Prorogator non poteſt permanere cum eadem Declinatione;ſic enim dum mouetur ad partes Orientaliores Primi mobilis deſcriberet parallelum ad æquatorem: hoc inquam fieri non poteſt.

Probatur primò. Nihil fit actu, quod non ſit prius in potentia; ſed luminaria motu particulari,qui eſt ab Occaſu ad Ortum contra motum Primi mobilis, deſcribere parallelum ad Æquatorem non eſt in potentia,ergo neq; fieri poteſt actu. Maior propoſitio eſt axioma Philoſophorum,& negari non poteſt:nam quod actu fit, prius poterat fieri: quod ſi prius fieri non potuiſſet, mox vtiq; nõ fuiſſet factum, minor verò probatur: Si poſſent luminaria motu proprio,& de quo loquimur deſcribere parallelum ad Æquatorem, haberent Polos cum Polis Mundi, ſed non habent,ergo non poſſunt; ergo non eſt in potentia hic motus: nam paralleli ad Æquatorem ſunt circuli, quorum centrum eſt Polus Mũdi; itaut Sidera, quæ deſcribunt parallelos, opus eſt, vt circumferantur ſuper Polos, & axem Mundi.

Secundò. Si luminaria Directionis motu directo deſcribunt parallelum ad Æquatorem, ſequitur, quod cum luminaribus non congrediantur corpore Planetæ, & fixæ Signiferi; ſed fixæ tantum eiuſdem Declinationis, quam habent luminaria; quapropter fortiùs hæ fixæ agent, quæ ſunt extra Signiferum, quam illæ intra, quod nemo vnquam dixit.

Tertiò. Item conſequitur,vt luminaria non impingant in Antiſcia,quia ſunt puncta diuerſæ Declinationis, quam non permutant ex ſuppoſitione.

Quartò. Effectus ſucceſſiuus requirit, & indicat neceſſariò cauſam ſucceſſiuè agentem; ſed Aſtra non poſſunt agere ſucceſſiuè, niſi localiter moueantur; ergo non poſſunt Aſtra moderare vitam, quæ eſt ens ſucceſſiuum, niſi localiter moueantur.

Quintò. Ex doctrina Radiorum,quæ,vt diximus,accipiuntur ab vno ad aliud Sidus directè,& immediatè;ſed ſi Prorogatores non permutant Declinationem dum Directione deuoluitur Primum mobile, iam radij nõ fient ab vno ad aliud Sidus, vt diximus, ergo permutant Declinationem: minor probatur: Si Prorogatores non permutant Declinationem tunc impingent Directione directa in radios Aſtrorum, quando radiorum loci in Signifero ſumpti peruenerint ad circulos poſitionum Prorogatorum, eo modo, quo *Maginus* accipit, & ducit radios in Æquatore acceptos ad ſitum poſitionis Prorogatorum; & id nõ negant,neq; negare poſſunt aduerſarij: Sed hoc modo non fiunt Radij ab vno ad aliud Sidus, vt dixi; fiunt autem ab vno Sidere ad circulũ poſitionis alterius; qua ratione efficaces eſſe non poſſunt, vt reijciendo radios in Æquatore probatum eſt: ergo ſi Prorogatores non permutant Declinationem, Radij non fiunt de Sidere ad Sidus, ſed citò de Sidere ad ſitum poſitionis alterius.

Sextò. *Ptolemæi auctoritate ex pluribus locis*. *Primò ex vltimò cap.lib.*1. vbi ait: *Niſi quod in corporeis congreſſibus applicationis, & defluxus etiam latitudines conuenit notari*, quod vtiq; non dixiſſet ſi luminaria non progrederentur per Signiferum,

citò

citò proponere debuerat Declinationem notandam esse, si Declinationem non permutant ipsa luminaria. *Secundò, ex cap. Moderandæ Vitæ lib. 3.* vbi in exordio docet duas Moderationes fieri duobus motibus, dicens: *Cum Vitæ moderandæ Principes indicauerimus, ampliùs huius quoq; moderationis duos esse modos intelligamus, eum qui consequentia Signa versus instituitur, quam Actinoboliam; idest radiorũ proiectum dicimus*, ex quo colligitur se velle Prorogatorem hoc motu super Signiferum progredi, & ad consequentia Signa, quod non dixisset si Prorogatores non mutarent Declinationem. *Tertiò ibidem*, quando tradit ea, quæ seruant in occursu malorum, hæc habet. *Et si corpus vtrumq; dum est, & quod occursat, & quod moderatur, non sit eadem vtriusq; latitudo*, quibus perpendit diuersam latitudinem, quod non posset nisi vellet Prorogatores deambulare in Zodiaco; & frustra docuisset obseruandam latitudinem, nisi Prorogator permutaret Declinationem: citò quippè Declinationem præcipere debuisset. *Quartò, item ex eodem cap. impediuntur enim*, inquit, *si in benefici alicuius terminum incidunt &c.* Declinationem non permutarent luminaria, & super Signiferum non progrèderentur, inanitèr vtiq; proponerentur obseruandi fines; cum tamen ipsi quoq; plurimum referant; scilicet Vitæ præseruationem. Cæterum fines in Signifero tantum censentur habere virtutem. *Quintò* tandem *Cap. diuisionis temp. lib. 4. Quod si nullus fuerit adsciscemus proximè antecedentem ad eum vsque, qui proximè succedentem aspicit partem, deinde hoc vtemur vsq; ad proximum, atq; in alijs similiter, assumentes in gubernandi communicationem terminorum dominos Planetas*, quo loco non modo radios præcipit obseruandos, qui in Zodiaco fiunt, sed etiam fines, qui similiter ibidem tantum valent, vt dixi.

Dices. Si Prorogator sub eodem circulo positionis permutat Declinationem, seù distantiam à Polis Mundi, permutat etiam distantiam ab Angulis, quod affirmari nullo modo potest: probatur sequela: in finitore quouis obliquo Sidus permutans Declinationem, permutat arcum semidiurnum, siuè seminocturnũ, ergo permutat etiam distantiam ab Angulis; etenim arcus semidiurnus, & seminocturnus sunt quantitates motuum Astrorum ab vno ad alium Cardinem.

Respondeo. Quod Prorogator dum permutat Declinationem, permutat quidẽ distantiam ab angulo præcedenti, & sequenti, sed tamen ab his angulis non permutat proportionem, in qua consistit gradus qualitatis, sicut sæpiùs dictum est: hoc enim argumentum probaret etiam, quod Sidera, quæ non habent eamdem Declinationem, & arcum semidiurnum, vel seminocturnum, qualem habet Prorogator, non possent coniungi cum ipso Prorogatore, atq; illum afficere suis qualitatibus: nam non possunt cum illo efficere eamdem à Cardinibus distantiam; cum tamen satis sit, vt efficiant proportionalem, sicut notissimum est. Quare sit

Tertia Conclusio. Quamuis dicamus, & afferamus Prorogatorem in circulo positionis permutare Declinationem, seù distantiam à Polis Mundi; nihilominus tamen Prorogator permanet immobilis. Probatur; permanet in eodem circulo positionis, ergo permanet immobilis: antecedens est cõmunis sentẽtia: consequens probatur. Circuli positionis, rationali modo secundum scilicèt *Ptolemæum* descripti sunt æquales, proportionales, & eædem distantiæ ab Angulis

gulis in quouis puncto circuli accipiantur, ideſt in quacunq; Declinatione, & a Polis diſtantia, ergo Prorogator in toto circulo poſitionis, & omnes Stellæ in eo inuentæ quamcunq; Declinationem habeant, ſunt in eadem ad Cardines diſtantia.

Ex quibus omnibus fit manifeſtum, tum ratione, tum auctoritatibus *Ptolemæi*, quod Prorogatores non permanent immobiles omninò, & rigoroſè, neq; cum eadem Declinatione ſi moueantur: ſed quod permaneant immobiles in eodem circulo poſitionis rationaliter accepto, vt dicam ſuo loco; & quod progrediantur ſuper Signiferum. Et hæc intelliguntur de virtute Prorogatoria ſumpta in Mundo: nam virtus Prorogatoris ſumpta in Primo mobile, non mouetur ſub ipſo Primo mobile, ſed circa Mundum vna cum eodem, & vniuerſis in eo Stellis. De qua duplici virtute dicam infra.

Contingit autem à Sole afferri lucem Crepuſculorum, tàm ante ortum, quàm poſt Occaſum: qua luce non eſt dubium, quod agat erga noſtrum emiſphæriū: & puto, quod etiam Luna aliqualem inde lucem afferat, quam tamen quoad ea, quæ dicenda ſunt negligere tutò poſſumus, vtpotè exiguam atq; proindè modicæ differentiæ in ſupputationibus. In ſpacio Crepuſculorum Sol repertus, hoc certum eſt, quod non affert eamdem lucis intenſionem à circulis, ſiuè horarijs *Ptolemæi*, ſiuè poſitionum Regiomontani, ſed à circulis parallelis ad horizontem: Cum verò neceſſe ſit, ad hoc, vt intelligatur Sol conſiſtere immobilis etiam in ipſis Crepuſculis, vt ſemper eamdem lucis intenſionem manuteneat, & conſeruet dum permutat Declinationem, & ſitum in Zodiaco; nam ſi permutaret intenſionem ſuæ lucis, Sol non poſſet dici immobilis; hinc ratio efficaciſſima, quod Sol in Crepuſculis repertus dirigi debeat, & cenſeri immobilis in circulis Crepuſculinis parallelis ad finitorem; non autem in circulis, ſiuè horarijs, ſiuè poſitionum. Sit igitur

Quarta Concluſio. Sol in Crepuſculis repertus, quandò per Directionem mūtat diſtantiam à Polis, & mouetur ſub Zodiaco conſiſtit immobilis, & dirigi debet in circulis Crepuſculinis parallelis ad finitorem, non autem in circulis, ſiuè horarijs poſitionum.

Probatur ex dictis. Sol in Crepuſculis repertus dum per Directionem mouetur ſub Zodiaco, & mutat Declinationem, non conſeruat, neq; manutenet eamdē lucis intenſionem erga noſtrum Emiſphærium, niſi in circulis Crepuſculinis parallelis ad finitorem: Sed opus eſt, vt conſeruet, & manuteneat eamdem intenſionem, ad hoc vt erga nos immobilis conſiſtat; nam aliàs non permanet immobilis: ergo &c: Etenim ſanè qualis eſt intenſio lucis Solis, talis intenſio qualitatis Prorogatoriæ, ſeù caloris vitalis; igitur eadem intenſio lucis eamdē moderatur intenſionem qualitatis Prorogatoriæ, ideſt caloris vitalis; ſi ſit diuerſa non confert, eadem prorſus ratione differendo, ſicut in circulis poſitionis, ſiuè horarijs &c:

Huic rationi nihil poteſt obijci: experientiæ verò aſſentiuntur omnes ſicut eſt videre inter 40. Geneſis, quas ex Argolo deſumpſi ſpectandas ad mearum rerum comprobationem; aliaſq; plures afferam.

Quinta Concluſio. In reliquo ſpacio obſcuro ſub terra Sol conſiſtit immobilis, &

& dirigi debet in proportionalibus distantijs acceptis à fine Crepusculi vespertini vsq; ad Imum, & ab Imo vsq; ad initium Crepusculi matutini.

Explicatur. Quando Sol sub terra non est in Crepusculis, accipio arcum seminocturnum Solis, à quo detraho arcum Crepusculi; & vtor residuo, tanquam si esset arcus seminocturnus. Similiter accipio arcum seminocturnum gradus loci Directionis, & ab eodem arcu detraho arcum Crepusculi eiusdem gradus: & vtor residuo tanquam si esset arcus seminocturnus: quibus residuis accipio proportionales distantias more *Ptolemai* solito. Cæterum hæc conclusio consequitur necessariò ex præcedenti, itaut non indigeat probatione.

Sciendum autem est Duplicem esse virtutem eiusdem Prorogatoris, puta ipsius Solis, iuxtà duplicem Siderum motum: vnam in Mundo; idest in situ positionis, siuè circuli horarij; alteram in Primo mobile sub Zodiaco, & ratio est: Sidera duplici latione applicant suum lumen instrumentalem causam, motu circa Mundum, & motu in Zodiaco; ergo duplici hoc motu agunt, ergo duplicem qualitatem Prorogatoriam efficiunt, pro qua re fit

Sexta Conclusio. Duplex est virtus vnius, & eiusdem Prorogatoris, vna quidē in Mundo, altera verò in Primo mobile: illa consistit immobilis in circulo positionis, seu horario, mouetur autem sub Primo mobile ad partes eius Orientaliores: posterior consistit immobilis in ipso Primo mobile, mouetur autem cum ipso circa Mundum.

Probatur primò auctoritate *Ptolemæi cap. de Vita*. Vbi ex professo docet duos esse modos, quibus Prorogatores vitam moderantur, dicens *Cum vitæ moderandæ Principes indicauerimus, amplius huius quoq; moderationis duos esse modos intelligamus, eum qui consequentia signa versus instituitur, quam Actinoboliam, ideſt radiorum proiectum dicimus quando in Orientalibus locis nimirum à Cæli culmine, & ascendente interceptis Vitæ gubernator inuentus fuerit, & eum qui non solum consequentia versus, sed & in præcedentia signa peragitur, quam horimæ an dicunt, cum in locis à culmine declinantibus reperitur*. Quo capite euidentissimum est, quod *Ptolemæus* duas Prorogatoris virtutes censet esse; & vnam moueri sub Zodiaco, immotam verò consistere in Mundo, idest in circulo horario: alteram moueri circa Mundum, & immotam permanere in Zodiaco.

Secundò probatur ratione. Sidera applicant suum lumen instrumentalem causam duplici latione, circa Mundum, & circa Zodiacum: ergo secundum hanc duplicem actionem, duplicem virtutem instituunt.

Prorogatores *Ptolemæus* enumerans, dicit esse quinq; Solem, Lunam, Culmen, Horoscopum, & Partem Fortunæ; ad quos reuocat Vitam, corpus, mores, honores, actiones, itinera, facultates &c. Et quidem Solem, & Lunam regere Vitam, & corpus, satis manifestum est; Culmen verò, Horoscopum, & Partem Fortunę habere virtutem Prorogatoriam non leuis obijcitur difficultas; cum enim non sint Astra, neque lumen habeant, non possunt influere, ergo neq; habere virtutem Prorogatoriam.

Septima Conclusio. Horoscopus est Vitæ, & constitutionis corporis Prorogator; & non ob aliam rationem, nisi quia Sol vitalis caloris largitor, & Luna humiditatis incipiunt influere has qualitates in ipso Horoscopo, & hoc sufficit:

 Cæterum

Cæterum si Sol supra terram existens respiciat Horoscopum; Sol ipse est Vitæ Prorogator; si non respiciat, vel sit sub terra, sufficitur Luna: si neque hæc respiciat, aut sit sub terra, de die Horoscopus remanet Vitæ Prorogator; de nocte Pars Fortunæ, si tamen sit supra terram, & respiciat Horoscopum; sin aliàs Horoscopus remanet Vitæ largitor propter rationem, quam dixi.

Dices. Causa à loco in quo non est, non potest agere; sed Sol, & Luna extra Horoscopum reperti non sunt in Horoscopo, ergo neq; ab ipso Horoscopo influere possunt calorē, & humiditatē quando in ipso non sunt. *Respondeo*, Solem, & Lunam habere semper realem relationem ad Horoscopum, immò ad omnia puncta mobilia, sicut est præ cæteris etiam Culmen; & per hanc relationem efficere correspondentem intensionem caloris, & humiditatis; vnde sequitur, vt Horoscopus sit semper initium productionis harum qualitatum, & sit semper alter terminus correlatiuus distantiæ luminarium à principio productionis suarum qualitatum: Horoscopus enim est perpetuum centrum distantiarum luminarium ab eodem: quia est principium omnium distantiarum: Quamuis ergo luminaria absint ab Horoscopo, semper tamen habent ad ipsum relationem distantiæ, secundum quam, talem gradum qualitatum à loco in quo sunt producunt.

Octaua Conclusio. Culmen est actionum naturalium largitor; & non ob aliā rationem nisi quia luminaria, quæ sunt principales rerum omnium moderatores, ibi producunt qualitates maximè actiuas: etenim propè sunt nobis, quàm possint esse: sed ex propè esse sequitur intensio qualitatis actiuæ, quia ex intensione actiuitas, sicut supra dictum est: quare eodem prorsus modo, quo luminaria influunt qualitates vitales ab Ortu, influunt etiam qualitates actiuas à Culmine.

Nona Conclusio. Pars Fortunæ est locus virtutis lunaris, sicut Ortus est locus virtutis solaris.

Probatur primò. Luna incipit producere humiditatem vitalem ab Horoscopo, quemadmodum Sol calorem vitalem: Cùm verò Luna sit luminare nocturni iuris, eousq; producit hanc humiditatem, quousq; habet vires sui iuris, quod est de nocte; ergo dum Sol oritur cessat ab efficiendo hanc humiditatem ex iure nocturno pendentem, & ibi determinat finem, & locum productæ humiditatis, & virtutis: nam de nocte præualet humiditas, quæ à Luna dependet, & ideo Lunæ ius est maximè de nocte: de die verò præualet calor, qui à Sole dependet, ideoq; ius Solis est maximè de die.

Secundò. Luna determinat gradum suæ humiditatis secundum distantiam quam habet à Sole: ergo in Mundo quoq; emergit determinata hæc distantia; itaut Sidera quando distant ab Ortu pari distantia, qua Luna distat à Sole, attingant intensionem gradus humiditatis à Luna productæ: nam Oriens quatenus tribuit vitam viuentibus spectatur tamquam luce, & calore Solis affectus; ergo ad ipsum refertur intensio humiditatis secundum Lunæ distantiam à Sole.

Quoniam verò de nocte præualet humiditas, hinc est, quod de nocte hęc pars lunaris possit esse etiam Prorogatrix; semper autem moderatur facultates, quia alimoniæ subministrant materiam, & humiditatem ad alendum calorem vitalē.

Ex

Ex his autem, & ex dictis alibi colligitur, quod Prorogatorum vnusquisq; determinatur ad effectus in suo genere, prout sæpè docet *Ptolemæus*, *maximè lib. 4. cap. vlt.* circa quem locum dicam *lib. 3. cap. 13.* Vt Vitæ Prorogator electus iuxta *Ptolemæi* methodum expositam *lib. 3.* vbi agit de Vita, moderatur Vitam, & à se solo, itaut status Vitæ, vt conseruatio, vel abscissio, bona, vel ægra valetudo notabilis, ab illo solo pendeant: Sol dignitates, & gloriam: Luna animi qualitates, & mores, quare coniugium, atq; huiusmodi, quæ naturalem propensionem sequuntur: Horoscopus res corporis, & itinera: Culmen actiones naturales, prolem, amicos, munera, & dignitates: Pars Fortunæ facultates; Luminare autem conditionarium, potissimè si supra terram luceat, censeo, quod præcipuè moderetur famam ex moribus, & rebus gestis; nam ex luce luminaris conditionarij manifestantur vniuersæ res, sicut alibi dixi.

Hinc verò patet, quàm grauiter errent, & decipiantur qui absq; discrimine facultates à luminaribus, dignitates à Parte Fortunæ, filios à Luna, atq; alios effectus præter naturam à dissimilibus causis inquirunt.

De Prorogatoribus, & eorum immobilitate satis dictum sit; de motibus verò eorum, & via motus, tàm in Directionibus, quàm alijs motibus omnibus alibi dicitur.

De Occursantibus, & eorum immobilitate.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Superiori capite dictum est de Prorogatoribus, quod se habeant tanquam subiectum actionum respectu ad alia Sidera; & qua ratione consistant immobiles, tùm etiam moueantur, quamuis de motibus *3. librò* latiùs ex professo dicendum sit: Consequens nunc est hæc eadem de reliquis Astris, quæ virtutem habent causæ efficientis inquirere. Etenim Prorogatores præparant illa principia, per quæ res vniuersæ subsistunt: hæc autem principia, sicut dictum est, habent naturam simplicem, & indifferentem: temperamentum verò felicem, vel infelicem ad conseruationem scilicèt, vel destructionem, recipiunt à reliquis Astris.

Igitur omnia Sidera, quæ sunt in Cælo, etiam ipsa luminaria habent virtutem causæ efficientis secundum suas qualitates sibi proprias actiuas, quas recēset *Ptolemæus lib. 1. Apotelesm.* & ego supra inuestigaui ex luminis proprietatibus, passionibus, coloribus &c. Immò non solum vniuersa Sidera, quæ sunt in Cælo perpetua, sed etiam omnia noua Phænomena, quæ ibidem de nouo apparent, quæcunq; sint; nam quousq; lucent semper agunt, non vltra tamen, neq; prius, quamuis relinquant post se effectus diutiùs subsistentes, siuè actu, siuè potentia. Occursantes solent vocari obuij, promissores, sequentes, atq; aliter.

Quemadmodum verò dictum est de Prorogatoribus, quod duplicem virtutē constituant; quarum vna cōsistat immobilis in Mundo, moueatur verò sub Zodiaco,

diaco, altera consistat immobilis in Zodiaco moueatur verò circa Mundum: ità similitèr,& eodem prorsùs fundamento Occursantes duplicem virtutem actiuam constituunt immobilem, vnam in Mundo, alteram in Zodiaco.

Quoad motum verò harum duarum virtutum actiuarum caueri, & rectè percipi debet, quod quæ in Mundo constituitur nullo prorsùs modo mouetur; quę verò constituitur in Zodiaco mouetur tantum cum ipso Zodiaco circa Mundũ ad situm positionum, siuè circulum horarium Prorogatorum: vt videlicèt eumdem gradum virtutis prorogatoriæ in Mundo constitutæ contingat: cum enim Prorogator sit in loco præcedente, & ob id proximior angulo, vtiq; produxit maiorem intensionem suæ virtutis Prorogatoriæ, quam produxerint sequentes suæ virtutis actiuæ: Quare subsequentes mouentur circa Mundum versus situm Prorogatorum, vt gradum eumdem virtutis Prorogatoriæ in Mundo constitutæ attingant.

Rursus cum duplex fiat Prorogatio ex duplici Prorogatorum motu, in Mundo, & in Zodiaco, sicut alibi dictum est; fit vt virtus Occursantium sit immobilis in Zodiaco, sub quo virtus Prorogatoria moueatur ad Occursantes ibidem immobiles consistentes.

Virtus verò Occursantium, quæ constituitur in Mundo, consistit immobilis ibidem in circulo positionis horario, ad quem circulum virtus Prorogatoria in Zodiaco constituta cum eodem Zodiaco,& Primo mobile fertur, & mouetur.

Vt in Primo Exemplo ab *Argolo* allato in opere de Diebus criticis; vna Solis Vitæ Prorogatoris virtus cõsistit immobilis in Horoscopo,& dum sub Zodiaco mouetur, prorogat vitam, & fertur ad Martem, & Saturnum, & radios aliorũ &c: Quare virtus actiua Martis, & Saturni in Zodiaco constituta mouetur ad circulum horarium Solis. Altera Solis virtus constituta in Zodiaco fertur cum eodem Zodiaco ad circulum horarium Veneris, vbi adest radius quadratus Saturni in Mundo acceptus; quæ Veneris, & quadrati Saturni virtutes, immobiles ibidem consistunt. Vbi cauendum, quod quadratus Saturni est in Mundo à secunda Domo ad vndecimam: nam quadratus Saturni in Scorpione, non consistit immobilis in Mundo, quia est in Zodiaco, & cum ipso Zodiaco mouetur, motu raptus, & non expectat venientem Solem, nec in ipsum impingit, *sicut ait Ptolemæus*: sed virtus tantummodo, quæ constituitur in Mundo expectat Solem latum circa Mundum.

Sciendum igitur: quod virtus Prorogatoris, quæ constituitur in Mundo, motu directo, quem Actinobolium vocat *Ptolemæus*, impingit in Sidera, & eorum familiaritates acceptas in Zodiaco, tum etiam in Mundo. Virtus verò Prorogatoris, quæ constituitur in Zodiaco, motu conuerso, idest circa Mundum, quem horarium vocat *Ptolemæus*, impingit tantum in familiaritates Astrorum in Mundo acceptas, nullo autem modo in familiaritates acceptas in Zodiaco; de quibus familiaritatibus suis locis diffusè agendum est *lib.* 2.

De

De Criticis Temporibus.

CAPVT DECIMVMNONVM.

NOmen Crisis, quod Iudicium sonat, bifariam apud Auctores acceptũ reperitur: primò latiùs, pro quocunq; scilicet Signo, & accidente, quod de nouo quouis tempore, vel ægris, vel valentibus superuenit indicans eisdem, aut bonum, aut malum, quod immineat: omnis enim motus, & alteratio ad lucem erumpens patefacit motus, & alterationes intrinsecæ dispositionis. At quoniam motus,& alterationes in viuentibus accidunt perpetuò semper iuxta illud *Philosophi de longit. & breuit. vitæ cap. 2. Quapropter omnia in motu sunt &c.* Quorum motuum non omnes apti censeri debent ad patefaciendam intrinsecam dispositionem, vel præsentem, vel proximè futuram: Nam qualitas corrupta, seu morbus etiam grauis non semper se manifestat, neq; erumpit ad lucem, siuè signis, siuè effectibus; sed quandoq; latet, & silet,intrinsecus tamen sauciat: Aliquando leuia tantum profert signa: Nõnunquam leuis morbus grauia emittit accidentia: Tandem non rarò morbus omnis ad extra exiens accipi falsò poterit pro signo latẽtis adhuc ad intra morbi; cum tamen nihil omnino corruptæ qualitatis intro superfit: non omnibus propterea motibus, & signis iure optimo debetur nomen Crisis. Secundò, sumitur tantum pro quadam proprietate statorum quorumdam temporum ordinem, & methodum seruantium, in quibus à signis, & accidentibus iudicium in ægris, non modo de præsenti dispositione intrinseca sumi licet: sed etiam de futura. Posteriorem hanc acceptionem in præsentiarum sequor, ideoque titulum posui de Criticis temporibus, non de signis, & alterationibus Criticis.

Qui de huiusmodi temporibus scripserunt, tam Recentiores, quam Prisci conueniunt primò censentes hæc tempora seruare ordinem quemdam; Secundò, his temporibus haberi posse iudicium de morbis, ac eorum progressu: Tertiò, tempora, quæ proprietatem Criticã sortiri possunt esse dies, menses, & Annos. Dissentiunt verò, primò de Causa efficiente, seu inferente proprietatem hanc Criticam his temporibus: secundò, quod, & inde sequitur,de ordine, seu numero Criticorum temporum.

Menses quidem, & Anni, qui Criticam proprietatem suscipiunt, vocati sunt Climacterici, seu gradus discriminis, eo quod in ipsis aliquod semper vel Vitæ, vel saltem valetudinis discrimen accidat: Sed nominis quæstio nihil ad me, qui nomina rerum ex hominum libertate poni, alterari, & permutari posse, & de facto fieri censeo. At verò circa tria priora Capita, quæ præter rationes infra exponendas, diuturna, tùm Antiquorum, tùm etiam Neotericorum docuit obseruatio, & experientia, non discedo à communi Doctorum consensu,nisi tantum in tertio Capite vbi diebus, mensibus, & annis addo temporales horas,quę non minus, quam cætera tempora Criticam proprietatem nanciscuntur, vt infra constabit.

Nunc

Nunc igitur iuxtà meum institutum aggredior inuestigare principia, & causas Criticorum temporum, opus est autem cognoscere, quid sit Crisis, & à quibus Causis efficientibus, tàm proximis, quàm remotis fiat. Et sanè quidem variæ à Doctoribus descriptiones Crisis afferuntur, circa quas non conducit immorari.

Prima Conclusio. Crisis est actio inter qualitates elementares, & Cęlestes. Dico, quod Crisis sit actio; nam ex Crisi prouenit effectus conuersionis mixti, vel ad solutionem, vel ad confirmationem: & omnes Medici dicunt, quod Crisis est motus quidam, omnis autem motus est actio. Quod verò Crisis sit actio inter qualitates elementares, & Cęlestes patet; nam qualitates Cęlestes corroborant mixta, immò ipsa mixta à qualitatibus Cęlestibus pendent in esse, sicut dixi *cap.* 8. Elementares verò qualitates aduersantur mixtis, & eorum qualitatibus: quia elementa in mixtis cum non sint actu, sed virtute, & potentia, idest refracta, & concocta à qualitatibus Cęlestibus, nituntur semper se restituerę ad suum naturalem statum, expellendo ipsas qualitates Cælestes, tanquam sibi minimè connaturales: Nam quando quis ægrotat, agitur de mixti resolutione in prima corpora: Criticis autem temporibus contingit pugna quædam, quam Medici dicunt fieri inter morbum, & virtutem: At quæso quid est morbus, nisi qualitas tendens ad solutionem, idest restitutionem Elementorum ad suum naturalem statum? Et quid virtus nisi qualitas Cælestis viuifica, quæ mixtum conseruat? igitur optima ratione ego dico, quod Crisis sit actio inter qualitates Elementares, & Cęlestes: Cæterum si præualeant qualitates Elementares ad resolutionem tendit mixtum, si verò Cælestes ad corroborationem.

Dices. Quod actu non est non potest agere, sed qualitates Elementares non sunt actu in mixto, ergo non possunt agere in qualitates vitales Cælestes in eodem mixto repertas. *Respondeo primò*, quod cum ægritudo sit remissio qualitatum vitalium Cælestium, & mors totalis eorum desitio, & corruptio, fit vt Elementa cum prius manerent refracta, & concocta ab ipsis qualitatibus Cælestibus, itaut essent virtute, & potentia; deficientibus qualitatibus Cælestibus, redeunt ad suum actualem statum; quia Elementa relinquuntur libera, & soluta: quippè remota causa cessat effectus, at verò causa mixti est qualitas Cælestis, sicut ostendi *cap.* 8. *Respondeo secundò*, quod Elementa, & eorum qualitates licèt sint tantum potentia in mixtis, nihilominus tamen nituntur perpetuò contra qualitates Cælestes; & nituntur suis virtutibus, quibus etiam se restituunt ad connaturales qualitates quando alienis alterata sunt, sicut dixi *cap.* 8. Ex hoc autem infertur, quod Causa efficiens proxima Crisis sint qualitates Elementares, & vitales, quæ sunt in ipso homine.

Secunda Conclusio. Efficiens causa vniuersalis remota Criticorum temporum sunt Sidera. Patet ex Galeno, qui 20. de diebus Criticis ait, quod omnia, quæ in hoc Mundo habent ordinem perpetuum pendent a superioribus lationibus; sed tempora Critica seruant ordinem perpetuum, ergo pendent à superioribus lationibus Astrorum. Nam è contra, in causis efficientibus inferioribus non inuenitur aliquis ordo, etenim sunt semper in potentia ad agendum, & semper agunt quando sunt applicatæ subiectis passibilibus absq; vllo ordine.

Tertia

Tertia Conclusio. Efficientes causæ in specie Criticorum temporum sunt Sol, & Luna. *Probatur primò*. Cætera Sidera non mouentur motu secundum ordinem perpetuò æquabili, sed modo velociter, modo tardè, modo stant, modo regrediuntur, vt notum est: sed opportet, vt moueantur motu perpertuò æquabili, sicut dixit *Galenus*, ergo &c:

Secundò. Sicut effectus, qui ordinem habent non possunt pendere, nisi à Causis ordinem habentibus; ita effectus, qui dum fiunt imitantur motum quarumdam Causarum, optima ratione possumus asserere, quod pendeant ab illis Causis, quarum motum imitantur: sed tempora Critica imitantur motum Solis, & Lunæ ergo &c: Minor hæc propositio patebit infra, at verò maior probatur efficacissimè ex dictis supra *cap*. 7. *&* 14. & fundamentis ibidem expositis innititur *Galeni* ratio, quod scilicet, quæ ordinem habent perpetuum pendeant à superioribus lationibus; quia modus agendi sequitur modum essendi Causarum.

Tertiò. Crisis est actio inter qualitates Elementares, & Cælestes vitales, adeout qualitates vitales pugnent cum qualitatibus Elementaribus, sed qualitates vitales pendent à Sole, & Luna sicut alibi dictum est ergo &c:

Ex his patet, quæ sint Causæ efficientes, tum proximæ particulares, tum remotæ vniuersales Criticorum temporum: nam proximę sunt qualitates Elementares, & qualitates Cęlestes, quæ sunt in homine: remotæ verò sunt Sol, & Luna. Superest nunc perquirere quo modo hæ Causæ efficientes afferant Crisim.

Sciendum est primò, quod bona valetudo hominis, seù optima conseruatio eius mixtionis pendet à maiori robore, & virtute qualitatum Cælestium vitaliũ supra qualitates Elementares: tunc enim Elementares cum sint infirmiores succumbunt, & acquiescunt concoctæ, & refractæ à qualitatibus Cælestibus. Ægritudo autem est remissio, seù diminutio qualitatum Cęlestium vitalium, quę quia debiliores euaserunt, non possunt conseruare qualitates Elementares adeò benè concoctas, & refractas, sicut antea, scilicèt tempore bonæ valetudinis.

Sciendum secundò. Quod nõ fit Crisis, seù pugna inter qualitates Elemẽtares, & Cælestes quandò qualitates Elementares viribus infirmiores sunt, & qualitates Cælestes robustiores, tunc enim quia præualent qualitates Cælestes, & Elementares succumbunt refractæ, & concoctæ, conseruatur mixtum cum optima valetudine, & absq; Crisi, seù pugna. Insurgunt autem qualitates Elementares, & pugnant cum Cælestibus vitalibus quandò qualitates Cælestes vitales infirmantur, tempore scilicet ægritudinis: tunc enim quia qualitates Cælestes vitales, eo quod sint infirmatæ, non possunt conseruare qualitates Elementares refractas, & excoctas sicut prius; qualitates Elementares redduntur ad suas vires, & instituunt Crisim, seù pugnam gratia redundi ad suum integrũ naturalem statum: Quare non fit Crisis, nisi tempore ægritudinis.

Ex hoc autem patet quare non semper contingat Crisis in homine, sed tantum tempore ægritudinis, quamuis in homine adsint semper causæ efficientes proximæ Crisim: sidera verò non agunt nisi secundum modum essendi rerum passibilium, & causarum proximarum.

Igitur quandò primum ægrotat homo ex diminutione, & remissione quali-

tatum Cælestium vitalium, qualitates Elementares primam pugnam instituunt: quod si morbus sit acutus eò quia remissio, & diminutio qualitatum vitalium sit grauis, & qualitas corruptiua sit calida vehemens, & nimis actiua, fiunt Crises quotidiè statis horis, quando luminaria per quartas Mundi transeunt: quia celeres alterationes celerem causarum motum sequuntur: hinc optima ratione, *Ptolemæus cap. de his, qui non nutriuntur*, tribuit vitam ad menses pueris illis, quibus maleficæ officiunt Prorogatori Vitæ: & quo maior est, & intensior qualitas corruptiua pendens à proximiori, & robustiori obsidione à maleficis in Prorogatorem, minora etiam tempora tribuit *Ptolemæus*; vt dies, & horas. Quod si morbus non sit adeò acutus, eò quia non sit tàm grauis diminutio, & remissio qualitatum vitalium; primò fiunt Crises per mensem statis diebus, quando scilicèt Luna transit per quartas Zodiaci: Deinde ingrauescente morbo fiunt Crises etiam per diem statis horis, quandò luminaria lustrant quartas Mundi. Si verò morbus sit crhonicus ex natura qualitatis frigidæ, Crises fiunt per Annum statis mensibus, prout Sol lustrat quartas Zodiaci; quod si ingrauescat morbus Crises fiunt per mensem, tandem per diem. At verò à prima inuasione morbi, in qua fit prima Crisis, solet morbus ferè eodem modo se habere vsq; ad proximam Crisim, nisi in media distantia vnius quartæ, quæ distantia mediæ quartę est indicatiua futuræ Crisis: nam qualiter se habeat æger in media illa distantia talis fit Crisis cum ingenti alteratione, adeout omne quamuis leue signum in indicatiuo, & omnis leuis alteratio indicet ingentem alterationem futuram in proxima Crisi.

Quarta Conclusio. Luna affert Crisim à quartis Zodiaci. Hæc conclusio patet experientijs perpetuis, & est communis opinio Doctorum, & Medici omnes dicunt, quod sit Crisis 7. die 14. 20. vel 21. & 27. Quibus diebus Luna ponitur in quadratis locis, oppositione, & coniunctione à principio morbi. In eo autem, quod dissentiunt Auctores circa 20. & 21. diem, facillimè conciliatur si dicamus illum esse Criticum, in quo Luna ponitur in loco quadrato ab initio, vel sit illi magis propinqua; contingit autem propter velocitatem motus aliquando poni die 20. aliquando verò propter tarditatem 21.

Sciendum autem est, sicut communiter habent Doctores, quod triplex est mensis lunaris: vnus dicitur mensis coniunctionis, in quo Luna discedens à Sole, ad Solem redit diebus 29. & hor. 12. ferè: alius dicitur mensis peragrationis, in quo Luna peragrat totum Zodiacum, & reuertitur ad idem punctum Zodiaci, à quo discesserat diebus 27. & hor. 8. tandem Auctores cogitauerunt mēsē apparitionis, seu illuminationis, in quo Luna lucet, & apparet, & est dierum 26. hor. 12. His tribus modis Luna influit in res inferiores secundum communem Doctorum sententiam; Et quod agat duobus modis prioribus, deducitur ex supra expositis à me principijs: & sanè mensis apparitionis non differt à mēse coniunctionis, nisi tantum in eo, quod dum Luna latet sub radijs Solis videtur parùm agere, sed profectò semper agit, quamuis cum aliquo discrimine: nam in vera coniunctione cum Sole Luna non lucet omninò, attamèn nihilominùs tunc quàmmaximè commouentur vniuersa Elementaria corpora. Omnis ergo disputatio reducitur ad requirendam rationem, quare Luna afferat Critica

tempora

tempora à quartis mensis peragrationis, sicut comprobant experientiæ, & asserunt Doctores, & non à quartis mensis coniunctionis: cum tamen certum sit quod Luna agit validissimè etiam à quartis mensis coniunctionis.

Quinta Conclusio. Critica tempora quæcunq; in genere procedunt ex vna parte à Causis Elementorum, quæ vt dixi *cap.* 14. sunt lationes peragrationis in Zodiaco, & circa Mundum, ex altera verò parte à causis qualitatum Cælestium, quæ sunt Sol, & Luna.

Probatur euidentissimè ex supradictis. Crisis est pugna inter qualitates Elementares, & Cælestes: sed qualitates Elementares pendent à lationibus peragrationis in Zodiaco, & circa Mundum: qualitates verò Cælestes à Sole, & Luna, *vt ostensum est cap.* 14. ergo Critica tempora in genere ab his causis pendent.

Caueas ex dictis *primò*, quod actio, & passio, quæ contingunt inter qualitates Elementares, & Cælestes, fiunt quia luminaria producendo qualitates Cælestes in rebus inferioribus, cum ipsis qualitatibus tanquam instrumentis proximis, eminenti modo agitant elementa, decoquunt, miscent, & vniunt, atq; ita producunt vniuersum genus mixtorũ quorumcunq; Et hæ qualitates Cælestes in mixtis sunt causæ, non solum productionis mixtorum, sed etiam conseruationis; adeout deficientibus his qualitatibus mixta ad resolutionem labantur: & contra qualitates Elementorum si qualitates Cælestes infirmentur, & remittantur, quia illæ redduntur ad aliquas suas vires, insurgunt, & agunt in qualitates Cælestes, gratia redeundi ad suum integrum naturalem statum.

Secundò. Caueas *ex dictis cap.* 14. quod luminaria agitant Elementa, & eorũ qualitates lationibus peragrationis in Zodiaco, & circa Mundum; qualitates verò Cælestes producunt ex lationibus alio modo spectatis, vt Luna in mense coniunctionis &c.

Tertiò. Caueas, quod (sicut sæpius alibi dixi) qualitates vitales actuales fluunt ad actum successiuè; & eliciuntur ad actum ab ipsis luminaribus, præ cæteris à Luna in mense coniunctionis; nam, *vt dixi cap.* 14. luminaria eliciunt ad actum omnes quascunq; in genere qualitates latione circa Mundum: vitales verò, & Cælestes mixtorum perfectiorum Luna in mense coniunctionis, & Sol motu peragrationis in Zodiaco, quo motu Sol tantum eminenti modo agitat vniuersa, tam simplicia, quàm mixta corpora, & eorum qualitates; non sic Luna, quæ in mense coniunctionis habet respectum ad Solem, secundum quem solùmmodo producit, & elicit ad actum qualitates Cælestes mixtorum perfectiorum, & præ cæteris humiditatem radicalem; latione verò peragrationis in Zodiaco producit qualitates Elementares. Ex his nunc.

Secundò probatur mea conclusio. Si luminaria peragrando Zodiacum agitant Elementa, & eorum qualitates, decoquendo, miscendo &c. & hoc præstant medijs qualitatibus vitalibus, quas eliciunt ad actum, præ cæteris Luna in mense coniunctionis: necessariò sequitur, vt Luna agitet Elementa motu peragrationis in Zodiaco; hoc autem præstat, & agitat secundum lucem suam quam à Sole tunc habet, & ostendit nobis, qua producit, & elicit ad actum qualitates vitales actuales; nimirum cum virtute, quam recipit à Sole, & specificat fami-

liaritate cum cæteris Astris, qua producit actualem qualitatem Cælestem; agitat; Elementa, & eorum qualitates latione peragrationis, & circa Mundum.

Sexta Conclusio. Ratio quare contingat Crisis in locis quadratis, oppositione, & coniunctione est, quia luminaria à singulis quartis peragrationis in Zodiaco, & circa Mundum agitant integras qualitates, & totum esse vnius Elementi. In fine autem vniuscuiusque quartæ apparet victoria actionis: vbi si qualitas Cælestis vincat, Crisis ad conualescendum dirigitur; si verò præualeant qualitates Elementi, ad resolutionem.

Prior pars probatur. Ex tota, & integra latione luminaria agitant omnia quatuor Elementa: ergo à singulis quartis singula Elementa: hæc autem patet *cap.* 14. Nam singulorum Elementorum singulæ qualitates intenduntur vsq; ad summum ex singulis integris semicirculis, & quartis singularum lationum.

Pars posterior patet: quia actio, & passio in tota quarta continua est, & eiusdem rationis modi influendi; quare non nisi in fine totius integræ quartæ apparet, & contingit tota victoria totius qualitatis supra aliam; & virtutis Cælestis supra Elementum; aut è contra qualitatis Elementaris contra Cælestem.

Dices. Omne mixtum constat, ex omnibus quatuor Elementis, sicut habet *Arist.* 2.*gen. tex.* 49. ergo si luminaria agitant à singulis quartis singula Elemēta sequitur, vt non possit mori homo, nisi in fine totius integræ circulationis; in qua luminaria attingunt totum esse omnium Elementorum; quod falsum est, ergo falsa etiam conclusio. *Respondeo primò*. Quod immò ex dictis *Arist.* sequitur, vt fiat resolutio mixti ex defectu vnius tantum Elementi, eoquòd non possit esse neq; conseruari mixtum, nisi constat ex omnibus quatuor Elementis. *Respondeo secundò*. Quod qualitas vitalis infirmata desinit viuere actù per maiores diuturniores circulationes, & viuit tantum per minores, sicut supra dixi: tunc verò luminaria circulationibus illis maioribus nituntur restituere qualitatem vitalem ad pristinum actum, medijs qualitatibus virtualibus, quæ adhuc remanent in potentia, quod si nequeant agitatione primi Elementi, neq; possunt ampliùs circa cætera. Quare tunc dant vitam minoribus, & breuioribus tantum lationibus, & in ijs efficiunt nouas Crises, vsq; tandem ad totalem resolutionem.

Septima Conclusio. Dimidium vnius quartæ est indicatiuum victoriæ, quę in fine quartę fortuna est; sicut Medici affirmant se experiri. Ad cuius probationē

Sciendum est primò. Quod duplex est virtus instrumentalis cuiuslis causæ efficientis naturalis; vna quæ inhæret causæ, & fluit ab ipsa causa immediatè; vt calor qui est in igne, & ab ipso igne fluit per medium totius sphere actiuitatis: altera, quę producitur intra subiectum passibile, & est prædispositio ad nouum effectum, & est instrumentum, quod immediatè attingit productionem effectus; vt calor, qui producitur in ligno à calore ignis, qui fluit immediatè ab ipso igne. Hæc autem instrumenta ita sunt inter se distantia, & subordinata, vt posterius pendeat, & sit effectus à priore productus.

Secundò Sciendum. Quod omnis qualitas intensior, & viribus robustior agit in contrariam viribus infirmiorem, & remissiorem, itaut robustior corrumpat, & expellat infirmiorem ab eodem subiecto.

Tertiò

Tertiò Sciendum. Quod qualitas, quę producitur, & introducitur ab efficiente causa principali in subiectum patiens in principio antequam intendatur, vsq; ad dimidium intensionis, debilior est, quam sit qualitas corrumpenda: quare nisi manuteneatur à causa efficiente principali extrinseca, medio instrumento, quod fluit immediatè ab ipsa; de facili corrumpitur, & eijcitur à qualitate contraria, quæ præexistit in subiecto patiente: adeoùt si remoueatur causa efficiens principalis, qualitas quæ nondum vsq; ad dimidium intensionis est introducta statim conuertatur ad remissionem, & corruptionem; & qualitas in subiecto præexistens conuertatur ad se restituendum in pristinum. Quod si qualitas, quæ de nouo introducitur peruenerit vsque ad dimidium intensionis, tunc statim euadit superior viribus, quia statim ingreditur maiorem intensionem, & acquirit maiores vires supra vires, & intensionem qualitatis corrumpendæ. Hæc est communis, & trita Philosophorum doctrina.

Hinc autem sequitur *primò*, quòd actio in exordio vsq; ad dimidium intensionis qualitatis, quæ producitur, fiat cum maiori labore prioris virtutis instrumētalis, quæ immediatè fluit ab agente; quia qualitas, quæ corrumpitur magis resistit, & quæ producitur debilior est. *Secundò* sequitur, quòd item tunc temporis qualitas, quæ corrumpitur adhuc fungatur munere suo in subiecto patiēte, quamuis cum aliquali remissione, vnde oritur ægritudo ex remissione qualitatis vitalis. *Tertiò*, quòd statim post dimidium intensionis qualitatis, quæ producitur, & remissionis qualitatis, quæ corrumpitur, longè facilius, atq; minori labore fiat residuum actionis, quia qualitas, quæ producitur iam superat vires qualitatis, quæ corrumpitur; quare, tàm agens intrinsecum subiecto patienti, quàm extrinsecum superant qualitatem, quæ corrumpitur. *Quartò* tandem, quòd qualitas, quæ corrumpitur, statim post dimidium suæ remissionis, valde se abstineat, & abdicatur à suis muneribus exercendis in subiecto, quia præualet in eo qualitas contraria, & obtinet in subiecto maiores vires, & dominium. Ex his.

Probatur mea conclusio. Actio Siderum est continua, & eiusdem rationis in singulis quadrantibus circulationum, ergo in medio quadrantis attingit dimidium qualitatis producendæ; ergo ibi contingit, quod actio euadat facilior, & opera, seu munera qualitatis corrumpendæ imbecilliora: ergo quando ægritudo tendit ad corruptionem qualitatis vitalis contingit, quòd in indicatiuo ingrauescat morbus; e contra, quando ægritudo tendit ad valetudinem, quòd in indicatiuo conualescat &c. Hæc ratio adeo suadet, vt pateat ad oculum.

Secundò. Potest probari ex eo, quia pars prima ex octo partibus intensionis qualitatis habet exordiū aliqualis efficaciæ; itaut octaua pars circuli sit radius, sicut plurimi Professores censent, alicuius efficaciæ. In consonantijs musicis octaua pars totius circuli octauæ, refert aliqualem consonantiam, quamuis admodum leuem. Quapropter, quod qualitas producenda aliquos effectus ostendat efficaciæ in intensione primæ partis ex octo.

Obijcies. Sæpius dicitur in hoc opere, maximè verò *cap.* 14. quod vna tota qualitas secundum omnem intensionem à minima, vsq; ad summam pendet a semi-

femicirculo non ab vno quadrante: ergo ratio fupra allata nulla eft. *Refpondeo primò*, quod tota actio Cæleftis homogenea coniugata duplici modo influendi cadit fupra totam vnam fimilem coniugationem qualitatum elementarium, quæ conftituit vnum Elementum: itaut ex coniugatione duorum modorum influendi caufę, fiat vnus integer modus influendi in ipfa caufa: Et fimiliter ex coniugatione duarum qualitatum in effectu, fiat vnus integer modus patiendi, qui vnum Elementnm conftituit: hi autem modi, tàm agendi in caufa, quàm patiendi in effectu continent intenfionem à primo, feu infimo gradu, vfq; ad vltimum, & fummum; & hoc fufficit; nam actio Cæleftis ab vna tota quarta pendens, vincit, & decoquit ad mixtionem totam naturam, & totum effe vnius Elementi, & à dimidio quartæ dimidium Elementi. *Secundò Refpondeo*, quod eadem eft ratio de partibus, ficut de toto quando fumimus partes in Caufa, & in effectibus fibi correfpondentes: nā ficut fe habet tota latio ad totū effectum, ita pars lationis ad partem effectus; & hinc eft, quod ferè omne dimidium alicuius lationis, fiue integri circuli, fiue femicirculi, fiue alterius partis, eft indicatiuum totius, vel partis: nam *Galenus ait*, quod feptimus quoque dies fit indicatiuus quartidecimi.

Octaua Conclufio. Critica tempora, & indicatiua fiunt etiam in quadrantibus peragrationis Solis in Zodiaco, & Solis, & Lunæ circa Mundum. Patet *ex cap.* 14. & præfenti; Nam Luminaria agitant Elementa peragratione in Zodiaco, & circa Mundum. Quod conftat etiam ex fluxu, & refluxu Maris, de quo dicam infra.

Nona Conclufio. Crifis contingere poteft etiam fingulis feptem Annis ferè, quos vulgo Climatericos vocant; ego autem Criticos potius vocarem.

Hæc Conclufio patet ex dictis à me alibi: Nam Luminaria a fingulis diebus poft genefim præordinant virtute, & potentia qualitates vitales, ad actum ituras fingulis Annis vitæ, à fingulis diebus ad fingulos Annos per ordinem, ficut alibi demonftraui; & præordinant fuis lationibus, quibus producendo qualitates Cæleftes agitant, decoquunt, mifcent, & vniunt Elementa: Luna verò peragrando Zodiacum, luftrat fingulis feptem diebus ferè totam vnam quartam: quo momento fi contingat ratione familiaritatis maleficarum Stellarum erga ipfam, & Solem, vt non æquè benè, atq; perfectè luminaria decoxerint Elementa, ipfa Luna parat potentia, & virtute Criticum Annum, correfpondentem illi diei in quo ipfa Luna ponitur in loco Critico. Experientiæ autem miro modo affentiuntur, & refpondent vfq; ad minima tempora.

Caueas, quod Critica tempora, quæ fiunt à Luna in diebus, menfis, aliquando non contingunt ftatis fecundum numerum diebus, fed vel antecedentibus, vel fequentibus, prout Luna fuerit motu velox, vel tarda: fiunt autem diebus illis in quibus Luna eft magis proxima loco Critico ad horam Crifis horariæ, quæ eft reuerfionis febris, vel Syncopis &c. quæ fit quotidiæ ftatis horis: Quod fi Luna duobus diebus æquè diftat, vterq; dies confulendus eft.

Cæterum quæ, & quanta dixerint Doctores de Criticis temporibus non refero, ne capitulum augeatur vltra totum opus; breuitatem enim fequor; qui hæc velit Auctores confulat.

De

De fluxu, & refluxu Maris.

CAPVT VIGESIMVM.

PRæ cæteris, quæ conſpiciuntur in Mari illud omnium admiratione maximè dignum eſt, quod eius Aquæ ſex horis ferè intumeſcant,& augeantur, alijs ſex horis demittantur, & minuantur; quem motũ vocant fluxum, & refluxum; & Philoſophi requirentes cauſam huius motus varias, & diuerſas rationes afferunt; quæ mihi, vel non probantur, vel non planè ſatisfaciunt.

Quidam enim aiunt motum augmenti, & decrementi Maris fieri à Luna; videtur enim ſequi motum eius, eo quia ſex horis ferè contingat augmentum, & ſex horis decrementum, prout Luna luſtrat Cardines Mundi. Quoniam verò circa Lunæ quadraturas à Sole, minor contingit augmentum, & horæ fluxus, & refluxus non reſpondent exquiſitè motui Lunæ; alij propterea dixerunt fieri à Luna, ſimul, & à Sole. Rurſus in aſſignando modum nullam rationem afferunt. Quapropter liceat mihi,quæ circa rem hanc ſenſerim breuiter exponere.

Augmentum, & decrementum Maris triplici modo ad ſummum fieri poſſe mihi videtur. Primò per motum localem Aquarum concurrentium à locis vbi Aquæ minuuntur ad locum vbi augentur, adeout augmentum ſit conuentus Aquarum alienarum ex motu locali: Et hoc modo contingeret, quod luminaria attraherent Aquas Maris ſicut Magnes ferrum: atq; attractæ concurrerent verſus luminaria. Secundò, quod fiat in Mari vera augmentatio, & diminutio ſubſtantiæ Aquarum: & hoc modo luminaria generando, & corrumpendo Aquas Maris afferrent fluxum,& refluxum. Tertiò tandem, quod in Mari fiat magna rarefactio, & condenſatio, quibus Aquæ Maris augeantur,& minuantur. Hoc autem vltimo modo Luminaria tanquam cauſæ rarefactionis, & denſationis afferrent hunc motum fluxus, & refluxus Maris. Nullo autem alio modo videtur contingere poſſe.

In primis certum eſt, quod hic motus Aquarum fluxus, & refluxus fiat à luminaribus tanquam à cauſis vniuerſalibus remotis: nam in Nouilunijs, & Plenilunijs fiunt ingentes motus fluxus, & refluxus, ſicut comprobant experientiæ perpetuò ſemper; & fiunt verſus luminaria, & eorum oppoſitum: Effectus verò, qui ſequuntur motum alicuius cauſæ, ab illa cauſa pendere certum eſt ex dictis *cap. 7. & 14.*

Prima Concluſio. Luminaria non efficiunt fluxum, & refluxum Maris vera generatione, & corruptione Aquarum.

Probatur. Non apparet hæc generatio: nam ex terra non eſt veriſimilis, neq; poſſibilis maximè intra tam modicum ſpatium temporis, nimirum ſex horarum, & ſtatim, vt ex Aqua iterum generetur terra: Neq; ex Aere; quia ex tranſmutatione Aeris in Aquam fiunt pluuiæ: at verò non apparent, neq; conſpiciuntur in Mundo, tàm ingentes pluuiæ quotidie, & cum hoc ordine motus,

vt

vt possint augere, adeò immensam Aquarum quantitatem, quàm non augent infinita penè flumina, & maxima, quæ intrant in Mare: at profectò hæc conclusio de se liquet.

Secunda Conclusio. Luminaria non trahunt Aquas Maris, sicut Magnes ferrum.

Probatur primò. Si quæ ratio id suaderet est, quod à luminaribus trahuntur corpora humida, & quæ aliquam leuitatem, & raritatem habent: Aqua verò est humida, magisq; rara, & leuis, quàm terra: sed hæc ratio nulla est, quia vapores, & omnia corpora aerea, & ignea non trahuntur à luminaribus, sed à sola insita in ipsis corporibus virtute, nimirum calore, raritate, & leuitate subleuantur: nam contingit, vt subleuentur corpora ignis tantum operè excalefacta, & rarefacta, etiam absente Sole, & Luna, ergo non trahuntur à luminaribus.

Secundò probatur. Si Aquæ Maris trahantur à luminaribus, itaut fluxus, & refluxus Maris sit simplex motus localis, in freto Gaditano opus est, quod fiat perpetuò adeò vehemens, & concitatus motus ingredientium, & egredientiũ Aquarum, vt impossibilis omninò sit tanta velocitas motus: quippè opus est, vt ingrediatur tantum Aquæ spatio sex horarum, vt augeat omne Mare Mediterraneum: sed non contingit ibi tam vehemens, & concitatus motus Aquarum, ergo &c.

Tertiò probari potest. Ex motu aquarum in fretis Gaditano, Siculo: nam si luminaria efficiunt fluxum Maris trahendo Aquas localiter, sequitur quod in dictis fretis, tempore quo luminaria sunt inter Ortum, & Meridiem, idest quando augetur Mare Mediterraneum, sequitur inquam, quod in dictis fretis Aquæ Maris moueantur versus Ortum, quia trahuntur à luminaribus: quando verò luminaria sunt inter Meridiem, & Occasum, quod moueantur versus Occasum. Quod si fluxus fiat per rarefactionem, contingit aliter, vt mox dicam.

Tertia Conclusio. Luminaria efficiunt fluxum, & refluxum Maris media rarefactione, & densatione: & bifariam primò per rarefactionem augent extensionem Aquarum, per densationem minuunt; Secundò ex ipsa rarefactione, Aquæ rarefactæ non nihil magis eleuantur à centro terræ, quam cæteræ Aquę densiores: sicut patet in guttis Olei super Aquam natantibus, quæ supereminent. Et sicut Aqua calefacta, quæ ad superiorem partem contendit quandò ebullit, & feruet.

Et profectò, quod rarefactio augeat Aquas immo omnes liquores constat experientia in omni Aqua, & omni vase: cum vero Mare contineat ingentes Aquas, est possibile, & verisimile, quod rarefactio in Mari efficiat ingens augmentum. Et poterit quisq; experiri in Oenophoro, aut alio simili vase vitreo oris, & colli angusti: impleatur vas Aqua vsq; ad medium colli, & exponatur ad apertum Cælum; & apparebit augmentum, & decrementum singulis sex horis: Cuius augmenti, & decrementi sanè nulla alia causa proxima assignari potest, nisi rarefactio, & densatio, quæ etiam sunt causæ augmenti, & decrementi Aeris, sicut patet in instrumentis illis vitreis, quibus cognoscitur intensio, & remissio caloris, & frigoris.

Cætrum

Cæterum virtus, qua luminaria efficiunt rarefactionem, & densationem est qualitas Cælestis à lumine producta, vt calor, & humiditas, quibus vt supra dixi luminaria agitant, decoquunt, miscent, & vniunt Elementa: ijs enim qualitatibus luminaria producunt etiam in Mari tot penè innumerabilia genera mixtorum, tàm animatorum, quàm inanimatorum: Opus est ergo vt influant etiam in omnes aquas Maris hanc virtutem, qua cuncta commouent, & primò ipsum Elementum Aquæ, quæ continet omnia, quæ sunt sub ipsa.

Comprobatur hæc Conclusio si vera sit, obseruatione motus aquarum in fretis supradictis: Nam quando luminaria sunt in quarta ab Ortu ad Meridiem, quo tempore augetur Mare Mediterraneum, necesse est vt aquę moueātur ab Ortu ad Occasum, nimirum contrario motu ab eo, quem supra dixi in attractione; quando verò luminaria sunt in quarta à Meridie ad Occasum, opus est vt aquæ moueantur ab Occasu ad Ortum: & ratio est; quia ex rarefactione consequitur motus à centro ad circumferentiam: quemadmodum è contra, ex attractione consequitur motus à circumferentia ad centrum: ergo motus contrarij sunt: Quare sequitur, quod oriente luminare, si fiat fluxus per rarefactionem, vt aquę incipiant moueri ab Ortu ad Occasum, si verò per attractionem ab Occasu ad Ortum.

At verò de modis rarefactionis, & densationis disputant Philosophi: etenim quoniam videntur esse motus ad quantitatem; quantitas autem est coæua materiæ, non poterunt fieri absq; additione, & detractione materię: igitur densatio, & rarefactio fierent per additionem, & detractionem materiæ: atq; ita insurgit difficultas contra meam conclusionem, quod scilicet non possit fieri motus fluxus, & refluxus Maris nisi vel per generationem, vel per aduentum aquarum ex motu locali.

Dico igitur, quod rarefactio, & densatio non sunt motus ad quantitatem, sed ad extensionem partium, seu ad dimensionem: & melius dicam sunt passiones quædam ipsius materiæ ex quibus consequitur motus ad extensionem partium, & etiam ad locum: Quantitas autem non cōsistit in extensione partium, seu in dimensionibus, quantitas quidem physica, quæ est coæua materiæ: nam eadem quantitas materiæ modò minorem, modò maiorem occupat locum, & modò sub magnis, modò sub paruis dimensionibus reperitur; hinc à Philosopho dicitur, quod raritas sit parum materiæ sub magnis dimensionibus &c. Et constat in transmutationibus Elementorum ad inuicem: nam ex modica Terra fit multum Aquæ, & plurimum nimis Aeris, Ignis verò crescit in immensum: adeout eadem quantitas substantiæ materiæ semper sub maioribus dimensionibus inueniatur prout maiorem raritatem acquirit.

Caueas, quod duplex est quantitas, alia Physica, alia Mathematica, quantitas Mathematica est pura dimensio, & extensio partium: quantitas Physica est pars integralis materię, quę si semel excisa sit ab vniuersa materia, est semper eadem quantitas Physica materię, siue sub magnis dimensionibus ex rarefactione, siue sub paruis ex dēsatione; adeout non detur noua quantitas Physica, absq; noua parte materiæ, seu substantiæ eius. At quantitas Mathematica datur maior, & minor absq; noua materia, nimirum ex rarefactione, & densatione &c.

Caueas item, quod extensio partium in materia est indefinita, in medio quidem: definitur autem à qualitatibus actiuis, quæ sunt calor, & frigus, & à formis substantialibus: Dixi, quod sit indefinita in medio: nam ex vna parte opus est in rerum natura peruenire ad summam densationem, qua maior fieri non possit; in qua adeò spissatur, & densatur materia, vt sit in summo densissima, & non possit amplius densari sicut est æs, lapis adamas, & similia: ex altera parte opus est peruenire ad tantam raritatem, vt maior fieri non possit, sicut est ignis. Inter hæc duo extrema adest medium infinitis modis determinandum, & determinatur à qualitatibus actiuis, sicut dixi.

QVÆSTIONVM PHYSIOMATHEMATICARVM LIBER SECVNDVS DE FAMILIARITATIBVS ASTRORVM

AVCTORE

DIDACO PRITTO PELVSIENSI.

MEDIOLANI,

Ex Typographia Io. Baptistæ Malatestæ Reg. ac Cam. Impressoris.

De consensu Superiorum.

AD LECTOREM.

DE viribus Astrorum in res inferiores ab instrumentali causa, & eius proprietatibus, & passionibus succ'rationis perquisitis, & summorum Doctorum auctoritate comprobatis, hactenus dissertum sit. Cum verò superiores causæ successiuè semper, & iugiter continenter, actione quidem alteratiua circa nos influant, actione verò efficaci in proportionali tantum influxu, sicut dixi: consequens est perquirere qui, & quot sint proportionales influxus, tùm genere, tùm specie, & quibus locis, & distantijs contingant; tùm deniq; quibus modis, & numeris sint accipiendi, vt effectuum inde tempora quam exquisitè nobis pateſiant. Etenim valdè dissentiunt inter se Professores de locis, & distantijs, tùm etiam de generibus, & speciebus Familiaritatum Siderum; alij enim vnum tantum genus admittunt, alij plura; alij plures species, alij pauciores: alij assumunt diuersis circulis, & sitibus; alij alijs numeris: cum tamen de singulis veritas non nisi vnica possit esse. In hoc igitur secundo Libro proponā inuestigare, ratione item comite, & magistra semper, quot sint genera, & species Familiaritatum Astrorum, quæ sint earum veræ distantiæ situs, & circuli, tàm in longum, quàm latum, & tàm in Primo Mobili, quàm in Mundo, vbi locorū accidunt; quibus cognitis tanquam terminis motus, facillimè ex dicendis subsequenter tertio Libro, nimirum ex motibus, planè admodum innotescent tempora rerum, quę ex numeris motus mobilium pendent: est enim tempus, numerus, motus, causarum, &c.

QVÆS-

QVÆSTIONVM PHYSIOMATHEMATICARVM LIBER SECVNDVS DE FAMILIARITATIBVS ASTRORVM.

Quot sint genera Familiaritatum Siderum.

CAPVT PRIMVM.

NON desunt Mathematicarum rerum Professores, qui radios præterquam super Signiferum, super alios etiam circulos, aut secundum locorum ascensiones rectas, vel obliquas, vel mixtas, alijsq; diuersis modis accipiant; vt Maginus, Ioannes de Saxonia, & alij.

At ego, qui Siderum familiaritates in reali Siderum motu, & influxu repono, quiq; censeo nihil aliud esse radios, nisi proportionales influxus ex proportionalibus distantijs motu acquisitis à terminis ipsius motus; quibus distantijs proportionales quosdam intensionis qualitatum gradus influunt, tot genera radiorum admitto quot sunt motus Astrorum, quibus successiuè influunt, & distantias efficiunt, atq; propterea qualitates successiuo motu producunt, & intendunt.

Duplicem quidem esse Siderum motum sensibus ipsis percipimus; vnum sub Primo Mobile ab Occidentalioribus ipsius plagis ad Orientaliores; alterum cum ipso Primo Mobile ab Ortu, ad Occasum. Quoniam verò accidit Astra, tàm in vno, quàm in altero quatuor luminis passiones afferre, quibus quatuor primas qualitates in rebus inferioribus influendo suscitant; ideo duo potissimum genera Familiaritatum reperiri censeo, vnum in Signifero sub Primo Mobile, alterum in Mundo, secundum domorum distantias.

Prima Conclusio. Proportionales Astrorum ad inuicem distantiæ in Signifero, sunt veræ, & efficaces familiaritates. Tradit *Ptolemæus* ex professò radios in Signifero, & ipsum sequuntur in hoc omnes Professores: potest etiam optimè probari hæc conclusio, tùm ex dictis, tùm etiam dicendis.

Secunda Conclusio. Hæ familiaritates in Signifero sumptæ sunt veræ, & efficaces

caces tantum inter Sidera, quæ intra Signiferum sunt, & progrediuntur, non autem ad cardines, & domus.

Explicatur. Dico, quod Astra, dum sunt in proportionalibus distantijs ad inuicem super Signiferum acceptis, se se inuicem respiciant veris, & efficacibus radijs: Quod si locus proportionalis distantiæ, siue dicamus radij Sideris alicuius in Signifero sumptus ascendat in aliquo cardinum, siue domorum, puto quod hic radius non sit verus, & efficax; sed quod sit inanis, & prorsus effectu vacuus: itaut familiaritates Astrorũ ad cardines, & domus in Zodiaco sumptę non sint veræ, & efficaces, neq; sint radij actiui; sed quod mera hominum libertate fingantur, & assumantur, non secundum naturam. Quod sane nemo vnquam ante hac asseruit. Vt in 3. figura Sol est in horoscopo, & Iuppiter habet sextilem ad Solem: dico, quod sextilis Iouis ad horoscopum non sit efficax, neq; quod sit radius: sed quod sit distantia inanis, & inefficax. Similiter in 4. figura Iuppiter in p. o. Piscium, siue Scorpionis non est in Trino Orientis, vel sextili, quamuis oriatur p. o. Cancri, vel Capric.

Probatur primò. Siderum radij circa subiectum aliquod debent esse proportionales partes positiui influxus, quem efficiunt Astra dum motu distantiam permutant erga subiectum illud; sed huiusmodi non sunt Astrorum radij ad cardines, & domus in Zodiaco sumpti, ergo &c. Maior propositio patet *in 1. libro*. Minor verò probatur: Astra non efficiunt influxum erga cardines, & domus super Zodiacum, qui non est via Siderum ad cardines; nam dum ab vno cardine ad alium transeunt Astra non progrediuntur per Zodiacum, licet super ipsum remaneant; etenim si progrederentur per Zodiacum mouerentur contra ordinem Signorum: at verò vna cũ partibus ipsius Zodiaci, quas possident ad cardines eunt; itaut sæpissimè fiat, quando scilicet sunt stationarij Planetæ, vt in Signifero non permutent situm dum ab vno cardine ad alium transeunt; ergo Siderum radij in Zodiaco accepti ad cardines, & domus non sunt partes positiui eorum influxus erga illos. Vt in 3. figura Iuppiter qui est in p. o. Tauri non vadit ad horoscopum deambulando super Signiferum, nam iret contra ordinem signorum, idest à p. 30. Arietis ad 29. 28. 27. &c. quod est impossibile: Via Iouis ad horoscopum, & ab horoscopo, est linea 4, d, q, parallela ad Æquatorem, & non alia.

Secundò. Sidus quando est in Meridiano respicit semper vtrumq; finitorem quadrato radio; sed quadratus radius in Zodiaco à Meridiano ad finitorem rarissimè accidit, nimirum ex punctis tropicis tantum; ergo radij ad cardines in Signifero inanes sunt: minor propositio patet; maior probatur primò, ex *Ptolemæo cap. de locis Apheticis, & qui tetragonis horoscopum contingit, nimirum Cæli supra terram fastigium*. Quod si dicas *Ptolemæum* ibi loqui de radijs in Æquatore, adhuc habeo intentum; sequitur enim ergo non fit ibi radius in Signifero ex *Ptolemæi* doctrina. *Secundò*, probatur maior propositio ratione. Sidus dum est in Meridiano, reperitur in media distantia ab Ortu ad Occasum, nimirum à coniunctione cum Ortu, ad diametrum, idest ad oppositionem; sed media distantia à coniunctione ad oppositionem est quadratus radius, vt patet, & docuit *Ptolemæus cap. de 12. locorum configurat. lib. 1. Cæterum si maximas duas portiones conue-*

conuenientes, atq; item supra portiones accipiamus; nempè rectangulorum dum ex diametro dimidium, & trientem; quæ portiones conuenientes, atq; item supra portiones sunt, fit, vt dimidiatio tetragonum constituat, quibus perspicuum est *Ptolemæum* velle, quod dimidium maximæ portionis, quæ comprehenditur à coniunctione ad oppositionem cõstituat tetragonum: Maxima autem portio in duas partes æquales dispertienda in nostro casu, Signifer esse non potest, vt notum est; nam hæc portio maxima diuidenda aliter sumi non potest, quam a coniunctione Sideris ad oppositionem; nimirum ab Ortu ad Occasum eiusdem; quod in Signifero fieri non potest; ergo &c. Vt in 4. figura Iuppiter est in Meridiano, & respicit vtrumq; finitorem, idest Orientis, & Occidentis quadrato radio, quia est in media distantia ab Ortu ad Occasum, nimirum à punctis sui Ortus, & Occasus, qui sunt a, b. Quod si aliter distat à punctis Orientis Eclipticæ, & Occidentis, nihil refert; nam portio maxima diuidenda in radios non est Zodiacus in hoc casu, sed circulus motus, & influxus Astri ab Ortu ad Occasum a ♃ b, idest circulus à puncto Ortus Iouis per viam motus eiusdem, vsq; ad punctum Occasus eiusdem Iouis.

Tertiò. Si veri sunt radij Siderum ad cardines in Signifero opus est, vt Sidus dum occidit distet ab Ortu partibus 180. est enim ibi in eius oppositione, quæ in Signifero est partium 180, sed falsum est, Sidus dum occidit, distare semper ab Ortu partibus 180. nam Sidus extra Æquatorem repertum, si Borealem habeat declinationem, dum occidit, pluribus partibus ab angulo Orientis distat, quam 180. & minus si declinationem Australem: etenim mobile tot partibus distare dicitur à termino à quo, quot deambulando peregit, & lustrauit, & nõ pluribus, nec; paucioribus; quippè falsum est affirmare, quod discedens ab Vrbe distet ab eadem Vrbe decem milliaribus, cum deambulauerit tantum quinq; Quod si per aliam viam distet illis decem, nihilominus ineptum est assumere eius ab Vrbe distantiam per aliam viam, quàm per illam, quam progreditur. Ergo Sidus in tropico exempli gratia, Hyemali sub eleuatione Poli gr. 43. dum occidit deambulauit ab Ortu ad Occasum partes 132. quibus non potest dici distare partibus 180. si nondum tot compleuerit deambulando: In Æstiuo tropico dum occidit progressum est part. 228. Qua nam ergo ratione dici potest ibi distare partibus 180. si longè plures deambulauit? nulla sanè.

Dices. Intuitus est distantia quædam proportionalis, proportio autem vnica est, scilicet quæ in Zodiaco fit; extra quem nulla proportio; vt ex *Ptolemæo cap. de 12. locorum configuratione citato*: Vbi configurationes tantum in Zodiaco spectat, subditq; tandem rationem conuenientium figurarum esse consimilitudinem Signorũ; è contra, verò inconuenientium esse dissimilitudinem; itaut naturæ figurarum aliundè minimè pendeant, aut pendere possint, quam à naturis Signorum; & extra Signa figuræ nullam habeant naturam, aut qualitatem actiuam. *Respondeo primò*, negando minorem propositionem: locus autẽ *Ptolemæi* citatus si acciperetur in tali sensu impugnaret ea, quæ idem ipse docet *cap. de locis apheticis*, vbi configurationes tribuit etiam Cælestibus mansionibus, quamuis hæ non contineant Signorum naturas. Pugnaret etiam cum doctrina, quam tradit *cap. Qua nam sint vitæ moderandæ rationes*, vbi assumit conue-

nientes

nientes etiam Signorum configurationes, nimirum trigonum, & sextilem deprauatos breui, vel longa ascensione pro lethalibus. *Respondeo secundò*. Cum radij sint proportionales quædam distantiæ, tot poterunt esse, & naturaliter sumi, quot modis Astra distantiam creant, & augent: Duplicem verò distantiam efficiunt Sidera, vnam quidem super Signiferum inter se, de qua loquitur *Ptolemæus loco citato*, prout ex titulo, qui est *De configurationibus 12. locorum*, colligi potest; agit enim ibi ex professo de configurationibus Signorum: alteram verò ad cardines, quam efficiunt describendo dum mouentur parallelum ad Æquatorem: nam, vt dictum est, Sidera non creant distantiam ad cardines, neq; eam augent progrediendo super Signiferum, sed super parallelum ad Æquatorem, qua ratione diuidit *Ptolemæus* 12. Cælestes mansiones, *cap. de locis apheticis,atq; alibi*: non enim accipit proportiones Signiferi ad definiendas domus, nã asserit, quod domus decima tetragonis semper radijs respiciat Oriẽtem, & quod sit Meridionalis circulus, quem docet semper vertici incumbere; & quod Vndecima sextili radio respiciat Orientem, Nona trigono; cum tamen sæpissimè accidat, vt ab his domibus Signa aut non intueantur partem Signi ex Orientis in finitore inuentam; aut certè alijs radijs. Subdit verò *Ptolemæus* rationem conuenientium figurarum esse consimilitudinem naturæ Signorum; at non assignat pro ratione formali; inquit enim. *Quarum quidem figurarum triquetra, & sexangula putantur conuenientes* putantur, inquit, ac si dixisset hominum est opinio: prout etiam paulo infra de hostilibus, *inconuenientes verò figuræ habentur*. Nam, vt benè notat *Maginus cum Cardano in suo Primo Mobili Can. 39.* Diameter fit inter Signa sexu conuenientia, attamen hostilior est ipso tetragono: non assignat, ergo *Ptolemæus* pro ratione formali; adeoq; vt velit extra Signiferum nihil valere configurationes; prout colligi etiam potest ex pluribus alijs locis, vbi clarè docet inter mansiones quoq; Domorum intercedere proportionales radios.

Quartò probatur. Intuitus est proportionalis quædam distantia; sed proportio sumitur comparatione quantitatum scilicet præcedentis, & sequentis: etenim quantitas proportionata non differt materialiter ab improportionata, ex qua tanquam ex materia, & partibus integrantibus constat: sed Astrorum quantitas distantiæ ad cardines præcedens, & subsequens non est Signifer, neq; pars eius, vt demonstratum est, & insuper latius patebit; sed est motus, & positiuus Astrorum influxus, quem illuminando dum ab vno ad alium cardinem progrediuntur præstant: ergo non est sumenda hæc quantitatum proportio ad cardines super Signiferum; sed super Siderum motum, & influxum: minor probatur. Distantiæ quantitas est quæ intercipitur à termino à quo inceptionis distantiæ, & motus, vsq; ad terminum ad quem, quo peruenit Mobile; quilibet enim alius terminus ad rem non facit omninò, terminus autem inceptionis distantiæ, & motus Astrorum in cardinibus, non est vbi post discessum ex orti Sideris oriuntur gradus Eclipticæ; sed vbi exortum est Sidus. Vt quarta figura refert duas medietates Zodiaci: & siue ascendat p. o. ♋ siue p. o. ♌. Iuppiter qui est in Meridiano in p. o. ♓. siue dicamus in p. o. ♏. est in quadrato ad horoscopum, quia distantia, qua inde ab ortu distat non constat ex

partibus

partibus Zodiaci, sed ex partibus paralleli, quem dum ab Ortu ad Meridiem deambulauit, descripsit; nam termini omnis distantiæ Siderum à finitore sunt puncta Ortus, & Occasus eorumdem, & non puncta Orientis, & Occidentis gradus Eclipticæ.

Tertia Conclusio. Astrorum radij ad cardines, & domus accepti secundum proportionales distantias, seu partes arcuum diurnorum, & nocturnorum eorumdem Siderum, sunt veræ, & efficaces familiaritates, quas in Mundo voco. Pro cuius intelligentia.

Cauendum est distantiam inter duo puncta sumi posse ad libitum nouis semper modis in infinitum penè, prout ad libitum nouæ semper in infinitum fingi possunt viæ, seu lineæ super quibus distantiam accipimus, & metimur. In hoc autem tota consistit Quæstio, tàm de radijs, quàm de domibus, & positionum circulis: Vt exempli gratia quis metiri vult distantiam inter Romam, & Venetias, tot poterit modis quot sunt viæ inter has Ciuitates, quæ penè innumeræ: Quod si distantia non iam inter duo puncta sit accipienda, sed inter vnum punctum, & lineam aliquam extensam, puta inter summitatem trianguli, & lineam basis; multiplicantur adhuc modi, quibus distantiam ab illo puncto summitatis ad lineam basis accipere possumus, quot puncta in ipsa linea, & basi assignari possunt, quæ semper de nouo in infinitum.

In casu autem nostro quæstio est de distantia puncti ad lineam; nimirum de distantia Sideris ad lineam cuspidum domorum: & tota difficultas est, an sit sumenda distantia Sideris à puncto Eclipticæ in cuspide domus reperto, an à puncto, per quod transiuit, vel transiturum sit Astrum, cuius distantiam metimur. Volo autem sumendam esse à puncto transitus Astri ad ipsum Astrum, & per lineam rectam sphæricam, quæ est via motus Astri à cardine ad cardinem.

Hæc sanè conclusio patet omnibus rationibus superioris conclusionis, probatur tamen. Radij sunt proportionales distantiæ acquisitæ per motum, seu sunt proportionales partes motus, & influxus Astrorum; sed arcus diurni, & nocturni Siderum iidem sunt, quod eorum motus, & influxus erga finitorem: ergo proportionales partes diurni, & nocturni arcus Astrorum sunt veræ, & efficaces Familiaritates. Maior propositio patet ex dictis alibi: nam meæ Familiaritates ad cardines, & domus, de quibus loquor, accipiuntur proportionali diuisione positiui motus illuminationis, & influxus Astrorum, & non puro circino, neque ad libitum diuisione puræ quantitatis, quæ non est actiua.

Dices. Astrorum radij ad cardines in Signifero spectati sunt partes positiui influxus, & motus eorum, quem efficiunt super Signiferum; ergo huiusmodi radij ad cardines erunt naturales, & efficaces. *Respondeo*, Astrorum influxum in Signifero esse efficacem respectu aliorum Siderum in Signifero morantium, & progredientium, eo quia post præsentialem coniunctionem, vel pariter, vel proportionaliter intendunt accensas per talem congressum qualitates, dum successiuè progrediendo per Signiferum, super ipsum distantiam ab inuicem creant, & augent, quousq; proportionales ibidem distantias ab inuicem attingant; vbi efficacem reddunt omnem retrò per motum, & illuminationem exhibitum influxum; itaut proportionales in Signifero distantiæ Siderum ab inuicē,

sint efficaces ratione separationis, & applicationis ad inuicem, quas efficiunt super ipsum Signiferum, in quo pro distantia, quam efficiunt, intendunt, & remittunt qualitates: Etenim radij sunt proportionales distantiæ eo modo sumendæ, quo fiunt, & inter quæ fiunt, & per eam regionem, qua motu, illuminatione, & influxu fiunt. Cæterum ad cardines, & domus Astra non efficiunt suas distantias progrediendo per Signiferum; neq; enim dum ad cardines, & domus eunt progrediuntur per Signiferum, etsi in eo reperiantur: progrediuntur quidem per Signiferum dum ab inuicem in eo variant distãtiam Astra.

Dices. *Ptolemæus* ad formandam oppositionem accipit diametrum; videtur autem diameter transire debere per centrum Mundi; at si sumatur diameter secundum meum modum, à puncto scilicet exorientis Astri ad punctum Occasus eiusdem, non transit per centrum Mundi, nisi tantum cum Sidus in circulo æquatoris fuerit: ergo non potest accipi talis diameter &c. *Respondeo primò Ptolemæum* ibi definire oppositionem per diametrum, eo quod ageret de radijs in circulo magno Zodiaci sumptis; nam Zodiaci diuisionem inquirebat, atq; in eo configurationes: omnis verò circuli magni diameter per centrum Mundi transit. Non est autem opus vt oppositio fiat per diametrum semper, cum tamen sit vera oppositio, ex qua dimidium accipientes efficaces tetragonos constituimus angulis rectis constantes: Nam oppositio accidit etiam in circulis minoribus, quorum diametri non sunt concentricæ Mundo, in quibus circulis non minus, quam in alijs magnis radios accipere licet, & figuras; teste *Naiboda apud Maginum de diebus criticis*, qui coluros non minus disiungi quadrante prope Polos, quam in Æquatore qui circulus maior est, affirmat: Quod *Ptolemæo* quoq; assentitur, nec enim esset ratio, qua superior angulus in quadrato semper consisteret ad Ortũ. *Respondeo etiam*, non esse opus vt diameter oppositionis transeat semper per centrum Mundi; nam Sidus quodcunq; & cuiuuis latitudinis, seu declinationis, dum est in Occasu est in oppositione ad Ortum, & ad omnem Stellam in Oriente repertam; & ratio est, quia tota regio Orientalis aduersatur Occidentali, vtpote contrariæ naturæ, & proprietatis; adeout quælibet pars Ortus aduersetur cuilibet Occidentis parti, & è contra: At Sidus exoriens nisi habeat eamdem declinationem secundum numerum partium, sed contrariæ denominationis, quam habet Sidus Occidens, non emittit diametrum per centrum Mundi ad ipsum Sidus Occidens, vt de se patet: non est igitur opus, vt oppositionis diameter transeat per centrum Mundi. Quod verò binæ Stellæ in huiusmodi oppositis finitoris regionibus, si diuersæ sint declinationis, adhuc dici debeant opponi, patet; nam aliàs nunquam fieret oppositio, nisi quando secundum etiam latitudinem partilis.

Dices: Ptolemæus cap. de his qui non nutriuntur, docet oppositiones partiles, idest quarum diameter transit per centrum Mundi esse efficacissimas; ergo reliquæ oppositiones debiliores semper prout ab hac diametro elongantur; ergo illæ tantum sunt veræ oppositiones. *Respondeo Ptolemæum ibi*, assumere ad efficaciã malitiæ infortunarum oppositiones præfatas, eo quia cum ipsis plura genera radiorum, seu dicamus Familiaritatum accidant: nam fit opppositio in Primo Mobili, seu Zodiaco, fit oppositio in Mundo, & fiunt paralleli omnes; quibus singulis,

singulis, & vniuersis radijs agunt Astra, vt dictum est, & amplius demonstrabitur; ad efficaciam enim oppositionis in Signifero opus est, vt eius diameter non elongetur a centro Mundi: ad efficatiam oppositionis in Mundo, vt diameter non distet à superficie, quæ à centro Mundi ad finitorem extenditur, quã vocare possumus diametralem: & hoc sufficit ad oppositionem in Mundo constituendam; & non est opus vt per centrum Mundi eius diameter transeat, sed tantum vt à punctis Ortus, & Occasus Astri ducatur.

Secundò Probatur conclusio. Radij Siderum ad inuicem super Signiferum nõ ob aliam rationem veri sunt, & efficaces, nisi quia super Signiferum ab inuicem efficiunt motu suas distantias, & dum ibi mouentur intendunt, & remittunt qualitates; sed ad cardines distantias, & qualitatum intensionem, & remissionem efficiunt solum dum mouentur super parallelis; ergo super ipsis tantum reales sunt, & efficaces ad cardines radij Siderum.

Dices: non ob eam tantum rationem, sed ob id potissimum, quia Ecliptica est via Solis, Sol verò principium omnis virtutis viuentium. *Respondeo primò*. Si Ecliptica ex eò, quod sit via Solis vim habet vt Astrorum super eam radij reales sint, & efficaces; sequitur, quod Astrum repertum extra ipsam Eclipticã non recipiat radios intuentium: & si dicas extra Eclipticam etiam recipi radios, veruntamen non sic validè, quia elongantur partes à via Solis, qui est causa efficiens huius virtutis, partes verò intra sphæram virtutis agentis quo magis remouentur, eo infirmantur: *Respondeo* id non doceri a Ptolemæo, qui ad efficaciam oppositionis obseruat similitudinem latitudinis diueriæ, coniunctionis eiusdem. *Respondeo secundò.* Sicut Sol describendo lineam Eclipticæ communicat ei talem virtutem, quæ maior est ratio quin possit, & similem virtutem communicare parallelis, quos motu raptus perpetuo describit? potior sanè ratio non apparet, ergo non propter allatam rationem, sed quia ibidem efficiunt Astra suas distantias, & exinde producunt, & alterant qualitates.

Tertiò Probatur. Radij debent sumi diuisione proportionali quãtitatis interceptæ inter terminum à quo, & terminum ad quem motus Astrorum: sed quãtitas inter terminum a quo, & terminum ad quem motus Astrorum circa Mundum, & cardines est arcus diurnus, vel nocturnus Astrorum; ergo &c. Minor propositio patet: quantitas motus Astrorum ad cardines accipitur à punctis, seu terminis punctualibus Ortus, & Occasus eorundem; à quibus accipiuntur arcus diurni, & nocturni. Maior autem propositio illa probatur: Diuisio alicuius quantitatis non erit proportionalis, nisi fiat comparatione præcedentis, & subsequentis quantitatis, incipiendo à termino à quo, vsq; ad terminum ad quem eiusdem quantitatis, vt sæpius dictum est: Quantitas autem motus Astrorum ad cardines non est via Eclipticæ, vel Signiferi, sed est parallelus quidam: Quod si fiat diuisio Signiferi, non erit diuisio proportionalis; quia non fiet comparatione partium quantitatis motus Astrorum ad cardines; qui motus est arcus diurnus, vel nocturnus interceptus inter terminum, seu punctum a quo, & terminum, seu punctum ad quem motus eorum, quæ sunt puncta Ortus, & Occasus eorumdem: Vt in quarta figura puncta Ortus, & Occasus ♃. sunt a, b, quantitas intercepta est arcus diurnus, a ♃., b, & non arcus Zodiaci, siue a ♃. ad ♋. siue ♑.

 Dices:

Dices: radij ad cardines accepti in Signifero sunt partes quantitatis inter Astra, & ipsos cardines: ergo efficaces sunt. *Respondeo*, multipliciter sumi posse, vt sæpius dixi, quantitatem, seu distantiam Sideris ab angulis; quarum tamen distantiarum nulla est efficax, nisi quæ est à termino à quo, & ad terminum ad quem motus Astrorum; cuiusmodi non sunt distantiæ in Signifero ad cardines: sunt verò lineæ parallelæ ad Æquatorem, quas describunt stellæ dum à cardine ad cardinem eunt.

Dices adhuc: Arcus Zodiaci à cardine ad Astrum est quantitatas realis, & definita à duobus terminis; nimirum à linea cardinis, & ab Astro. *Respondeo*, Quod de puncto quidem Astri pro vno termino non sit difficultas: at linea cardinis quamuis sit terminus realis diuidens partem sphæræ, qua diuisione diuidit etiam Signiferum: attamen cum in ipsa linea cardinis possint accipi puncta infinita; non sunt realia ipsa puncta, nisi quæ assignantur ab ipsis Astris dum trāseunt per ipsam lineam cardinis; vbi constituunt alterum terminum motus. Et hoc est, quod debet optimè intelligi.

Quarta Conclusio. Radij Siderum ad inuicem secundum distantias Domorum sunt veræ, & efficaces familiaritates, quas voco Siderum ad inuicem in Mundo.

Explicatur. Volo, vt quibus radijs, & distantijs Astra respiciunt Cardines, & Domus, ijsdem quoq; respiciant Stellas, quæ in illis Cardinibus, & Domibus fuerint inuentæ: Vt si in Culmine fuerit aliquod Sidus, & aliud in finitore; se se mutuo respiciunt hæc Sidera quadrato radio, quo eodem quadrato respiciunt mutuo Cardines, quibus inhærent: qua de re dictum est superiori Conclusione.

Probatur primò. Sidus in Ortu respicit quadrato radio decimam Domum, ergo eodem quadrato radio respicit etiam Astra, quę ibidem tunc reperiūtur: antecedens patet ex dictis: consequens probatur: Domus est circulus horarius ab Austro ad Boream, ergo si Sidera intuentur Domum, intuentur omnia Sidera, quæ in eadem Domo sunt, quamuis latitudine, & declinatione distent: ergo si Sidus ab Ortu respicit decimam Domum quadrato radio, respicit etiam omnia Sidera ibidem reperta eodem quadrato radio: Vt in quarta figura, Sidus g, est in Horoscopo, & respicit decimam Domum quadrato radio, respicit etiam quatuor illas Stellas, quæ in eadem decima Domo sunt, & viciſsim ab illis respicitur quadrato radio.

Secundò. Omnis Domorum influxus, & diuisio in Cælo pendet à lumine, & influxu Siderum; nam vt dicetur infra *cap*. de Domibus, nisi essent in Cælo Astra luminosa, non essent Domus; quia non esset illuminatio, & motus, quorum proportionalibus partibus Domus accipiunt suos fines; ergo primum, & principaliter Astra se se respiciunt inuicem ab ipsis Domibus, inde consequenter etiam ipsas Domus; ergo si Stellæ respiciunt Domus secundum Domorum distantiam, eo magis a fortiori se se inuicem intuebuntur Astra ab ipsis Domibus.

Tertiò. Est communis Mathematicorum sententia, & experimentis perpetuò comprobata; duo Sidera etiam si valdè distent ab inuicem secundum declinationem, sint tamen in eodem circulo, vel finitoris, vel Meridiani, vel positionis quocunq; alio; huiusmodi, inquam, Sidera esse ad inuicem coniuncta:

Sed

Sed hæc coniunctio spectatur tantum ratione Domus; nam in Signifero non sunt coniuncta, vt patebit infra, si sint extra sphæram suæ actiuitatis, itaut ab inuicem distent per declinationem pluribus partibus, quam sit area suæ virtutis actiuæ: ergo si Stellæ efficiunt ad inuicem coniunctionem ratione Domus, cæteras etiam familiaritates more Domorum efficere sunt censendæ: Maior, & principalis propositio illa recipitur ab omnibus in supputationibus Directionum ad corporales congressus; & patebit infra: Vt in quarta figura Stellæ in Meridiano sunt coniunctæ ratione Domus, & situs in Mundo, ergo ratione eiusdem Situs, & Domus omnes sunt in quadrato ad Stellam, g,

Quinta Conclusio. Radij sumpti in Æquatore iuxta modum à Magino propositum, non sunt reales, neq; efficaces familiaritates.

Explicatur. *Maginus*, Vir circa Matheses, nostri sæculi celeberrimus, & in supputandis Cælestibus motibus, figuris, & circulis accuratissimæ diligentiæ, putauit, quod Sidera qua distantia proijciunt suos radios super Zodiacum, pari distantia proijciant eosdem radios circumquaq; in Orbem; igitur ponit Stellam pro centro, & circumducit radios in Orbem, adeout radius quadratus sit circulus magnus diuidens sphæram in duas partes æquales; sextilis, & trigonus sint circuli paralleli minores, 30. gradibus ab illo vtrinque distantes. Ex quo sequitur, vt his radiorum circulis Astra inter secent præ cæteris Æquatorem circulum: vult autem Maginus, vt Astra, & Cardines tunc recipiant radios Planetarum in Æquatore; quando ad Situm positionis Planetarum, siue ad Cardines locus sectionis radij in ipsa Æquatoris linea, tanquam in subiecto circulari impressus peruenerit, & ascenderit, aut descenderit; eodem scilicet, & pari modo, quo deducuntur radij in Signifero ad situs positionum, & Cardines: Vt in figura 3. a, b, c, d, est circulus sextilis Saturni, & secat Æquatorē in puncto, c; cum verò hoc punctum sit in Horoscopo, in quo est etiam Sol; secundum *Magini*, sententiam Sol est in sextili Saturni in Æquatore: ego autem puto hunc radium esse inanem. Et hæc quidem Conclusio patet rationibus superiorum Conclusionum; nihilominus tamen

Probatur primò. Quodcumq; Sidus, eodem quo respicit efficaci radio aliud Sidus, respici debet ab illo; sed hoc non fit radijs in Æquatore sumptis ad hunc modum *Magini*: ergo hi radij non sunt efficaces: Maior propositio negari non potest; nam radij sunt distantiæ proportionales inter duo, quorum stultum est asserere, vt alias dixi, vnum distare magis, vel minus ab altero, quā hoc alterum ab illo: etenim distantia inter duos terminos est correlatiua, itaut pariter ab inuicem distent: Minor verò propositio probatur: Quando in situ positionis alicuius Astri, exempli gratia Solis, ascendit locus radij in Æquatore sumpti alterius Astri, puta Saturni, Sol viciſſim debet aspicere Saturnum pari in Æquatore radio; sed non respicit eodem radio in Æquatore; ergo radij in Æquatore non fiunt mutuò, quod inconueniens est. Vt in tertia figura Sol est in sextili Saturni in Æquatore, vt dixi; Sol verò non tangit Saturnum suo sextili in Æquatore sumpto, & neq; Saturni corpus, neq; circulum positionis eius: Nam Sol circulo sui sextilis secat Æquatorē in puncto, g, cuius puncti circulus positionis est f, g, h, Circulus verò positionis Saturni est ♄, a, s.

Dices

Dices, id nihil referre, quia radij intuentis Aſtri dum incidunt in circulum poſitionis alterius, diffunduntur per totum circulum, & attingunt ipſum Prorogatorem; cum autem accidat, vt Prorogatoris radij non tangant circulum poſitionis Sideris intuentis, opus non eſt, vt, & mutuò Prorogator aſpiciat Stellam intuentem. Et confirmatur *primò*: nam Prorogatoris radij non ſpectantur, ſed habentur inanes, & ideo ſunt negligendi. *Secundo* ſicut accidit in coniunctione partiali, quæ eſt inter duo Sidera, quorum vnum ob maiorem latitudinem ſphæræ virtutis tangit alterum, & non tangitur ab illo propter minorem latitudinem ſphæræ illius: ita poteſt accidere in caſu noſtro: *Reſpondeo*: Radius non eſt tantum proiectio luminis; quia ſic radij infiniti fierent; ſed eſt proiectio luminis ſecundum proportionalem diſtantiam ſumptam non quoqo modo, ſed directè, & immediatè à Sidere ad Sidus, vel locum definitum, cum quo congreſſum habet per circuitus, quibus ambo ſuas qualitates, & influxus ad inferiora tranſmittunt, & ex quibus conſequenter ipſæ proportionales diſtantiæ, quæ radij efficaces ſunt, accipiuntur: radij enim, vt ſupra demonſtratum eſt, ſunt proportionales partes motus, & influxus, quem efficiunt Aſtra poſt congreſſum; adeout Sidera ſe ſe intuentia habeant neceſſariã correlationem diſtantiæ; & ſint duo termini proportionalis diſtantiæ, quæ eſt Irradiatio: quorum terminorum non magis, nec minus dexter elongatur à ſiniſtro, quam abſit ſiniſter à dextro; ſed omninò pariter. Cum ergo radij inter Sidera ſint poroportionales diſtantiæ eorumdem, non ſufficit loca diſtantiarũ conuenire in circulis poſitionum Siderum; ſed opus, vt conueniant cum Sideribus ipſis, tum maximè, cum radij diffundi non poſſint per circulos poſitionũ, vt ſuo loco oſtendam. In prima confirmatione aſſumitur falſum; nam Sol, & Luna etiam ex *Ptolemæi* doctrina, tum Prorogatoris, tum occurſantis obtinet virtutem, qua & recipere, & proijcere efficaces radios omninò ſunt cenſendi. In ſecunda confirmatione aſſumitur diſparitas; nam ſphæra virtutis circa Sidera ſequitur vim lucis eorumdem Siderum, quorum lux quo maior eſt, & intenſiuè, & extenſiuè, eo maior etiam emergit ſphæra virtutis: tactum verò radiorum efficiunt Aſtra quæcunq; etiam minimæ magnitudinis, licet virtus radij ſit imbecillis iuxta vires ſui Sideris.

Secundò probatur concl. Fieri poteſt vt locus radij in Æquatore diſtet ſecundum declinationem partibus 28. & pluribus ab Aſtro, quod reſpicitur; ergo locus radij non poteſt in hoc Aſtrum, quod reſpicitur agere; nam propter adeo magnam diſtantiam non tangitur corpus Aſtri ab illo radio; vbi verò non eſt contactus, non eſt Familiaritas, neq; actio, & paſſio. Vt in eadem 3. fig. Punctum c, ſextilis Saturni diſtat à Sole 14. ferè gradibus; non poteſt ergo in Solem agere.

Dices. Virtus Radij diffunditur per totum ſitum, ſeu circulum poſitionis vſq; ad corpus Aſtri. *Reſpondeo* hoc eſſe figmentum inane; quia non diffunditur aliquid niſi lumen: locus autem radij non habet lumen, ergo non poteſt diffundi, ſed de hac re alibi latius.

Tertiò. Non efficiunt radios Aſtra; niſi per viam ſuorum motuum; ſed per Æquinoctialem non mouentur, niſi tantum circa Mundum, quando fuerint

ſub

ſub ipſo Æquinoctiali; ergo non efficiunt radios Aſtra in Æquatore, niſi tantum quando fuerint ſub ipſo; & tunc efficiunt radios in Mundo: Maior propoſitio patet; nam radij ſunt diſtantiæ proportionales Aſtrorum ſecundum priorem, & poſteriorem ſpacium motus.

Quartò. Si dantur radij in Æquatore, neceſſarium etiam eſt dari coniunctionem in Æquatore: ſed hoc rariſſimè accidit, ſcilicet quando Stellæ coniunguntur in punctis Æquinoctialibus, ergo &c. probatur maior: in omni genere radiorum prima familiaritas eſt coniunctio; immò, vt probatum eſt, in quo genere Aſtra non coniunguntur, non efficiunt reliquas radiorum familiaritates; quia in coniunctione accendunt nouas qualitates, quas poſtea per motũ, & diſtantias intendunt, & remittunt; ergo ſi in Æ quatore non accendunt per coniunctionem nouas qualitates, non efficiunt ſub ipſo aliam proportionalem diſtantiam. Attamen, & ſi ſub ipſo Æquatore aliquando coniungantur; quia tamen ſub ipſo non mouentur, neq; de conſequenti proportionales diſtantias efficere poſſunt; atq; propterea neq; efficaces radios.

Quintò. Radij in Æquatore non ſunt naturales; ſed mero hominum arbitrio aſſumpti: ergo &c. probatur antec. Radij ducti in circulum ambiunt omne Cælum, cuius non omnes, & ſingulas partes luſtrant Planetæ eo modo, quo luſtrant Signiferum, & parallelos; in quibus motu, & influxu efficiunt reales, & naturales diſtantias ante omne noſtrum arbitrium, & dimenſionem; quæ cuncta per reliquas Cæli plagas non efficiunt Stellæ; ſed homines aſſignant, & non motu, & influxu Stellarum, ſed puro circino; non proportione quantitatis à termino à quo interceptæ vſq; ad terminum ad quem, & per viam realis motus Aſtrorum; ſed ab Aſtris, quidem ad eorum diametrum; attamen per inuia, & quà non tranſeunt Planetæ, neq; vnde influunt.

Dices. Radij definiuntur fundamento proiectionis luminis Aſtrorum; proiectio autem luminis fit ad omnem locum, & omnem partem Cæli: ergo radij circumſcripti in orbem reales, & naturales ſunt; & non hominum arbitrio ficti. *Reſpondeo*, quod non ſufficit Aſtra proijcere lumen, vt ex eo fiant familiaritates radiorum efficaces; nam ſi ſufficeret, omnis luminis iactus, ſiue proportionalis, ſiue improportionalis eſſet familiaritas efficax; quod falſum eſt: non igitur omne ſpacium ad quod peruenit lumen Aſtrorum, aptum eſt, vt ex illo fiant efficaces radij; ſed requiritur adhuc, vt proportionales diſtantiæ fiant realiter in Cælo ab ipſis Aſtris mediante motu, & ſucceſſiua de loco ad nouum ſemper locum reali illuminatione, quæ exhibetur proximè, & immediatè a corpore luminoſo ipſorum Siderum, & non à iactu lucis; item per viam motus eorum, non per loca inuia, per quæ nunquam tranſeunt, & ad quæ nunquam perueniunt. Sed hanc obiectionem *lib*. 1. reieci.

Quot

Quot sint species Familiaritatum Siderum in vtroq; genere.

CAPVT SECVNDVM.

SPecies familiaritatum locorum Zodiaci, quæ sint exponuntur à *Ptolemæo lib. 1.* vt per ipsas inter Domos etiam, seu dicamus in Mundo, quæ item sint applicationum species cognoscere possimus: qui sic ait. *Familiaritas autem intercedit locis Zodiaci secum; primum ijs, quæ cum alijs aliquam figurarum describunt, quæ sunt demetiens &c: Triquetra, Quadrata, Sexangula &c:* Exordium sumit à figuris radiorum in Zodiaco, & assignat quatuor species; nimirum oppositionem, trigonum, quadratum, & sextilem. Quarum figurarum dum exponit rationem, è qua rursum aliæ species Familiaritatum inter Signa deduci optimè possunt; eas vtique, prout solet, Mathematicorum prudentiæ inuestigandas relinquit.

Cæterùm an aliæ reperiantur species familiaritatum, & quæ sint, opus est nobis quam accuratè perquirere: etenim in allegato contextu *Ptolemæus* non exponit coniunctionem, quam tamen esse veram, & efficacimam familiaritatem, ipsemet docet sæpissimè in omnibus quatuor libris; & nemo repertus est vnquam, qui negauerit: cumq; non meminerit coniunctionis, alias quoq; nonnullas familiaritates silentio præterijsse credere par est. Ducit autem rationē à proportionalibus diuisionibus circuli, à quibus oriuntur figuræ radiorum; itaut velit familiaritates Zodiaci tot esse, quot fieri possunt proportionales diuisiones, quotq; oriri figuræ. At sanè ratio hæc non est formalis, neq; adæquata; nam adhuc percunctamur, quam ob rationem proportionales diuisiones, quæ figuras constituunt, sint efficaces familiaritates; quæ non apparet. Deinde plures proportionales diuisiones, pluresq; figuræ constitui possunt in Zodiaco præter eas, quas ponit *Ptolemæus*, quæ tamen an exhibeant efficaces familiaritates non constat.

Ego puto rationem formalem efficaciæ radiorum haberi non posse: & eius quæstionem pertinere ad vltimas differentias, quæ prorsus ignotæ sunt: atq; propterea quot sint species familiaritatum Siderum sola duce ratione cognoscere prorsus impossibile censeo.

In exponendis autem, & inuestigandis rebus naturæ, si vacet ratio, vel sit obscura, vel admodum imbecillis, ad exempla, & illis consimilia diligenter perquirenda conuerti debemus, si quid inde ad earum rerum notitiam conducens haurire fortè valeamus.

Excellentiss. Kepplerus agens de Trigono igneo cap. 9. ex musicis consonantijs admodum ingeniosè venatur numerum familiaritatum Siderum: & ego qui musicis modis animi gratia, & delector, & Studij quandoq; non modicum impendi, puto simillimam comparationem reperiri inter Cælestes radios, & musicos concentus: pluresq; rationes id suadent.

Prima ratio similitudinis, ducitur è subiecto diuisionis, quod tamen in vtrisq; est causa efficiens: nam sicut consonantiæ musicæ fiunt diuisione quantitatis continuæ,

continuæ, ſcilicet Chordarum, Tibiarum &c. huiuſmodi: ita familiaritates in Cælo fiunt diuiſione diſtantiarum, motuum, & influxuum, quæ ſunt quantitates continuæ.

Secunda. Ex determinatione quātitatis huius ſubiecti,ſeu cauſæ: etenim ſicut conſonantiæ muſicæ non fiunt ex omni quantitate chordarum, fiſtularum &c. ſed ex data aliqua longitudine Chordæ, Tibiæ &c. cuius è duabus partibus, quomodocumq; fiat diuiſio, altera pars, quæ vel eſt maior, vel ad ſummum æqualis, exhibet vel minorem vocem, quam ſit octaua, vel ipſam octauam: adeoq; vt tota ſphæra conſonantiarum ſit octaua, tanquam maxima portio: ita familiaritates in Cęlo non fiunt ex omni qualibet quantitate,ſed ex maxima portione, quæ à coniunctione, & oppoſitione definitur, *vt docet Ptolemæus*.

Tertia. Ducitur ex ſimilitudine motus in vtriſq; qui ſucceſſiuus eſt; quo motu ſucceſſiuo à diſtantijs, quæ non ſunt proportionatæ, peruenitur ad diſtantias, quæ ſunt proporti onatæ, & è contra, &c.

Quarta. Ex ſimilitudine motus circularis,in quo fit receſſus,& acceſſus: nam ſicut voces in receſſu elongantur ab inuicem ſucceſſiuè, vſq; ad maiorem diſtantiam, quæ eſt octaua, à qua poſtmodum fit regreſſio ſucceſſiuè vſq; ad vniſonum, vt patet conducendo ponticulum ſub chorda muſica: ita familiaritates in Cælo elongantur ab inuicem ſucceſſiuè vſq; ad maiorem diſtantiam,quæ eſt oppoſitio, poſt quam iterum ad coniunctionem appropinquant, & redeunt.

Quinta. Ex ordine in vtriſq; Etenim ſicut prima conſonantia in receſſu ab vniſono (ideſt ab eadem voce) eſt tertia minor, deinde quarta, mox quinta, nouiſſima octaua: ita prima familiaritas in Cælo poſt diſceſſum à coniunctione eſt ſextilis; ſequitur quadrata; deinde trigona; tandem oppoſita: ſed, & in regreſſu è contra ordine retrogado pariter ad ſe ſe inuicem referuntur.

Sexta. Ex menſura quātitatis vniuſcuiuſque etiam ſecundum ordinem: ſicut enim tertia minor in conſonantijs muſicis diſtat ſexta parte; ita ſextilis radius eſt diſtantia ſextæ partis: Quarta muſica diſtat quarta parte; ſic quadratus; Quinta muſica diſtat tertia parte, ſic trigonus: Octaua muſica eſt maxima diſtantia, ſic oppoſitio: Et menſuræ in vtriſq; ſunt exquiſitæ.

Septima. Ex ſimilitudine effectuum; nam conſonantiæ receſſu, & acceſſu intendunt, & remittunt voces; ita familiaritates receſſu, & acceſſu intendunt, & remittunt qualitates.

Octaua. Ex identitate medij, & cauſæ inſtrumentalis: nàm conſonantiæ muſicæ fiunt medio aere percuſſo, vel etiam aqua; quo tanquam medio inſtrumentali deferuntur voces, & conſonantiæ quoquouerſum: Aſtra dictum eſt agere lumine, ſed lumen non tranſmittitur, niſi per medium perſpicuum Aeris, & Aquæ; eſt enim lumen actus perſpicui.

Nona. Quæ tamen eſt nonnihil remota, & vniuerſalis: Ad omnes effectus naturales cauſarum ſublunarium eſt communis ſententia Philoſophorum concurrere Cæleſtes cauſas: ex dictis autem patet Aſtra non concurrere cum his cauſis niſi per ſucceſſiuum influxum, qui eſt ſecundum duplicem eorum motū, & qui diuiditur in Radios in Zodiaco, & in Mundo. At verò inter effectum, & cauſam, aliqualis ſemper intercedit ſimilitudo ſaltem ſecūdum proprietates;

ergo si Astra suis radijs concurrunt ad musicas consonantias, opus est vt inter radios, & consonantias sit aliqua similitudo.

Alias quoq; si diligenter perquiras, Lector humanissimè, reperies profecto similitudines inter Astrorum familiaritates, & musicas consonantias: censeo autem quas enumeraui ad rei euidentiam satis esse.

At quare non consonent voces musicæ, nisi quæ ad inuicem proportione distant; ratio non apparet primaria; puto autem, vt de familiaritatibus dixi pertinere ad vltimas differentias, quæ prorsus latent. Dicam tamen, quæ differendo reperi, & continent verisimilitudinem quamdam.

Sciendum est Primò: Sonum à percutiente fieri, vt à primum mouente; quod tamen potentia sonum contineat; non enim omne corpus percutiendo aptum est edere sonum, vt nimis mollia, qualis est lana, spongia, &c. *ita Aristoteles 2. de Anima tex.* 77. *&* 78.

Secundò. Sonum *ex Aristotele ibid.* esse motum medij ab ictu primi percutientis inceptum; qui motus per medium vsq; ad aures, & ad remotiora quoq; loca in orbem diffunditur, tanquam vnda in aqua; etenim vna pars alteram ciet successiuè: at verò quia nullum agens potest omnem suam virtutem alteri communicare, hinc est cum vna pars non possit eadem vim, & impulsum, quam in se habet alteri parti inferre, vt motus in medio successiuè viribus deficiat vsq; tandem ad nihilum.

Tertiò. Sonum fieri etiam in aqua, sicut in aere: in qua tamen minor fit sonus, & breuior, tardiorq; motus, ob medij maiorem densitatem, & resistentiam: & non nisi à percutiente, vt à primum mouente &c. vt dixi: *ita Arist. ibid.*

Quartò. Sonum differre à sono bifariam; *Primò*, quia alter acutus est, alter grauis. *Secundò*, quia alter vehemens est, & vlterius peruenit; alter imbecillior, & non procul auditur. *Primò modo*, differt sonus à sono ratione maioris, vel minoris extensionis agentis: minor enim extensio acutum, maior grauem efficit sonum: *Secundò modo*, differt ratione maioris, vel minoris intensionis virium, & virtutis actiuę agentis ad hanc rem, vt chorda longior grauem efficit sonum, breuior acutum: chorda leuiter percussa debilem sonum; acriter percussa vehementem, & qui ad vlteriores, & remotiores partes peruenit, producit.

Quintò. Sonum acutum fieri à velocitate motus agentis; grauem a tarditate: *ita Aristoteles ibid. tex.* 86. *atq; alibi.* Item similiter sonum vehementem fieri à velocitate motus agentis, sonum imbecillem a tarditate motus eiusdem, cum hoc tamen inter ipsos discrimine prout sequitur.

Sextò. Velocitatem, & tarditatem motus tripliciter fieri; à motu locali; à motu qualitatis; & à motu quantitatis. Sonus acutus, vel grauis fit à velocitate, vel tarditate motus quantitatis, sonus vehemens, vel imbecillis fit à velocitate, vel tarditate motus qualitatis: nam qualitas nimis intensa, nimis etiam velox est ad agendum, quam sit qualitas remissa, quæ, & segnior est, & tardioris actiuitatis: Quare vehementior fit sonus ab agente intensioris virtutis; imbecillior ab agente remissionis actiuitatis. Similiter agens minoris quantitatis velocius agitatur, & commouentur, quam agens maioris quantitatis:

hinc

hinc eſt, vt agens paruæ quantitatis acutum edat ſonum; agens verò maioris quantitatis grauem: hinc etiam quare chorda ſubtilior, & intentior, vel etiam breuior acutiorem pariat ſonum, quam chorda craſſior, vel remiſſior, vel etiam longior: Nam chorda ſubtilis velocius mouetur, quam chorda craſſior, quia facilius ſecat medium; ſic chorda intentior, & breuior, quam remiſſior, & longior; quia fortior in ſe ipſa.

Ad rem noſtram. Fit ſonus in aere ſicut vnda in aqua; nam vnda in aqua cenſeo, quod ſit editus ſonus, qui etiam ad partes interiores aquæ mouetur, ſed tardiùs, quam in aere, vt dixi. Sint ergo duo percutientes aquam ad oram lacus, vnus tardus, alter velox; ſi inter vnam percuſſionem, & aliam tardi motoris, velox percutiat proportione, vt bis, ter, quater &c. coibunt vndæ ſingulis proportionum locis; ſi verò abſq; proportione non coibunt. Quæ verò coeunt voces conſonant; nam conſonare eſt vna conuenire ſonu; quæ non cohærent conſonare nullatenus poſſunt: quare voces, quæ non conueniunt vna, neq; conſonare poſſunt.

Nunc per tranſlationem, Acutus ſonus ſi proportionem habeat ad grauem, vndam quodammodo coeuntem cum ſono graui pariet; atq; propterea conſonantem vocem cum voce graui; aliàs ſecus. Sed ratio hæc per tranſlationem à motu locali ad motum quantitatis eſt deducta.

Ex conſonantijs ergo muſicis ad Cæleſtem harmoniam intelligendam tranſire quia optima ratione licet, percipere ſi volumus, quæ, & quot ſint Cæleſtes conſonantiæ, videlicet efficaces familiaritates; opus eſt optimè nouiſſe quæ, & quot ſint, & qua proportione fiant muſicæ conſonantiæ.

Conſonantiæ muſicæ ſunt octo, Vniſona; tertia minor; tertia maior; quarta; quinta; ſexta minor; ſexta maior: octaua. Et inueniuntur oriri ex proportionalibus chordæ diuiſionibus, prout ſequitur.

Sint octo Chordæ ſicut apparet in figura ſexta, quæ tùm inter ſe, tùm in ſe ipſis ſint æquales, & vniformes, tàm ſecundum longum, quàm ſecundum craſſum, & æqualiter intentæ ſuper ſuos ponticulos; itaut omnes eamdē ad vnguē percuſſæ proferant vocem.

Vnaquæq; harum chordarum repreſentet totum, & integrum circulum in Cælo, itaut conſtet, & ſit diuiſa in gradibus 360. ſicut eſt prima chorda ſignata A B, quæ præſefert totum circulum Zodiaci, & diuiditur in duodecim ſigna ſicut vides.

Secunda chorda C D E: diuiſa ideſt ſignata in ſex partes æquales: ſupponatur ponticulus in puncto D. primæ partis, ita tamen vt leuiter tangat chordam; quia ſi eleuaret, illam intenderet, & voces non correſponderent diuiſionibus; quod in ſingulis chordis obſeruari debet: Pars D E percuſſa reperitur in tertia minori immediata ſupra vocem totius chordæ A B ſiue ſupra vocem ſui ipſius integræ: nam omnes hæ chordæ eamdem referunt vocem. Pars C D in quinta acuta ſupra quintam decimam, ideſt in decima nona. Ad inuicem verò pars C D in tertia maiori acuta ſupra quintamdecimam, ideſt in decima ſeptima reſpectu alterius partis chordæ D E. Pars autem C D refert radium in Cælo ſextilem, & conſtat gradibus 60. Pars D E conſtat partibus 300. quæ refert

residuum circuli. Vbi caue, ne forte decipiaris perspiciens vocem in tertia minori proxima repertam fieri à chorda, quæ constat gradibus 300. cum tamen constare debeat gradibus 60. eo quod referat radium sextilem: nam pars D E est longitudo vnius vocis; & A B est longitudo alterius, cuius differentia, seu excessus supra partem D E est C D, idest gradus 60. quæ est portio radij sextilis: & hoc cauendum est in omnibus alijs.

Tertia chorda F G H diuisa in quinque partes æquales: supponatur ponticulus in puncto G primæ diuisionis: pars G H, quæ continet quatuor è quinq; partibus, percussa resonat tertiam maiorem grauem, idest immediatam supra vocem chordæ A B, & constat gradibus 288. Pars F G refert tertiam maiorem acutam supra quintamdecimam; idest decimam septimam ad chordã A B, & constat gradibus 72. Respectu verò ad alteram chordæ partem idest G H, exhibet quintamdecimam, ex hac consonantia ponitur in Cælo radius Quintilis.

Quarta chorda I K L diuidatur in quatuor partes æquales: pars K L resonat quartam proximam ad chordam A B, & constat gradibus 270. Pars I K sonat quintamdecimam supra chordam A B, & constat gradibus 90. Pars I K ad partem K L ponitur in quinta acuta supra octauam, idest in duodecima. Per hanc consonantiam ponitur in Cælo radius Quadratus.

Quinta chorda M N O diuisa in tres partes æquales, cuius pars N O efficit quintam immediatam supra chordam A B, & constat gradibus 240. Pars M N resonat quintam acutam supra octauam, idest duodecimam ad chordam A B, & constat gradibus 120. Ad partem verò N O pars illa ponitur in octaua. Per hanc consonantiam ponitur in Cælo radius Trinus.

Sexta chorda P Q R in octo partes æquales diuisa: subijciatur ponticulus in puncto Q, pars Q R, quæ continet quinq; partes octonas, sonat sextam minorem proximam supra chordam A B, & constat gradibus 225. Pars P Q resonat quartam supra octauam, scilicet vndecimam ad chordam A B, & constat gradibus 135. At verò respectu ad chordam Q R ponitur in sexta maiori proxima. Per hanc consonantiam ponitur in Cælo radius sesquiquadratus.

Septima chorda S T V in quinque partes æquales diuisa: si supponantur ponticulus in puncto T. Pars T V sonat sextam maiorem ad chordam A B constat tribus è quinq; partibus; & gradibus 216. Pars S T tertiam maiorem supra octauam ad chordam A B, & constat duabus, è quinque partibus, nimirum gradibus 144. hæc pars est in quinta proxima ad alteram partem chordæ. Per hanc verò consonantiam ponitur in Cælo radius biquintilis.

Octaua, & vltima chorda X Y Z in duas partes æquales diuisa, quæ ad inuicem in vnisono sunt; ad chordam verò A B sunt in octaua, & ambo constant gradibus 180. Per hanc consonantiam ponitur in Cælo radius oppositiones.

Eædem proportiones, & consonantiæ reperiuntur, si transferantur ponticuli ad partes diuisionum posteriores chordarum, vt ad puncta a, b, c, d, e, f, sed consonantiæ, quæ erant à dextris ponuntur a sinistris, & è contra: similiter autem accidit ipsis radijs in Cælo, quorum alij propter hanc rationem dextri

vocan-

vocati sunt, nimirum qui separatione mobilium fiunt, reliqui sinistri.

Cæterum cum in chordæ diuisione aliæ consonantiæ musicæ nō appareant, quàm quæ enumeratæ sunt, manifestantur quæ, & quot sint familiaritates inter sidera: sunt enim octo, Coniunctio, Sextilis, Quintilis, Quadratus, Trinus, Sesquiquadratus, Biquintilis, & Oppositio.

At verò, quæ familiaritates conuenientes, & quæ hostiles censeantur iuxta communem aliorum sententiam *Ptolemæus* paucis exponit, omnes enim à bonis, & felicibus Astris felices esse existimat; ab infelicibus infelices: putantur enim, inquit *Ptolemæus*, scilicet hominum est opinio. Et ratio de differentia sexus signorum leuis est, nam oppositio censetur hostilior ipso quadrato, attamen in ea non accidit discrimen sexus. Propterea *cap. de moderanda Vita*, Quadratum, trinum, & oppositionem æquè felices recenset à beneficis *Ptolemæus* *Impediuntur enim*, inquit, *si beneficorum aliquis radium eò eiaculatur tetragonum, aut trigonum, aut oppositum sanè ad ipsam partem interemptricem &c.* sic paulò superius hexagonum à maleficis infelicem esse, & luminarium coniunctionem dixerat. Non nego tamen magis, vel minus conuenientiæ reperiri inter familiaritates; & si felicitatem omnem ab Astrorum bonitate potissimum pendere censeam. Radij sextilis, quintilis, trigoni, & biquintilis felices sunt, coniunctio ☌ indifferens, qui supersunt infausti: & possunt naturæ radiorum ex ipsis consonantijs musicis cognosci.

Post familiaritates inter signa per figuras *Ptolemæus* duas alias tradit species familiaritatum in Zodiaco, priorem quæ fit inter imperantia, & obedientia loca; posteriorem quæ inter potestate paria: Quas familiaritates Auctores vocant Antiscia, & primaria quæ potestate paria sunt, cætera secundaria: & putant secundaria esse debilioris virtutis actiuæ, quam primaria, cum tamen *Ptolemeus* priori loco exponat Antiscia secundaria, deinde primaria, & nullum innuat inter has familiaritates discrimen.

Hæc autem Antiscia esse veras, & efficaces familiaritates præter *Ptolemæi* auctoritatem, patet ex eo, quod partes Zodiaci, quæ sunt in Antiscio ad inuicē efficiunt parem quantitatem influxus ab Ortu ad Occasum; paritas autem est vera proportio, sicut ferè coniunctionis. Sed de Antiscijs, quæ magis propriè parallelos ego voco, quia prout ipse *Ptolemæus* docet, fiunt in parallelis ad Æquatorem, latiùs agam ex professo suis locis.

Et quemadmodum paralleli in Zodiaco, qui sunt de genere familiaritatum in eodem Zodiaco, & in toto etiam Primo Mobile, re, & ratione videntur efficaces; ego reperi efficaces etiam esse parallelos in Mundo, qui sunt de genere familiaritatum in eodem Mundo; de quibus item suis locis ratione, & experimentis grauissimis, & plurimis latè demonstrabo.

An propter latitudinem Astra fiant magis, Vel minus familiaria.

CAPVT TERTIVM.

QVod est, an vniuersaliter seruanda sit latitudo Siderum in supputationibus familiaritatum. Quæ difficultas cum ad plura pertineat, nimirum ad irradiationes, ad coniunctiones, ad Antiscia &c. Separatim suis locis, & capitibus de singulis disputabo. Nunc de latitudine quæstionem in genere propono, eo quod non desint Auctores, qui affirmauerint ita negligendam esse latitudinem Astrorum, vt vbicumq; reperiantur Astra, & quamcunq; latitudinem habeant, semper tamen, & vbiq; non corpora Siderum agant, sed eorum vice loca longitudinis eorum sumpta in Ecliptica producant effectus illorum Siderum; adeout omnis virtus actiua, quæ sit in Cælo non inhæreat corporibus Astrorum, sed locis longitudinis eorumdem in Ecliptica sumptis: & nihil prorsus conferat magnitudini, vel paruitati effectuum, & eorum temporibus, si Sidera sint ab Ecliptica magis, vel minus deuia; siue ab inuicem magis, vel minus remota, vel propinqua.

Probant suam sententiam primo auctoritate *Ptolemæi*, qui tradens Directionis Methodum *cap. de Vitæ spacio lib. 3.* ibiq; subdens exempla, nunquam meminit latitudinis; sed neq; videtur vnquam alibui meminisse: quo cunctis pateat negligendam omninò esse vbiq; & semper latitudinem Stellarum.

Secundò Sidera quò magis Eclipticæ propinqua sunt, eò experimur esse semper in agendo validiora; ergo signum est, quod omnis eorum virtus actiua inhæreat in ipsa Ecliptica.

Tertiò Ecliptica est via Solis; sed Sol est maximè actiuus, & sua luce calefacit nimis ipsam Eclipticam, calor autem est omnium qualitatum maximè actiuus, ergo Ecliptica infert Astris maiorẽ vim actiuam. His atq; similibus arguunt.

Quæstio hæc potest quatuor modis proponi. *Primò*, an Astra propter maiorem, vel minorem latitudinem euadant magis, vel minus robusta in se ipsis vt sic, ad agendum quacumq; familiaritate. *Secundò*, an Astra cum latitudinem habent, nullam habeant actiuitatem in proprio corpore; sed omnis eorum vis actiua resideat in Ecliptica. *Tertiò* in congressu, & oppositione ad inuicem, an validius agant sibi inuicem, vel debilius ob maiorem, vel minorem distantiam ex latitudine emergentem. *Quartò*, an latitudo his tribus modis spectanda sit tantum in Natali, & in quotidianis Astrorum familiaritatibus, an etiam in Directionibus.

Prima Conclusio. Astra ex maiori propinquitate ad lineam Eclipticæ non fiunt magis robusta vt sic, simpliciter loquendo, ad actionem.

Explicatur: puto quod Astra non accipiant maiores vires in se ipsis ad agendum, à maiori propinquitate ad Eclipticam; & pono particulam *vt sic* (simpliciter loquendo) quia deinde volo, vt quæ Sidera in mutuis communctionibus præten-

præſentialibus cum Sole minorem habent latitudinem non ſolùm fortiùs agant in ipſa coniunctione; ſed inſuper vt efficiant cum Sole cæteras familiaritates, imò, & ipſas familiaritates ſemper efficaciores, quò cominùs iunguntur: Similiter, quæ Sidera magis è propinquo iunguntur Lunæ, & cæteris, ratione ſimilis latitudinis eorum, vt fortiùs tunc agant, & efficiant familiaritates ſemper efficaciores &c. Ex hoc autem non ſequitur, vt ratione maioris propinquitatis ad Eclipticam, fiant robuſtiora in ſe ipſis ſimpliciter loquendo.

Probatur primò. Sidera habent determinatas in perpetuum vires in ſe ipſis ratione magnitudinis corporis, intenſionis lucis, & aliarum proprietatum, quas non permutant ratione maioris, vel minoris propinquitatis ad Eclipticã; alterant ſolummodo ratione differentiæ ſitus ad Cardines, ad Solem, ad Signa, & cæteras ſtellas; vt habet *Ptolemæus cap. vltimo lib.* 1. *Ex quibus omnibus*, ita concludens ex dictis per totum librum, *euidens ſit habitudines Stellarum ſingularum exquirendas cùm ex propria natura earum, tùm de natura ſigni in quo fuerint, nec non ſecundum configurationem ad Solem, & Cardines, quæ cuncta à nobis indicata ſunt*, Vbi *Ptolemæus* non meminit propinquitatis ad Eclipticam, quam tanti faciunt Profeſſores.

Secundò. Maior vis Aſtri in eo eſt, quod maiorem intenſionem, ſeu qualitatis vlteriorem gradum producere poſſit: ſed hanc vim Aſtra nõ poſſunt accipere ab Ecliptica, ergo &c. Maior propoſitio negari non poteſt; nam cum Aſtra non agant in res inferiores niſi medijs qualitatibus, vt priori libro dictũ eſt, omnis eorum maior vis actiua, maiorem graduum intenſionem qualitatum virtute continet: Minor verò propoſitio probatur: Singulorum Aſtrorum actiuitas eſt in determinato genere, & ſpecie qualitatis; ſed Ecliptica indifferens eſt ad omnes qualitates; immo ex ſuppoſitione aduerſariorum calorem tantum videtur intendere poſſe; quia Ecliptica eſt via Solis, Sol autem calefacit; adeout Stellarum frigidarum vires citò comprimere deberet.

Dices. Ecliptica auget vires non qualitates in Aſtris. *Reſpondeo*, in Aſtris non poſſe ſeparari vires ab ipſis qualitatibus: ſicut neq; in rebus inferioribus ſeparari poſſunt gradus intenſionales ab ipſis qualitatibus: nam magis actiua qualitas eſt maior intenſione qualitas, ſeu maior entitas eiuſdem qualitatis: neq; enim augeri poteſt vis actiua abſq; augmento entitatis qualitatis à qua pẽdet actio, & maior actio, cum vis actiua nil aliud ſit niſi ipſa qualitas, & maior vis, maior qualitas; neq; enim diſtinguunt Philoſophi effectum formalem ab ipſa forma, vt eſſe calidum non differt à calore, ita neq; magis calidum à maiori calore; quare non poteſt Ecliptica augere vires Aſtrorum, & non augere eorum qnalitates actiuas: cum verò non augeat qualitates actiuas, conſequens eſt vt neque vires augere poſſit.

Secunda Concluſio. Et quamuis Aſtra reciperent maiores vires à propinquitate Eclipticæ; attamen non proinde ſequitur vt ipſa Sidera nullam habeant actiuitatem in ſe ipſis, itaut omnis eorum virtus actiua reſideat in ipſa linea Eclipticæ. Hoc inquam non ſequitur.

Probatur. Si Siderum omn s virtus actiua reſidet in Ecliptica, ergo nihil eſt

virtutis

virtutis in Astris; nam qui non seruant Siderum latitudinem sic censent: Quod si aliquam actiuitatem acquirant Astra à propinquitate Eclipticæ, sicut ipsi assumunt ad probandam suam sententiam; ergo non omnis eorum actiuitatis est in Ecliptica; hæc enim implicant, non comprobant. Item si omnis Astrorum actiuitatis sit in Ecliptica, frustra Sidera deperdunt, vel acquirunt vires; si nihil agunt: nam si Ecliptica agit omninò, & Astra nihil prorsus; iam Astra nullam habent vim agendi, vel frustra acquirunt.

Tertia Conclusio. Ecliptica non potest agere vice Stellarum. *Probatur primò*. Ecliptica non habet lumen, ergo non potest agere: nam quod nō habet lumen non habet virtutem actiuam; est enim lumen virtus instrumentalis Astrorum, vt superiori libro demonstratum est; igitur si Ecliptica non potest agere simpliciter, neq; vice Stellarum poterit.

Secundò. Ecliptica non continet in se naturas Stellarum, ergo non potest earum vice agere: nemo enim dat, quod non habet, ergo si Ecliptica non habet in se virtutem Siderum, qua producunt effectus sibi connaturales, non poterit attingere effectus naturæ eorum.

Quarta Conclusio. Stellæ habent suam actiuitatem in se ipsis ab Ecliptica omninò independentem. Ad probationem.

Sciendum est *primò*. Omne Sidus habere circa se aream circularem, seu sphæram quamdam actiuitatis, sicut habent omnes causæ inferiores; vt ignis non calefacit, nisi circa se ipsum in definito gyro; & *Ptolemæus* definit erraticis, Veneri octo graduum, Ioui duodecim &c. intra quem ambitum si sit aliud Sidus, recipit actionem eius per coniunctionem præsentialem, extra non recipit; nisi alijs familiaritatibus.

Secundò. Virtutem actiuam intra hanc sphæram successiuè deficere viribus, prout elongantur partes à Sidere; nam alias non esset ratio cur in infinitum extendi non posset hæc virtus, nisi successiuè deficeret: propterea nullum agens in parte subiecti distante potest producere eumdem gradum qualitatis, quem penes se habet, ergo minoris sunt semper gradus partes.

Tertiò. Nihil in Cælo esse actiuum, nisi luceat; nam si partes, quæ non lucent sint actiuæ, iam causæ in Cælo infinitæ, & incognitæ; & cessat omnis ratio agendi Stellarum lucentium, quia iam non agunt per lumen, si quæ non luminosa agunt: sicut alibi dictum est. Nunc

Probatur conclusio primò. Actiuitatis Astrorum est lumen, sed lumen est in Astris, ergo &c. Maior propositio patet lib. 1. & conceditur etiam ab omnibus Philosophis; itaut hæc conclusio negari non possit.

Secundò probatur. Aut actiuitas, cuius quærimus residentiam, reperitur tàm in Stella, quam in gradu Eclipticæ suæ longitudinis; itaut non prius tempore, aut natura in vno, quam in altero; & quæ in vno est nullo modo pendeat ab altero, tanquam effectus a sua causa: aut secundò, quæ inest Sideri posterior est, & tempore, & natura, nimirum dependens sicut effectus a causa: aut tertiò, è contra, hæc virtus in Astris prior est tanquam causa à qua dependeat virtus, quæ est in Ecliptica. Si primum, actiuitas vnius non pendet ab altero; & sic pari modo, & semper inuenitur in Astris, & non augetur, neq; minuitur;

adeout

adeout Astra semper à se ipsis siue habeant latitudinem, siue non, possint agere, & producere suos effectus; & pari quoq; modo, & semper hæc actiuitas est in omnibus, & singulis Eclipticæ partibus; itaut non magis sit in longitudine ipsorum Siderum, quam in reliquis omnibus Eclipticæ partibus, quia non pendet ab Astris: ergo quælibet pars Eclipticæ, & vbicumq; reperiantur poterunt etiam longè absentis Astris, eorum vices gerere, & producere effectus naturæ eorumdem Siderum: quod inconueniens est: & est impossibile; plurima quoq; sequerentur absurda. Secundum dici non potest primò, quia frustra fieret, vt dixi, iam enim Astra ex suppositione non agunt: secundò, vis actiua Siderum in lumine est, & cum lumine, sed lumen Astra non habent ab Ecliptica. Tertiò si sint coniuncta duo Sidera contrariæ naturæ puta Iuppiter, & Saturnus nõ apparet ratio, qua eadem Eclipticæ pars possit communicare duas naturas inter se contrarias; cum non possit neq; in se ipsa continere; deinde non apparet ratio quare Ecliptica communicet bonitatem Ioui magis, quam Saturno, aut è contra. Si dicas tertium itaut hæc actiuitas sit in Astris primò, & principaliter tanquam in causa, deinde in Ecliptica tãquam effectus pendens ab Astris; sequitur quòd, cum actiuitas causæ intra sphæram successiuè deficiat viribus, prout elongatur à centro, & causa; hæc actiuitas præstantior sit in Astris tanquam in causa, & ab Ecliptica iàm amplius pendere non poterit, cum efficiens causa pendere non possit à suo effectu apud naturales: Deinde si actiuitas sit in Astris, poterunt Astra à se ipsis in res inferiores agere: Similiter si actiuitatem hanc communicant Eclipticæ, iam poterunt etiam rebus sublunaribus communicare. Tandem hæc actiuitas in Astris si sit prior, idest vt causa, quam sit in Ecliptica, vbi sit effectus; Sidera siue errantia, siue fixa, quæ maiorem latitudinem habent, siue quæ magis distant ab Ecliptica, quam sit sphæra suæ actiuitatis, non poterunt communicare hanc actiuitatem ad Eclipticam: Tunc verò hæc Sidera si nequeant à se suos producere effectus, neq; per Eclipticam poterunt: & sic huiusmodi Sidera nullam habebunt virtutem actiuam neque in se, neq; in Ecliptica: Quod absurdum.

Sciendum est, Coniunctionem in Zodiaco, quæ vocatur præsentialis, non esse efficacem, nisi ea, qua coniunguntur vt se se tangant mutuo, vel per corpus, vel per virtutem sphæræ actiuitatis. Cum autem coniunctiones contingant infinitis penè modis, hinc multiplex varietas efficaciæ coniunctionum.

Coniunctio alia præsentialis est, alia virtualis; præsentialis fit quando Stellæ se tangunt ad inuicem vel corpore, vel præsentiali sphæra actiuitatis, quam scilicet habent præsentem circa corpus: quam *Ptolemæus* in Venere definit 8. partium, in Ioue 12. &c. tunc enim Stellæ sunt ad inuicem præsentes, & se tangunt inuicem præsentiali actiuitate, & hanc voco coniunctionem in Zodiaco, seu in Primo Mobili: Vt in figura octaua Sol est præsentialiter iunctus cum Mercurio; quia Mercurius est intra sphæram Solis, & Sol intra sphæram Mercurij.

Coniunctio virtualis fit quando plura Sidera consident in aliquo circulo cardinum, vel situs positionis; & hanc voco coniunctionem in Mundo, quæ est de genere familiaritatum in Mundo; vt in figura eadem Sol est iunctus Stellis fixis

T Australi,

Australi, & boreali, quia est cum ipsis in eodem cardine, siue illa linea sit alius quiuis circulus positionis.

Coniunctio præsentialis alia est platica per longum, & latum: alia est partilis per longum tantum; alia est partilis per longum, & latum. Coniunctio partilis per longum, & latum, quæ dicitur etiam corporalis, & concentrica; fit quando corpore se tangunt Sidera, quia per longum, & latum simul sunt, & est omnium familiaritatum efficacissima.

Coniunctio præsentialis partilis per longum tantum, fit quando Sidera sunt in eadem exquisita longitudine, cum aliquali per latum distantia, non vltra tamen, quàm sit eorum sphæra actiuitatis: nam si per latum vltra hanc sphæram distent nulla omnino est coniunctio, sed prorsus inefficax: Vt in eadem figura Sol, & ☿ iuncti sunt per longum exquisitè, & partiliter, distant verò per latum, sed non vltra sphæram suæ actiuitatis; qua nisi se tangerent non essent coniuncti præsentialiter.

Coniunctio præsentialis platica per longum, & latum fit inter ea Sidera, quæ se tangunt quidem sphæra actiuitatis; distant tamen, & differunt ab inuicem in longum, & latum. Vt in figura eadem ☉, & ☽ distant per longum, & latum, se se tamen inuicem tangunt sphæra suæ actiuitatis.

Coniunctio platica duplex est, alia mutua; alia partialis: mutua est qua se tangunt inuicem mutuò Sidera cum sphæra suæ actiuitatis. Partialis est, qua vnum tantum Sidus tangit, & non tangitur ab illo; itaut Sidus, quod tangit agat in quod tangitur; sed ab illo, quod tangitur minimè repatiatur. Hoc autem accidit ratione maioris latitudinis sphæræ Sideris tangentis, qua ambit aliud Sidus, quod habet minorem sphæram, quam sit distantia ab inuicem. Vt in eadem figura ☉, & ☿ mutuo iuncti sunt vt dictum est. ☽, & ☿ iuncti sunt partialiter; nam ☽ tangit Mercurium, & illum ambit sua sphæra actiuitatis; sed ☿ non tangit Lunam, quia eius sphæra actiuitatis non peruenit vsq; ad Lunam, & sic ☽ agit in Mercurium, sed non repatitur ab illo.

Quod si fiat tantummodò contactus sphæræ vnius cum sphera alterius, nulla est coniunctio. Vt ibidem sphæra Iouis, & Mercurij se tangunt ad inuicem, nec propterea iuncti sunt ♃, & ☿ opus est enim vt sphæra tangat corpus Astri, & non sufficit vt pars sphæræ tangat partem sphæræ alterius.

Cæterùm in his coniunctionibus contingere possunt plures modi, vt quod fiant simul partilis præsentialis, & virtualis: platica, & virtualis &c. quæ nunc non sunt ad rem nostram. Sunt verò causæ maioris, & minoris efficaciæ coniunctionis Astrorum.

Dices. Ad coniunctionis efficaciam non est necessarius contactus sphæræ actiuitatis vnius Astri ad corpus alterius: nam duo planetę si sint in eadem longitudine, secundum omnium Professorum sententiam, coniuncti sunt, etiam si distent in latum ab inuicem magis, quam sit eorum sphæra actiuitatis: vt si distet Venus a Sole per latum 9. partibus, sint tamen ambo in eadem longitudine; aut Luna sit ibidem in eadem longitudine cum latitudine 5. partium contraria, Venus, & Luna non se tangunt sphæra suæ actiuitatis, attamen nihilominus coniunctæ sunt. *Respondeo*, quod in his casibus non fit coniunctio præsentialis;

ſentialis; & hæc Sidera non ſunt coniuncta in Zodiaco, ſeu in Primo Mobili: Quocirca fixæ, quæ magis diſtant ab erraticis in latum, quam ſit earum ſphæra actiuitatis non habent cum ipſis coniunctionem præſentialem: & hoc abſolutè loquendo, & omnino abſq; vlla exceptione vt alibi demonſtratum eſt: Nam ſphæra actiuitatis fit in orbem, & pari modo ſe habet in latum, ſicut in longũ; in longum autem non cenſentur coniuncta Sidera niſi ſe tangant hac ſphæra, ergo neq; per latum: & hæc ratio validiſſima eſt.

Quinta Concluſio. Aſtra maiores, vel minores vires non acquirunt ad agendum in coniunctionibus præſentialibus ex maiori, vel minori ad inuicem propinquitate: ſed magis, vel minus actu agunt ad inuicem.

Patet hæc concluſio: nam ſæpius dixi, quod actio cauſæ naturalis quatenus procedit a cauſa ſequitur modum eſſendi eius: & à cauſis quidem neceſſarijs procedit ſemper ſecundum omnes vires cauſarum, quia ex parte ſui, & in actu primo ſemper ſunt paratæ agere, & agere ſecundum omnes vires: attamen non poſſunt agere, niſi datis requiſitis omnibus, vt ſubiecto actionis, & applicatione; tunc autem neceſſario agunt. Ex maiori verò, vel minori applicatione, & propinquitate ſubiecti, quia tangunt maiori, vel minori virtute, fit vt magis, vel minus agant. Hoc autem euidens eſt in omni agente neceſſario, vt in igne, qui ſecundum maiorem, vel minorem propinquitatem ſubiecti, magis, vel minus illud calefacit, non acquirit in ſe ipſo aliquam maiorem vim ex maiori propinquitate; aut deperdit ex ſeparatione a ſubiecto paſſibili, ſed vel actu agit, vel ceſſat ab agendo in illud ſubiectum. Eſt enim applicatio conditio neceſſariò requiſita vt agens agere poſſit.

Sexta Concluſio. Duo, vel plura Sidera, & ſiue fixa, ſiue errantia, quæ licet ſint in eadem exquiſita longitudine in Zodiaco; ſi magis diſtent ab inuicem per latum, quam ſit eorum ſphæra actiuitatis, non debent cenſeri coniuncta in Zodiaco, quæ eſt coniunctio præſentialis. Vt in figura eadem Venus eſt in eadem longitudine Mercurij in Zodiaco: cumq; habeat latitudinis Auſtralis partes 9. & Mercurius borealis partes 5. diſtant ab inuicem magis, quam ſit eorum ſphæra actiuitatis; ideoq; coniuncti non ſunt in Zodiaco, ideſt coniunctione præſentiali.

Patet hæc concluſio ex principijs Phyſicis: nam cauſæ naturales agere non poſſunt extra ſphæram ſuæ actiuitatis; iam enim extra hanc ſphæram non habent potentiam agendi, ergo non poſſunt agere: Quod ſi poſſint agere, ergo ſphæra actiuitatis maior eſt: Quod ſi ſphæra actiuitatis eorum ſit determinata, prout neceſſe eſt in omnibus cauſis naturalibus; iam extra ipſam agere non poſſunt.

Ex hac concluſione ſequitur *primò*, quod Stellæ fixæ non debent poni ſecundum longitudinem circa Planetas, ſi per latum magis diſtent ab illis, quam ſit eorum ſphæra virtutis actiuæ.

Secundò. Sequitur, quod neq; debent poni in angulis figuræ ſecundum longitudinem, ſiue ſint fixæ, ſiue Planetæ, ſi magis diceſſerint ab angulis, quam ſit earum ſphæra virtutis actiuæ. Vt in figura tertia Venus longius diceſſit, & diſtat a puncto, in, qui ortus, quam ſit eius ſphæra actiuitatis; quare Venus

T 2 non

non est amplius in cardine quamuis ibidem sit gradus Eclipticæ longitudinis eius.

Quod verò, & *Ptolemæus* hoc idem senserit, ex pluribus eius locis fit euidens, vt *lib. 2. cap. de tempore euentuum Eclipsium. Deq; alijs vnà exorientibus Stellis effectionis designatricibus*, & cap. de genere euentuum ibid. *Stellarum autem inerrantium assumetur ea, quæ loco defectiuo quasi assederit in prætereunte, Cardine, primùm splendore secundum nouem modos demonstratos in prima compositionis nostræ libris: deinde vel cum cardine Orientis, vel medij Cæli sequente locum defectiuum reperta*, & lib. 3. cap. de forma, & tēperatura corporis. *Amplius ex coascendentium ipsis fixarum Stellarum delineatione &c.* Quibus locis respectum habet ad corpora Stellarum, & ad earum coascendentiam in effectibus ipsis, & non ad loca longitudinis: atq; pluribus etiam alijs locis *Ptolemæus* ostendit hanc habuisse sententiam.

Septima Conclusio. Non debet fieri discrimen inter familiaritates Astrorum Natalis, & familiaritates eorumdem quocumq; alio modo, & motu, si motus sit realis, & naturalis, acquisitus: vt per Directionem, Progressum, Ingressum, Transitum, & quotidiano motu.

Probatur. Non apparet ratio disparitatis; quia Siderum familiaritates, siue sint in Natali, siue fiant postea per Directionem, siue quocumq; alio reali motu, eamdem vbiq; & semper obtinent naturam, & virtutem actiuam; & omnibus vbiq; & semper conuenit definitio familiaritatis, si eodem modo, & distantia fiant: itaut nòn appareat ratio disparitatis, quare magis sint actiuæ familiaritates acquisitæ per Directionem, quam quæ extant in Natali, & fiunt cæteris quibuscumq; alijs motibus; & quare diuersis modis accipi debeant in diuersis motibus, si Astra eadem sunt; & familiaritates sunt proportionales distantiæ, & influentiæ, quæ eædem sunt semper, & vbiq; Non debet ergo fieri discrimen inter familiaritates Astrorum eiusdem generis, & speciei, eo quia fiant diuersis temporibus, & momentis.

Argolus Tomo 1. suarum Ephemeridum cap. 16. & 29. è contra ratione, & *Ptolemæi* auctoritate persuadere nititur suam sententiam, cuius hæc sunt verba.

Stellæ in figura constituendæ sunt seruata solùm longitudine, latitudine neglecta, non secus, ac collocantur planetæ latitudine qualibet præditti; quamuis in earum Directionibus latitudo omninò magnifacienda; nam vt alibi diximus cum duo in huiusmodi facultate potissimum quærantur, qualitas influxus Stellarum, & tempus influxus earumdem: Qualitas autem influxum hauriatur, tùm à natura Stellarum, tùm à relatione, quam habent ad Zodiaci gradum, sub quo esse dicuntur: Tempus verò ab aduentu ipsarum Stellarum ad cardines Regionum Mundi, & ad luminaria; hinc est, quod Ptolemæus cap. 10. lib. 4. Quadripart. *explicans qualitates influxuum Capitis Medusæ cum Martis, & Solis irradiatione considerat illam Stellam in signo mutilato, & imperfectæ figuræ, nimirum in Tauro, vbi secundum longitudinem reperitur, non autem in signis, cum quibus oritur, vel occidit in diuersis Mundi Regionibus; alioquin cum Romæ oriatur cum signo Tiscium, quod non est mutilatum, absurdum maximum sequeretur, eamdem Stellam, non solum in pluribus Zodiaci partibus, verum etiam in diuersis signis,*

diuersisq;

diuersoq; influxu prædictis, eamdem influxus qualitatem posse retinere: præter quam quod aspectus Solis ad eamdem euanesceret &c. Hactenus ille.

Proponit *Argolus* initio suam sententiam simplici conclusione: ad quam probandam distinguit tempus influxus à qualitate eiusdem influxus: Puto ego, quod nomine qualitatis influxus *Argolus* voluerit prædispositionem potentialē ad talem in specie effectum; omne enim, quod fit prius existit potentia, iuxta Philosophum; vt non omne corpus aptum est comburi, aut fieri animatum, aut dealbari &c. quæ dispositio præordinatur in Natali;& sic cōcedo separari tempus effectus à tempore suæ præordinationis, seu dispositionis potentialis. Attamen separari omninò non potest modus, quo Sidera præordinant hanc dispositionem, à modo, quo attingunt in tempore ipsum effectum: neutrum enim præstare possunt absq; applicatione, seu familiaritate: & diuersæ seu genere, seu specie assignari non possunt familiaritates, quibus præordinant dispositiones in potentia a familiaritatibus, quibus in tempore producunt ipsū effectum: Et ratio est: Vtrobiq; agunt Astra, ergo necesse est vt vtrobiq; sint applicata, & familiaria: adeoq; vt quibus modis censentur Astra esse applicata, & familiaria per Directionem; eisdem quoq; modis censeantur esse applicata, & familiaria in Natali: neq; enim diuersæ sunt familiaritates efficaces Astrorum acquisitæ per Directionem à familiaritatibus Natalis.

Subinfert *Argolus*. Qualitatem influxum hauriri tum a natura Stellarum &c. At quæso quarum nam Stellarum? profectò quæ familiares sint, & applicatæ. Ceterùm non omnes Stellæ applicatæ dici possunt per longitudinem, vt supra dixi; nam quæ maiorem habent latitudinem, siue distantiam per latus, quam sit area suæ actiuitatis, non attingunt sua virtute actiua, vbi prædispositionem potentialem inferre possint: & ita, cum non sint applicatæ, & familiares huiusmodi Stellæ, nullum influxum exhibere possunt, siue in Natali, siue per Directionem, siue quocunq; alio motu: Quod si constanter velit *Argolus*, vt Astra fixa cuiusuis latitudinis sint, nihilominus tamen in Natali applicata censeantur esse gradibus Eclipticæ suæ longitudinis, & agere, siue influere in Prorogatores ibi repertos; quæro, cur non etiam alijs temporibus, & motibus applicata sint Prorogatoribus pari modo repertis in eisdem locis longitudinis illorum Siderum? Mihi sanè non videtur adesse disparitatis ratio.

Hoc autem est fundamentū, quo *Ptolemæus* præ cæteris, quæ seruare possunt in occusu lætali, exposuit diuersam latitudinem, de qua sæpius dictum est. *Ac si corpus*, inquit, *vtrumq; dum est, & quod occursat, & quod moderatur, non sit eadem vtriusque latitudo*, qua diuersitate corpora Stellarum se se inuicem deuitant, vt ad inuicem familiaritas sit semper leuior, quò inter earum corpora maior per latus distantia; quæ demum si sit maior, quam eorum ambitus virtutis, coniunctio in Zodiaco, seu secundum longitudinem, quam prætentialem voco, nulla prorsus euadit, & inefficax, vt dictum est.

Dicet Argolus Ptolemæi locus allegatus probat seruandam latitudinem in Directione, non in Natali, in qua nunquam meminit latitudinis Ptolemæus. *Respondeo* Ptolemæum *cap. de his qui non nutriuntur* ita spectare latitudinem in Natali, vt à congressibus, & oppositionibus partilibus luminarium cum maleficis,

lesicis, secundum longitudinem quidem, sed maximè secundum etiam latitudinem, colligat vehementiam influxus ad statim perdendum puerũ *ali*, inquit, *non poterit quod natum est*.

Addit *Argolus* afferens *Ptolemæi* auctoritatem de Medusa; circa quam falsum est, quod Ptolemæus dum explicat qualitates influxuum Medusæ cum Marte, & Sole, consideret illam Stellam in signo mutilato, & imperfecto, nimirum in Tauro: Nam *Ptolemæi* verba sunt hæc. *In mutilatis, & imperfectis signis, aut circa Caput Medusæ* aut, inquit; qua particula separat signa mutilata, & imperfecta à Capitæ Medusæ, quia diuersa sunt, quamuis eamdem ob mutilationem influendi naturam habeant. Quare signa mutilata ex se habent hunc influxum; & Caput Medusæ item independenter a signis habet; adeout non sit opus, vt hæc duo simul concurrant, & signum mutilatum, & Medusa; sed potest Medusa cum quouis signo etiam benefico congressa; & quoduis signum mutilatũ absq; Medusa membrorum incisionem influere, si Vitæ moderatoribus infeliciter se habentibus in Natali per Directionem misceantur. Influunt autem solummodo quando per Directionem applicata, & familiaria sunt: nam a loco Directionis *Ptolemæus* venatur semper qualitatem, seu speciem effectuum præordinatur verò felicitas, vel infelicitas ab Astris in Natali ex familiaritatibus felicium, vel infelicium Siderum erga luminaria, & Vitæ Moderatores. Etenim aliud est quærere speciem effectus aliud felicitatem, vel infelicitatem eiusdem: Planetæ hoc efficiunt: fixæ adducunt speciem effectus: vide quæ tradit *Ptolemæus* de Eclipsibus: non enim omnes quibus Vitæ prorogatio extinguitur iuxta Medusam, vel aliam mutilatam imaginem, seu mutilatum signum ceduntur membris: neq; omnibus, qui tali morte decedunt extinguitur Vitæ prorogatio iuxta Medusam, vel mutilatum signum, aut imaginem: Quippe violentia præordinatur primum ab erraticis; specificatur postea cuius generis violentiæ per fixas, siue signa sint, siue reliquæ imagines, quæ circumstant; ideoq; *Ptolemæus*, ait *circa Caput Medusæ*.

Neq; enim Eclipticæ signa recipiunt suas proprietates verbi gratia pulchritudinem humanitatem, aut esse quadrupedia, terrestria, mutila, volantia, vocem habentia, atq; huiusmodi, quæ tangit *Ptolemæus cap. de signis masculinis, & fæmininis*, & diffusè non est prosequutus subdens. *Quorum omnium cum in ipsis figuris causæ manifestæ sint*: à figuris externis; sed habent a propria natura. Et quod ita senserit *Ptolemæus* patet ex locis supra citatis, tum etiam *ex 2. lib. cap. de genere euentuum*, vbi sic habet: *nam quibus signis forma humana tribuitur, siue in signifero, idest Ecliptica intelligatur, siue per reliquos inerrantes appareant, significant &c.* & *lib. 3. de forma, & temperatura corp. particulatim verò humanæ quidem figuræ constellationes, tàm intra signiferum, quàm extra &c.* vbi separat naturam signorũ Zodiaci à natura reliquarum Stellarum inerrantium, itaut ab inuicem secundũ suas proprietates, & agendi modum non pendeant; sed vnumquodque in se ipso suas proprietates habeat.

Ex dictis hucusq; constat Stellas non acquirere maiores, vel minores vires in se ipsis a maiori, vel minori latitudine, siue propinquitate, & distantia ab Ecliptica, siue ab inuicem in coniunctionibus prætentualibus, sed tantum ex

maiori

maiori ad inuicem propinquitate actu magis, vel minus tunc ad inuicem agere.

Secundò constat. Sidera habere suas vires agendi in se ipsis,& independenter ab Ecliptica; itaut non sit opus, sed neq; fieri possit, vt Ecliptica vices earum in operando gerat.

Tertiò. Stellas, quæcunq; sint, siue fixæ, siue erraticæ propter minorem, vel maiorem latitudinem fieri magis, vel minus familiares, tàm ad inuicem, quàm erga cardines: qua maiori, vel minori familiaritate, maiores, vel minores vires ad agendum actu tunc temporis, siue ad inuicem, siue ad cardines acquirere.

Quartò. Erraticas quamuis calamo describantur in Angulis, & domibus figuræ secundum suam vniuscuiusq; longitudinem; attamen si propter magnam latitudinem corpore excesserint ab Angulis eousq;, vt iam amplius area suæ virtutis actiuæ non tangant lineam Angulorum, vel domorum, non debere censeri esse in ipsis Angulis, & domibus: immo neq; deberent adscribi in Angulis, ne decipiant nos in iudicando.

Quintò. Eo minus censeri angulares fixas maximæ latitudinis contra *Argoli* sententiam: sed neq; debere describi, & reponi in Angulis, domibus,& circa reliquas erraticas, nisi secundum coascendentiam, idest congressum in eodem circulo situs.

Sextò. Non esse diuersas familiaritates, quibus Astra influunt in Natali, à familiaritatibus, quibus influunt per Directionem, & quotidianis lationibus; sed esse eiusdem generis, & naturæ, & pari modo, & distantia in longum, & latum se habere in omnibus locis, & lationibus.

Septimò tandem, fixas posse congredi cum omnibus signis indifferenter, & non sequi signorum naturam in suis influxibus, sed suam vniuscuiusq; & sibi propriam.

De Siderum familiaritatibus in Zodiaco.

CAPVT QVARTVM.

OPportunum duxi, tum ad rerum intimam veritatem intelligendam, tum ad meam sententiam facilius, & plenius explicandam, definitiones rerum tradere; sic enim manifestantur cōceptus, qui fiunt in mente de ipsis rebus, qui fundamenta sunt, in quibus inhæret totius Philosophiæ structura.

Prima Conclusio; Familiaritas Astrorum efficax in Signifero, est proportionalis Astrorum influxus per motum localem, quo præsentialem coniunctionem efficere possunt. Quæ definitio deducitur ex descriptione familiaritatis in vniuersum exposita *cap. 9. lib. 1.* Dico, quod sit influxus, eo quod Astra perpetuo, & iugiter semper influant, & perpetuam habeant erga nos familiaritatem, sed non semper efficacem; quare adijcio, [proportionalis] vt efficacem reddam:

ex

ex proportione enim emanat efficacia influendi Siderum. Dico [per motum localem] nam Astra si cessarent à motu, dicunt communiter Philosphi, quod cessaret etiam omnis rerum generatio; quia per motum circumducunt lumen suum, instrumentalem causam. Addo tandem [quo præsentialem coniunctionem efficere possunt;] *primò*, vt excludam motum vniuersalem ab Ortu ad Meridiem, & Occasum, quo non efficiunt præsentialem coniunctionem, quam motu solum in Zodiaco efficiunt, quo etiam cæteras ibidem familiaritates: *Secundò*, vt ostendam inter illa Sidera, quæ præsentialiter non coniunguntur, non fieri reliquas in Zodiaco familiaritates vt alibi probatum est. Superest modos inquirere, quibus familiaritates in longum, & latum sint accipiendæ: Auctores enim plurimi etiam grauissimi dissentiunt inter se, & nullius hucusq; mihi placet opinio.

Regiomontanus, qui radios putat esse circulos, quorum centrum sit Astrũ intuens, ex latitudine Stellarum ponit eam differentiam, quæ prouenit à circulis minoribus, quorum centrum remouetur à circulo maiori, in quo sumuntur radij; nam quo magis centrum minoris circuli elongatur à maiori, eo maior accidit differentia distantiæ in loco sectionis, idest minor semper pars accipitur de circulo maiori. Vt in figura Tertia Sol, Mercurius, & Venus eandẽ longitudinem habent constituti in grad. o. ♓. ☉ est in Ecliptica; ☿ habet latititudinis borealis partes 5. ♀ habet partes 9. Sextilis Solis ambit sextam partem circuli Eclipticæ, incidens in part. o. signi ♉, quia sextilis centrum, idest Sol est in Ecliptica: sextilis ☿ minorem partem ambit Eclipticæ, quia distat ☿ ab Ecliptica: sextilis ♀ minorem adhuc partem, quia vtroq; remotior est Venus ab Ecliptica: nam successiuè minorem semper partem Eclipticæ Sidera sextili radio sumunt, quò successiuè magis remouentur ab ea vsq; tandem ad nihilum.

Auctores tamen qui sententiã hanc sequuntur negligere solent in Directionibus differentiam, quæ prouenit, vtpote modicam; nisi propter Siderum magnam latitudinem notabilis fiat. Ad supputationem verò sumunt puncta sectionis radiorum in Ecliptica, & secundum eorumdem punctorum Declinanationem, Ascensionem rectam, vel obliquam, ducunt illa puncta, tanquam si essent Sidera, ad Moderatores indifferenter quiq; sint, & habeant latitudinẽ, vel non habeant. Vt in figura Tertia, siue dirigant Solem, siue Lunam, siue horoscopum ad sextiles ☿ ♀, & ☉ accipiunt tres illas sectiones Eclipticæ in locis, n, vbi intersecant Eclipticam hi tres sextiles; & secundum eorum punctorum Ascensionem obliquam subducunt Ascensionem obliquam Solis Lunę, vel horoscopi ab Ascensione illorum punctorum Eclipticæ, vniuscuiusq; secundum ordinem.

Blanchinus cuius sententiam comprobat *Argolus Tom. 1. suarum Ephem. cap. 16.* à puncto Sideris ad punctum in longum, & latum oppositum ducit circulũ, qui in quadratis secat Eclipticam; inde colligit in trigonis, & sextilibus obseruandam semissem latitudinis intuentis Astri. Vt in figura, quam affert *Argolus ibidem*, Venus habet latitudinis partes 4. ducto circulo ad diametrum, ait *Blanchinus*, quadrati fiunt in Ecliptica, sextiles, & trigoni cum dimidia latitu-

dine

dine Veneris, in hexagonis eiusdem denominationis, in trigonis diuersæ.

Contrariæ sunt hæ sententiæ, nam prior vult radios esse circulos in latum, quorum centrum sit Astrum intuens, radium autem quemlibet sumi in puncto horum circulorum quo intersecant Eclipticam: Altera vult esse circulos in lōgum transeuntes per corpora Siderum intuentium; radios autem sumi tanquā puncta super hos circulos in distantijs consuetis, idest pro ✶ 60. part. &c. Vt in figura Tertia circulus radiorum Martis *iuxta Blanchinum* est linea, o, t, ♂, & sextilis Martis in puncto, o, Circulus sextilis Martis ex *Monteregio* est, q, r, s,

Et sanè inter hæc differentia maxima est, & magnam etiam referunt differentiam in supputationibus. Opinio *Monteregij* partim vera est.; nam vt infra dicam, radij ducuntur quidem in orbem, sed non prius, neq; alibi, quàm cum transeunt, & nisi vbi transeunt Astra radios recipientia, dum mouentur. *Blanchini* quoq; sententia quoad radiorum quantitatem, & distantiam in longum à Sidere intuente verum asserit, in quo conuenit cum *Monteregio*; fictum tamen, falsumq; assumit circulum; in quo contineantur radij, vt extra ipsum non habeant virtutem aliquam: Quare reprobatur *Blanchini* sententia.

Primò. Circulus ductus a corpore Sideris ad diametrum super Eclipticam inclinatus mera hominum libertate fingitur: Quadrati quidem radij *secundum Regiomontanum* nihil differentiæ adducunt in Ecliptica; circuli enim magni æqualiter se secant semper in quacunq; sint ad inuicem obliquitate; vnde quadrati à pluribus Astris quamcunq; diuersam latitudinem habeant, si sint in eadē longitudine, nihilominus secant semper Eclipticam in eodem loco: At non sequitur inde, vt quadrati non extendantur in latera extra Eclipticam quoq;: Circulus inquam ille realis non est, non descriptus à motu, vel lumine Siderū: Nam si dicant describi per puncta radij quadrati, & oppositi; Quadrati in Ecliptica describuntur ab hoc circulo, ergo non possunt esse causa huius circuli; quia essent simul causa, & effectus: similiter & circulus esset causa, & effectus si describeretur à punctis, & puncta describerentur à circulo: quod absurdū est apud omnes Philosophos: quia causa prior est semper suo effectu, & effectus posterior saltem secundum naturam, seu dependentiam: nihil verò potest esse prius, & posterius in eodem genere: ideoq; nihil potest esse effectus, & causa secundum idem. Quocirca *Blanchini* demonstratio, & circulus, quem exhibet *Argolus loco cit.* nihil probat; sed est falsus, immò impossibilis.

Secundò reprobatur validissimè hæc sententia. Radij Siderum sextiles, & trigoni, vel ita mittuntur ad puncta mediæ latitudinis, idest super assumptum à *Blanchino* circulum, vt extra non exeant, & ad cætera loca in latum non perueniant, vel itaut exeant, & perueniant ad omne latus: si hoc secundum, circulus inanis est, effectu vacuus, & frustra positus, & assumptus: si primum, sequitur, vt radij Siderum non tangant Prorogatores, qui per aliam viam progrediuntur quocunq; motu, siue quotidiano, siue Directionis &c. atq; si non tangunt neq; in ipsos agant: nam nisi virtus actiua agentis tangat passum, non potest agens in ipsum passum agere. Vt in figura Tertia Mars habens latitudinis 8. partes mittit suum sextilem ad punctum, o, idest cum latitudine 4. par-

tium:

tium: si virtus actiua huius sextilis Martis non exit ab illo puncto, o, sed omninò continetur in ipso puncto circuli *Blanchini* latitudinis Martis, itaut extra hunc circulum agere non possit hic sextilis Martis; sequitur necessariò, quod Sol, quando transit circa hoc punctum, etiam in minori distantia, quæ fit in eadem longitudine, idest in puncto, r, non recipiat radium sextilem Martis, neq; afficiatur ab illo; sed quod deuitet illum, & euadat incolumis: Consequens negari non potest; nam virtus sextilis non reperitur extra circulum latitudinis, & extra punctum, o, ex suppositione.

Dicunt ipsi; quando punctum, o, sextilis Martis peruenerit ad situm positionis Prorogatoris, sicut est ibi in figura, in qua punctum, o, est in circulo positionis Solis, tunc sextilis agit in Prorogatorem, & Mars in Solem: quia virtus radij diffunditur per totum circulum positionis. Attentè ingeniose Lector, & perspice contradictionem: Diffunditur, inquiunt ipsi, virtus radij per totum circulum positionis, & non exit à puncto indiuisibili, o, vt possit peruenire ad punctum, r, distantiæ 4. graduum: peruenit vsq; ad Solem, qui distat 8. gradibus ferè, & non exit ab illo puncto, o, vt peruenire possit ad distantiam 4. graduum: quæ sanè ad inuicem pugnant.

Deinde non est in Cælo quidpiam, quod possit diffundere suam virtutem, nisi lumine præditum sit, vt ostendi *lib.* 1. virtus enim actiua Siderum in lumine est, & diffusio est actio; quare neq; diffundere possunt virtutem actiuam nisi lumen habeant loci Cæli quicunq;

Tantem radij sunt proportionales distantiæ inter duo entia realia, tanquam efficientem, & subiectum; & inter duos terminos reales; ergo radij fieri debent inter Astra à corpore ad corpus, ergo etiam inter ipsa corpora sumendæ sunt distantiæ; & non inter puncta ad libitum ficta, & assumpta; vt ab ipsis punctis dicatur postea diffundi virtus radij per circulum positionis vsque ad ipsa corpora Siderum.

Dicet fortasse Blanchinus. Punctum sectionis radij in assumpto circulo latitudinis radiorum, se habet tanquam si esset Sidus, nam sicut Sidera habent suam sphæram actiuitatis maiorem, vel minorem secundum lucis, & corporis magnitudinem, quam *Ptolemæus* Veneri definit 8. partium &c. Sic, & puncta radiorum in dicto circulo habent suam sphæram actiuitatis parem intuētis Astri. Et probare posset: nam per longitudinem quot partes tribuuntur Astris, totidē etiam dantur eorum radijs: ergo etiam per latera in orbem debent dari ipsis radijs.

Respondeo primò. Circa corpus Astri fit orbis actiuitatis ratione luminis, quod in Astro reperitur, & Sidus ponitur in centro: sed in distantijs non est lumen, neq; radius, nisi adsit quippiam tanquam subiectum, erga quod permutet distantiam Sidus: Et ideo fixæ ad inuicem non habent radios, quia ad inuicem non mouentur, vt efficiant influxum, & distantias à coniunctione ad oppositionem, & è contra: Sed in radijs medijs Astra efficiunt à parte anteriori, & posteriori per longum determinatam virtutem, ratione applicationis, & separationis, quas efficiunt Sidera se se intuentia: in latum verò radij proijciuntur pari virtute, & robore ad omnem partem laterum, per quam transeunt alia

Sidera:

Sidera quocunq; enim perlatus loco transeant in sexta parte distantiæ; vbiq; semper inueniunt sextilem, & eiusdem roboris; quia semper distant sexta parte circuli. *Secundo Respondeo*. Nouum systema affertur, & à doctrina, & assertionibus iam expositis alienum: quo dato, in primis non est ratio quare centrū huius sphæræ virtutis radij poni debeat magis in assumpto circulo, quam in Ecliptica, aut alibi: Deinde, si sphæra hæc tanta est, quanta sphæra Sideris intuentis, iam non poterit diffundi per totum circulum positionis; quia definita est, & modica, & non maior, quam sit circa Sidus intuens. Quod si dicant esse maiorem; itaut diffundi possit per totum circulum positionis, redit prima ratio in contrarium, quod scilicet assumptus circulus sit inanis, quia virtus diffunditur per totum circulum positionis, & non continetur tantum in assumpto circulo latitudinis. Quod verò neq; possit esse maior, quam sit sphæra Sideris intuētis patet: Nam circa Sidus deficit successiuè vsq; ad nihilum, quod nemo aliter docuit vnquam; ergo etiam in loco radij deficere debet pari modo vsq; ad nihilum; talis est enim effectus, qualis causa: Radij sunt effectus Astrorum; ergo non potest esse maior, vel latior virtus in radijs, quam sit in Astris: Igitur si sphæra actiuitatis radij successiuè deficit eo modo, quo circa Sidus intuens, Sol in figura Tertia maiorem actiuitatem patietur à sextili Martis quando erit in puncto, r, longitudinis radij sextilis Martis, quia ibi proximior centro actiuitatis, quam si sit in eodem circulo positionis cum eodem centro radij, vt ostendit figura, quia in circulo positionis remotior est Sol à cētro sphæræ actiuitatis sextilis Martis.

Monteregij verò sententia ex qua parte sit vera, qua falsa patebit ex dicendis.

Secunda Conclusio. Coniunctio præsentialis, idest in Zodiaco, seu in Primo Mobili est contactus sphæræ actiuitatis vnius Astri ad corpus alterius, quoquouersum fiat, siue per longum, siue per latum: itaut extra hanc sphæram non fiat coniunctio in Zodiaco.

Probatur. Sphæra actiuitatis Astrorum per longum est determinata; ergo est etiam determinata per latum: ergo si per latum sint extra hanc sphæram, non se tangunt, neq; sunt coniuncta in Zodiaco.

Tertia Conclusio. Radij Siderum in Zodiaco sunt proportionales post præsentialem coniunctionem influxus Astrorum. Per hanc definitionem volo *primùm*: Quod Astra non fiant ad agendum familiaria radijs in Zodiaco, nisi ibidem etiam coniungantur per præsentiam, iuxta ea, quæ alibi dicta sunt.

Secundò, volo, quod proportionaliter influant; proportione enim fiunt efficaces perpetui Siderum influxus, vt supra dixi.

Tertiò, vt radij non sint circuli ad modum *Regiomontani*, nam nullum habent esse, priusquam ad proportionales influxus, seu distantias ab inuicem perueniant Astra: & nullo loco consistant radij ante proportionalem Astrorum distantiam, seu influxum.

Quartò, vt neq; definiantur super circulum latitudinis à *Blanchino* fictum propter eamdem rationem; nam prius quam Sidera proportionaliter influant, seu ab inuicem distent nullo loco consistunt radij, neq; super aliquem circulum; & quando etiam distant, & influunt proportionaliter, non proijciuntur radij,

V 2 nisi

nisi mutuò à corpore vnius Astri ad corpus alterius, & è contra, absq; vlla per latum differentia; quia influxus emergit ex distantia Siderum, & proportionalis à proportionali: itaut per latum nullo modo, vel augeatur, vel minuatur, vel deficiat virtus radij; & non possint assignari loca, ad quæ non possint peruenire omnes vires radiorum, dummodò per illa loca transeant Astra, quæ aliquando præsentialem coniunctionem egerunt.

Quintò, volo, vt talis efficaciæ sint radij, qualis fuit coniunctio: nam qui dat esse apud Philosophos, dat etiam esse quale &c. sed radiorum esse pendet à coniunctione, ergo etiam quoad robur. Quare si coniunctio fuit robusta, robustæ fiunt reliquæ familiaritates, si imbecillis, imbecilles.

Quarta Conclusio. Sidera post præsentialem congressum tunc proportionalē exhibent influxum, quando deambulando per suam viam quæq; sit, distant ab inuicem proportionali distantia longitudinis, sumendo distantiam à corpore vnius ad corpus alterius. Vt in figura Tertia, Luna dum mouetur deambulans per viam suæ latitudinis; quæ est linea ☽ o b n, cum peruenerit ad punctum, n, est in sextili Veneris, deinde Mercurij, & Solis. Similiter Sol in punctis, n, Eclipticæ reperit sextiles ♀, & ☿.

Ex quibus omnibus patet, quæ sit differentia inter meam sententiam, & duas superiores: Ego enim tunc temporis, & ibi locorum definio radios, quando, & vbi transeunt Astra dum proportionaliter ab inuicem distant, & non prius, aut posterius, neq; alibi. Quocirca meus sextilis, & trinus sunt semper cum distantijs *Regiomontani*, *& Blanchini*; sed non prius, neq; alio modo, aut alibi in latum, quam cum transeunt, & vbi transeunt Sidera in distantijs radiorum. Vt in figura Tertia, distantia sextilis Martis in longum est circulus ille *Regiomontani*, q r s, sed non est ibi realis hic circulus, neq; sextilis, nisi quando transeunt ibi Sidera: vt Luna dum mouetur per suam viam in puncto, o, inuenit, & recipit sextilem Martis, immò, & remittit inde sextilem ad Martem. Sol recipit sextilem Martis, & etiam remittit a puncto, r, Venus à puncto, x, Mercurius a puncto, 8, &c.

Tandem radios quadratos ego accipio similiter per viam, quàm ambulant Sidera, idest a corpore vnius, ad corpus alterius; & non tantum in Ecliptica, vt censuit *Blanchinus*, sed quacunq; transeunt Astra. Vt in eadem figura Luna efficit quadratum cum Saturno in puncto, z, Sol in puncto, &, &c.

Ad hæc respondent omnes cum quibus sermonem habui de hac quæstione, quorum plurimi herclè ingenio clarissimi: fieri quidem posse, vt quotidiano motu, & circuitu Sidera non aliter inter se perficiant configurationes, quàm sicut ego doceo: attamen in Directionibus, de quibus ex professo nunc loquor, rem non ita se habere: Nam cum certum sit, quippe innumerabilibus experimentis exploratum, & apud omnes receptum, Moderatorem immobilem permanere in situ positionis; fieri non potest, vt moueatur; quod si non mouetur cessat omnis doctrina superius tradita: nam si non mouetur, non efficit influxū per motum, neq; de consequenti radios &c. Et rebus sic se habentibus, opus est definire radios in aliquo puncto, vt eos per Directionem deducere possimus ad situm Prorogatoris. Contra hæc adest quidem *Septima conclusio cap. 3. exposita*.

sita. Attamen quoniam Aduersarij proponunt quæstionem quo modo Prorogator consistat immobilis in locis Natalis, hac de re ex professo dictum est *cap. 17. lib. 1.*

An radij in Signifero intermedij permutent suam naturam breui; vel longa Ascensione &c.

CAPVT QVINTVM.

Communis Auctorum omnium sententia superioribus sæculis fuit semper, & viget adhuc, radios in Zodiaco ex eo, quod signa breuiter, vel tardè ascendant, vel descendant in finitoribus obliquis permutare naturam suam ex felici in infelicem, & è contra.

Probant primò, suam sententiam auctoritate *Ptolemæi*, qui *cap. de Moderanda Vita*, agens de occursibus interimentibus, præ cæteris ponit trigonum in breui signorum ascensione, & sextilem in longa: & quod magis refert, vult *Ptolemæus*, quod proprius Aphetæ radius huiusmodi sextilis, vel trigoni vim habeat hostilem: nam si a maleficis dixisset fieri hostilem, prout dixerat in æquipollentijs; respondere poteramus fieri hostilem ratione malitiæ Stellarũ intuentium, sicut eodem capite docet felicem esse quadratum,& oppositionem felicium Stellarum; adeoq; vt seruare possint in occursu interimentium *impediuntur enim,inquit, si in benefici alicuius terminum incidunt,& si beneficorum aliquis radium eo eiaculatur tetragonum, aut trigonum, aut oppositum sanè ad ipsam partem interemptricem &c.* Dicit autem, quod proprius Aphetæ radius interficit,itaut velit hostilitatem esse in ipso radio, non tantum in proijciente;quod si fit etiam in proijciente eo fit hostilior;hæc sunt *Ptolemæi* verba,*Tetragonus quoq;Aphetico loci radius interimit, si est iuxta Signorum consecutionem: Aliquando è signis longarũ ascensionum item deprauatus hexagonus, quemadmodum è signis breuium ascensionum trigonus*.

Secundò probant. Sextilis longarum ascensionum, & trigonus breuium fiunt Quadrati in Æquatore; & nisi semper, sæpè tamen exquisiti: ergo permutant hi radij suam naturam breui, & longa ascensione.

Tandem afferunt multitudinem experientiarum ex diuersis grauissimis Auctoribus: Quicquid tamen sentiant alij: sit

Prima Conclusio. Radiorum natura in suis generibus permutari non potest ex felici in infelicem, & è contra.

Explicatur. Duo genera radiorum necessariò dari vnum in Signifero, alterum in Mundo alibi demonstraui: nunc dico, quod radij in Signifero non permutent suam naturam ex eo,quod diuersam habitudinem acquirant à situ Mundi, idest ab ascendentibus, & descendentibus breuibus, vel longis. Similiter, quod neq; radij in Mundo permutent suam naturam ex eo, quod comprehendant Signa, & distantias in Zodiaco aliorum Radiorum, vt si inter Ortum, & Culmen

Culmen intercipiantur quatuor ſigna, vel duo tantum; nam cardines recti ad obliquos ſemper ſunt in quadrato ad inuicem: adeoq; vt vnum genus radiorum non poſſit permutare naturam radiorum alterius generis. Igitur cenſeo, quod radij vtroq; genere agant ſecundum ſuam, & propriam vniuſcuiuſq; naturam, quæ in ſingulis immutabilis eſt.

Probatur primò. Radiorum natura pendet ex proportione influxus, ſed proportiones permutari non poſſunt, ergo neq; natura radiorum: Maior patet; nam eſſe, & eſſe quale ab eadem cauſa pendet apud Phyſicos: ſed à proportione influxus pendet eſſe radiorum, ergo etiam eorum qualitas naturæ. Minor verò illa probatur: proportiones ſi permutentur iam non ſunt amplius proportionales; deinde ſumuntur à diſtantijs acquiſitis per motum ſui generis radiorũ, quæ alterari non poſſunt: nam Quadrati diſtantia, verbi gratia in Zodiaco eſt ſemper quarta pars illius; ergo non poteſt eſſe tertia, vel ſexta; ſimiliter ſexta, & tertia non poteſt eſſe quarta: hoc enim implicat omnino. Rurſus *Ptolemæus* dicit quadratum eſſe hoſtilem ratione diuerſitatis ſexus ſignorum; trinum, & ſextilem felices ratione ſimilitudinis ſexus: ſexum autem non permutant ſigna; ergo neq; naturam radiorum. Tandem Aſtra ex radijs in primo mobile influunt determinatam ſecundum gradum intenſionem qualitatis, quã non poſſunt alterare,& permutare ex breui,vel longa aſcenſione: ſemper enim intenſio illa eadem perſeuerat: vt ex quadrato fit intenſio media, quæ ſemper media eſt, ſiue breuiter, ſiue tardè aſcendant, vel deſcendant ſigna.

Sciendum hic eſt *primò*, quod Signa dum erga Mundum circumferuntur, & ab vno ad alium cardinem eunt, ſucceſſiuè gradatim prout ſucceſſiuè mouentur permutant ſuam aſcenſionem ſi ſit recta ad breuem, vel longam; & hanc rurſus ad rectam: hanc, inquam, mutationem efficiunt gradatim,& ſucceſſiuè, non ſtatim, & in momento: quare ſequitur, vt ſigna in omnibus, & ſingulis ſitibus poſitionum varient ſuas aſcenſiones, & deſcenſiones: Cum verò circuli poſitionum infiniti aſſignari poſſint, infinitis modis variant ſuas aſcenſiones, & deſcenſiones. Huius autem rei cauſa eſt diuerſa obliquitas circulorum poſitionis: nam à circulo recto ad finitorem, maiorem ſemper obliquitatem habent ſinguli poſitionum circuli: & è contra à finitore ad circulum rectum: quare idem ſignum variat ſemper ſuas aſcenſiones, vel deſcenſiones, prout ad diuerſos ſitus poſitionum aſcenderit, vel deſcenderit. Hæc eſt vna cauſa varietatis aſcenſionis Zodiaci.

Secundò ſciendum, quod ſigna dum circa Mundum progrediuntur, prout ſucceſſiuè tranſiliunt, & prætereunt iuxta vnum quemuis circulum poſitionis,ipſa Signa ibidem permutant ſuam aſcenſionem,vel deſcenſionem à breui ad mediã, & longam,& è contra ſigna oppoſita. Huius autem ſecundæ varietatis aſcenſus Signorum cauſa eſt obliquitas Zodiaci, Signorum, & eorum partium.

Tertiò: In ipſo circulo recto Signa notabiliter variant ſuas aſcenſiones, vt ex tabulis aſcenſionum rectarum conſtat: nam tardius aſcendunt Signa circa Tropicos, quam Signa circa Æquinoctia: & hoc accidit duplici de cauſa. *Primò*, quia circa Tropicos gradus Eclipticæ maiores ſunt, quam gradus circuli Tropici, cum enim ſit circulus minor; eius quoq; gradus minores eſſe neceſſe eſt;

Quare

Quare ad transitum vnius gradus circuli Tropici, seu etiam Æquatoris, (simul enim progrediuntur) nō transit integer gradus Eclipticæ, quia maior est. Secūdò, quia circa Æquinoctia Ecliptica non efficit angulos rectos cum circulo recto: & sequitur vt plures gradus ibidem transeant Eclipticæ, quam Æquinoctialis, qui efficit angulos rectos cum circulo recto: ergo breuioris sunt ascensionis gradus Signorum circa Æquinoctia, quam gradus ipsius circuli Æquinoctialis.

Ex his colligitur *primò* quatuor esse euidentissimas causas, propter quas Signa permutant breuitatem, & longitudinem ascensionis, & descensionis: *Secundò*, quod harum quatuor causarum quælibet efficiat iugiter semper diuersam ascensionem; quamuis reuertatur eadem diuersitas singulis diebus, & eodem quoque modo fiat, & ordine. Quibus benè cognitis

Probatur secundò mea conclusio. Si velocitas, vel tarditas ascensus, & descensus Signorum sit causa permutationis naturæ radiorum, sequitur, vt natura radiorum tot modis suscipiat varietatem, quot sunt causæ velocitatis, & tarditatis ascensus, & descensus Signorum; immò, quod quælibet causa infinitam varietatem afferat: sed causæ sunt quatuor, ergo quatuor infinitis modis permutari potest natura radiorum; hoc autem inconueniens est maximum: nam emergit confusio magna, propter quam iam amplius discernere non possimus, quæ sit vera radiorum natura.

Tertiò. Si radij permutant naturam ex diuersitate ascensus, & descensus Signorum, iam de natura radiorum non poterit dari scientia: sed hoc est inconueniens ergo, & antecedens: minor probatur; nam nisi nouerimus naturam radiorum, tota ruit de Sideribus scientia: sequela verò maioris probatur: De rebus perpetuò mutabilibus nō datur scientia: nam multiplicantur principia, & causæ infinitæ, de quibus inter nos, qui intellectum habemus finitum, nulla scientia: ergo si quatuor infinitis modis perpetuo mutatur natura radiorum, nullo modo fiet possibile, vt eorum naturam nouerimus.

Quartò. Sequeretur necessarium esse dari in radijs naturam mediam, quæ neq; felix, neq; infelix esset; quod nemo vnquam dixit, nec *Ptolemæus* id docuit; sed & videtur prorsus inuerisimile; nam non esset efficax siue boni, siue mali: probatur sequela: Felix, & infelix natura contrariæ sunt ad inuicem; ergo si radij transeunt ex vna in alteram, per mediū vtiq; transire debent; ergo deberet dari natura media in radijs: Immò amplius, opus esset dari maiorem, & minorem felicitatem, & infelicitatem, pro maiori, & minori à medio indifferenti, & à terminis contrarijs distantia.

Dices. Radij transeunt de felici ad infelicem in instanti indiuisibili. *Respondeo*, hoc esse falsum omninò; nam breuitas, & tarditas ascensus, quæ censentur causæ alterationis naturæ radiorum, successiuè gradatim, & paulatim augentur, & minuuntur, vt probatum est, & patet etiam ex tabulis ascensionum, & Domorum.

Quintò. Alia item duo sequuntur absurda ingentia: Quod scilicet Trinus, & sextilis, vel cessarent esse efficaces familiaritates; vel quod duo Trigoni, & duo sextiles deberent dari efficaces in eodem semicirculo eiusdem generis, quæ nunquam asseruit Professorum aliquis: Probatur sequela: in longis ascensio-

nibus,

nibus, dicunt aduersarij, quod sextilis euadit quadratus; quadratus fit Trinus; ergo subsequens Trinus, vel non erit radius efficax, vel duo Trigoni efficaces ponendi sunt in eodem genere eiusdem naturæ, & diuersæ proportionis, & dimensionis: In breuibus autem ascensionibus Trinus fit quadratus, quadratus euadit sextilis;ergo subsequens sextilis vel non erit radius efficax,vel duo sextiles efficaces in eodem genere sunt ponendi: atq; ita,vel duo tantum radij inter medij accipiuntur ex vno semicirculo, seu maxima portione, in breui, & longa ascensione, & descensione: aut certè debent dari duo Trigoni, & duo sextiles in eodem genere, & eodem semicirculo, cum diuersis proportionalibus distantijs: Pròh, quæ confusio, mi lector!

Sextò. Radij Siderum in Zodiaco vniuersales,& similes sunt toti Orbi terrarum; sed habitantibus sub Zonis torrida, & frigidis non fit hæc permutatio naturæ radiorum, ergo neq; in alijs Zonis fieri potest: minor patet,quia Zona torrida cum habeat finitorem rectum, aut parum obliquum, parum etiam alterantur ibi ascensiones, & descensiones. Similiter in Zonis frigidis vbi Signa non oriuntur, neq; occidunt, non fit diuersitas ascensus, & descensus. Maior verò illa negari non potest; nam in hoc differunt familiaritates in Primo Mobile à familiaritatibus in Mundo, quia illæ cum habeant centrum in centro terræ, ad quod ex communi sententia radij omnes concurrunt, nulla fit propterea diuersitas in Siderum familiaritatibus sub Zodiaco respectu diuersarum terræ regionum, nisi fors propter parallaxim, quæ tamen emergens differentia insensibilis est, & negligitur: At familiaritates in Mundo sequuntur habitudinem finitorum, & ideo particulares sunt cuiq; Regioni. Ergo familiaritates in Zodiaco cum sint vniuersales toti Orbi terræ, & in maiori illius parte non fiat hæc radiorum alteratio, & mutatio; sequitur, vt neq; in alijs regionibus fieri possit.

Dices. Sæpe accidit,vt inter duo Sidera fiat vnus radius felix, in Zodiaco, & simul alter radius infaustus in Mundo: ergo non erit discernere naturam, & effectum illorum radiorum; aut certè erit media,& composita. *Respondeo*,esse duos radios diuersæ naturæ, qui separatim suos producent effectus; attamen non nego, quod possint ad inuicem misceri, & temperari in ipsis rebus inferioribus. Cum verò accidat,vt his duobus motibus in locis radiorum concurrant alia Sidera diuersæ naturæ, sæpe fit,vt virtus vnius radij prorsus succumbat, & præualeat alter radius.

Ad textum *Ptolemæi* supra allatum respondi in Thesibus: vult enim ibi *Ptolemæus*,vt proprius Aphetæ sextilis, & Trigonus in Zodiaco, si in Mundo connertantur in quadratos ratione breuitatis, vel tarditatis ascensus, & descensus Signorum, sint hostiles: tunc autem sunt quadrati in Mundo: & hanc ob rationem apposuit particulam *aliquando*, quam præmittere non debuerat si naturæ ordine semper hi radij permutent suam naturam ex breuitate, & tarditate ascensionis Signorum.

De-

De Parallelis in Primo Mobile.

CAPVT SEXTVM.

INter Signa post figuras *Ptolemæus* duas alias tradit species familiaritatum; priorem, quæ fit inter imperantia, & obedientia loca; posteriorem, quæ fit inter potestate paria: Antiscia vocari solent a Professoribus,& primaria quidem,quæ inter potestate paria; secũdaria quæ inter imperantia, & obedientia; atq; minoris hæc roboris, & efficaciæ censentur, maioris illa; cum tamen *Ptolemæus* priori loco exponat Antiscia secundaria, posteriori primaria, & nullum inijciat inter has familiaritates discrimen. Parallelos ego voco has familiaritates, non eo tantum quia *Ptolemæus* dixerit, quod hæ partes eosdem describant parallelos,sed etiam quia censeo has familiaritates fieri in ipsis circulis parallelis; in quibus pares fiunt ipsæ virtutes actiuæ Siderum, in quo stat efficacia parallelorum, vt ostendam.

De imperantibus, & obedientibus locis *Ptolemæus incipiens*, hæc habet. *Dicuntur etiam imperantia, & obedientia loca, quæ æquali spacio distant, seu ab vno, siue ab vtroq; punctorum æquinoctialium.* Quibus verbis tradit modum expeditum, quo primum cognoscere possimus familiaritates, quæ fiunt inter imperantia, & obedientia loca, quas Professores, vt dixi, vocant Antiscia secundaria: Et sanè Methodus hæc *Ptolemæi* perfacilis est; nã quæ partes æquedistant à punctis Æquinoctialibus in Antiscio secundario sunt ad inuicem: quæ verò imperent, & quæ obediant, & qua ratione, docet vltimo loco. *Cæterum, quæ in Æstiua sphæræ parte sunt imperantia, quæ in Hiberna obedientia nominantur, quia Sol illic dies, hic verò noctes incipit producere,* in alia versione legitur, *quia Sol in Æstiua parte longiores facit dies, in Hiberna verò breuiores.* Partes ergo Zodiaci, quæ sunt declinationis Borealis imperant ijs, quæ sunt declinationis Australis, & hæ obediunt illis.

Huius familiaritatis tres affert rationes *Ptolemæus*; Prima est, *eo quod æquali spacio temporis peroriantur,* quæ ratio tripliciter intelligi potest. *Primò,*eo quod Signa, quæ imperant eodem spacio temporis oriantur, quo oriuntur ea, quæ obediunt: vt quanto tempore oritur Signum Tauri,tanto oritur Signum Aquarij, quanto Signum Arietis, tanto Signum Piscium &c. Quod ex tabulis ascensionum Signorum, & Domorum euidentissimum est.

Secundò. Potest intelligi *Ptolemæi* ratio, itaut quælibet pars imperans eodẽ spacio temporis oriatur in quocumq; circulo; (quod idem est, ac moueri; nam oriri in rigore sumptum, est ire ad circulum ortus, ire autem, moueri est;) quo oritur, hoc est mouetur pars obediens,& è contra: etenim velocissimè omnium partium Cæli mouentur, quæ in Æquinoctiali circulo sunt; deinde semper tardius mouentur partes, quæ ab Æquinoctiali magis recedunt, & appropinquant Polis Mundi; adeout tandem perueniatur ad puncta Polorum omninò immobilia: Illæ igitur partes, quæ æquedistant a punctis Æquinoctialibus

 pari,

pari, & eadem velocitate, & temporis spacio oriuntur in quolibet circulo positionis, & mouentur: propter quam motus, & ortus paritatem *Ptolemaeus* familiares ad inuicem esse has partes opinatus est.

Tertiò, & vltimò, potest intelligi nomine ortus mora illa, quam ducunt Zodiaci partes in Emisphęrijs: nam quarta Mundi ab Ortu ad Meridiem Orientalis est, & huic opposita, quæ ab Occasu ad Imum est, ex *Ptolemaeo cap. de Coniugio:* igitur Stellæ in vtroq; finitore, tam Ortus, quàm Occasus ad quartas orientales eunt; quod est oriri; nàm oriri nil aliud est, quàm ad partes, & regiones orientales ire: Cum verò quanto tempore ducunt morã supra terram partes Boreales imperantes, tantam etiam partes Australes obedientes ducant moram sub terra, pari spacio temporis oriuntur vtræq; idest vadunt ad quartas orientales; quia pari spacio tẽporis partes Boreales feruntur ab Ortu ad Occasum, & Meridionales ab Occasu ad Ortum sub terra: Quod verissimum est; & hanc censeo præ cæteris optimam rationem; Sic enim æqualis est quantitas diurna locorum Borealium quantitati nocturnæ Australium.

Secunda Ptolemæi ratio est, quia eosdem describant parallelos, eosdem, inquit, non eumdem; quia describere eumdem parallelum pertinet ad Antiscia primaria, quæ sub vno, & eodem circulo ad Æquatorem parallelo fiunt, vt dicam: ijdem vero sunt paralleli si duo circuli pari spacio distent hinc inde ab Æquatore; quia sunt circuli magnitudine pares, vti sunt circuli Tropicorum, quorum vnus non est maior altero.

Tertia Ptolemæi ratio est. Cæterum quæ in Æstiua sphæræ parte sunt imperantia, quæ in Hiberna obedientia nominantur, quia Sol illic dies, hic vero noctes incipit producere, siue dixerit, *quia Sol in Æstiua parte longiores facit dies, in Hiberna verò breuiores:* vbi dum probat familiaritatem, ostendit etiam causam imperij, & obedientiæ: nam conditio mascula, quod calida, & diurna imperium post Creatoris decretum, & sententiam in Paradiso voluptatis editam, naturæ ordine sortiri videtur supra fæmininam, quia hæc humida, & nocturna; nam calor maximæ actiuitatis est, humiditas segnior, & merè passiua: hanc ob rationem ad Regnum aptiores, & promptiores sunt qui luminaria in masculinis Signis habent, & in Angulis; quia euadunt calidiores, & promptiores: Igitur quæ partes Boreales eamdem diei durationem efficiunt, quantam partes quædam Australes durationem noctis; habent ad inuicem hanc familiaritatem Antiscij secundarij; & Boreales imperant, Australes obediunt: Nam, & si vice versa tantam noctem efficiant Boreales partes, quantũ diem Australes; semper tamen partes Boreales maiorem efficiunt diem, quam noctem; & de consequenti maiorem semper diem, quam sit dies partium Australium; vt de se manifestum est. In figura Quinta Mars est in principio ♊. Iuppiter in fine ♋; æquè distantia punctis Æquinoctialibus: circulus parallelus Iouis à puncto, g, ad punctum, h, est æqualis circulo parallelo Martis, qui est à puncto, d, ad punctum, i, & quia hi circuli æquales sunt magnitudine, æquali etiam spacio temporis mouentur, & oriuntur hæc Sidera in quauis Mundi quarta, & positione. Mars imperat, Iuppiter obedit, quia arcus semidiurnus Martis à puncto, e, finitoris ad punctum, d, Meridiani est æqualis arcui seminocturno Iouis à puncto, f, finitoris ad punctum, g, mediæ noctis. Post

Post hæc *Ptolemæus* ad intuentia, & eiusdem potentiæ loca tradenda descendit dicens. *Præterea dicimus eiusdem potentiæ esse eas partes, quæ æquali spacio distant, seu ab vno, seu ab vtroq; puncto Tropico*. Quemadmodum de imperantibus, & obedientibus primò proposuerat modum facilem reperiendi; ita etiam nunc de intuentibus docet methodum, qua expeditè cognoscere possimus intuentes: sunt autem, quæ æquedistant à punctis Tropicis. Sequitur *Ptolemæus, fit enim per illas partes Sole meante, vt spacia dierum, ac noctium, itemq; horarum sibi respondeant*, hæc est prima ratio huius familiaritatis ducta à posteriori, idest ab effectu: & sunt temporum spacia æqualia, quæ pariter fiunt ab illis partibus se se intuentibus. Pro spacijs horarum duo possunt accipi, arcus diurni, & nocturni in horis, & minutis; & horaria tempora. Addidit demum *Ptolemæus itaq; & intueri se se mutuo illa Signa dicuntur cùm ob eas causas, quas exposuimus, tum quod vtraque, & ab ijsdem partibus horizontis, & oriuntur, & occidunt*. Ratio hæc, & si nouissimo loco posita, primaria tamen, & principalis est, & à priori ducta; & ponitur pro causa, & fundamento supradictarum rationum; eo enim, quod partes oriuntur, & occidunt in ijsdem finitoris punctis; efficiunt æqualia tempora, & spacia dierum, noctium, &c.

At, quæso Lector benigne, quid aliud est oriri, & occidere in ijsdem finitoris punctis, nisi eamdem habere differentiam ascensionalem, eamdem declinationem, & eumdem describere parallelum ad Æquatorem? Etenim sanè Sidera quæcumq; sint, & vbicumq; reperiantur, si describant eumdem parallelum, itaut habeant eamdem Declinationem, & numero, & nomine: illa oriuntur quoq; & occidunt in ijsdem finitoris punctis; efficiunt æquales horas, æqualia horaria tempora, æquales dies, æquales noctes, idest æqualem quantitatem arcus diurni, & nocturni, quid plura? progrediuntur motu vniuersali per eamdem viam, quia describunt eumdem parallelum; nam æquè distant à Polis Mundi, & ab Æquinoctiali circulo.

Cæterum *Ptolemæus* tradens has duas species familiaritatum, scilicet obedientium, & imperantium; & pariter valentium locorum; cum inter loca Zodiaci per longum tantum demonstrauerit, & docuerit; & mentionem non fecerit de partibus laterum Signiferi; magna propterea surrexit difficultas, atq; inter Doctores dissensio, an scilicet, & quo modo partes latitudinis respiciant se se inuicem, tum etiam ipsam Eclipticam. Etenim sunt qui censent seruandam non esse latitudinem, quamuis Astra intuentia latitudinem habeant: sed locum intuitus Antiscij putant esse semper in Ecliptica: Nituntur *Ptolemæi* rationibus, quibus non meminit latitudinis, neq; Siderum, sed tantum partium Eclipticæ; itaut velit omnem virtutem Antisciorum pendere à partibus Eclipticæ; vnde sequitur, vt Astra non intueantur nisi dependenter à gradibus suæ longitudinis, quamuis latitudinem habeant. Et deducunt, quod hæ familiaritates fiant tantum inter partes; non inter Sidera; communicari postmodum ipsis Astris non nisi dependenter ab illis partibus: Antiscia verò esse proprietates partium Eclipticæ ad alias partes, & non esse radios Astrorum.

Hæc sententia eorumdem est, qui latitudinem nullo modo seruant, siue in corporibus, siue in configurationibus, tùm ex parte aspicientis, quàm recipien-

tis radium, quippe qui familiaritates vniuersas ad Eclipticam remittunt. Quare reprobatur hæc sententia omnibus rationibus contra negantes seruandam latitudinem expositis; & infra latius improbabitur ex demonstrationibus veræ sententiæ. Sed ostendamus quiditatiuum conceptum de Antiscijs, seu parallelis in genere, & demus eorum definitionem, vt facilius percipiantur infra dicenda.

Prima Conclusio. Antiscium, seu Parallelus sumptus in Primo Mobili, nil aliud est, nisi æquipollentia influendi Siderum à Primo Mobile.

Dico esse æquipollentiam influendi: nam omnis familiaritas opus est, vt sit proportionalis modus influendi: æqualitas verò est omnium proportionum primaria, & principalis: ideoq; paralleli sunt efficacissimi ferè sicut coniunctiones, quæ item sunt proportiones æqualitatis.

Dices. Definitio non debet conuenire alijs quam rei definitæ: sed hæc conuenit etiam coniunctioni, ergo mala definitio. *Respondeo*, quod conuenit coniunctioni, quia in coniunctione sunt plures familiaritates simul, & præ cæteris adest Antiscium, seu parallelus: nam quæ simul sunt Astra, in eodem parallelo sunt; quare omnis coniunctio præsentialis partilis in longum, & latum est semper cum parallelo, & propterea conuenit illi hæc definitio.

Ptolemæus agens de Antiscijs tradit ea per æqualitatem distantiarum, æqualitatem temporum, dierum, noctium, horarum, æqualitatem ortus, occasus, & similia: cum vero Sidera non agant in hæc inferiora nisi motu, distantijs, ortu, occasu &c. quibus variant influendi modum; fit vt Antiscia ex ipso *Ptolemæo* nihil aliud sint censenda, nisi pares influxus, seu æquipollentiæ. Immo cap. de moderanda vita *Ptolemæus* Antiscium vocat expressè æquipollentiam: sic enim habetur inuersione Gogauæ Grauiensis. *Aliquando verò è Signis dicto eorum audientibus, aut aspicientibus secundum æquipollentiam hexagonis quoq;* agit autem ibi *Ptolemæus* de occursibus anæretarum. At verò qua ratione Antiscia sint æquipollentiæ patebit infra.

Dico, Siderum: quia non influunt Cæli loci qui lumen non habent; omnem enim influxum puto cum lumine proficisci, sine lumine nequaquam omninò, vt *lib. 1.* ostensum est.

Addo tandem, à Primo Mobile: ad differentiam parallelorum in Mundo, quibus Astra non à Primo Mobili, sed à situ in Mundo in nos influunt, vt docetur suo loco.

Secunda Conclusio. Non partes Eclipticæ à *Ptolemæo* definitæ, intuentur alias partes, sed Astra in ipsis partibus inuenta respiciunt alia Sidera in alijs partibus, quæ per *Ptolemæum* ab illis dicuntur aspici, reperta. Hoc est; Antiscia non fiunt inter partes Eclipticæ, sed inter Sidera, & corpora luminosa.

Patet hæc conclusio ex dictis *primo lib.* vbi demonstratum est, quod familiaritates non fiunt, nisi à corporibus luminosis; nam intuitus est proiectio luminis, seu influxus proportionalis, quem præstare non valet quicquid lumine priuatum est: Eclipticæ verò partes lumen non habent, ergo neq; influere possunt.

Pat . quoq; ex rationibus ipsius *Ptolemæi* asserentis, quod Sol in illis partibus,

bus, & non partes ipsæ efficiant dies, noctes, & horas ad se se inuicem respondentes, & pares.

Dices. Immo contra est. *Ptolemaus* tradens familiaritates omnes *in tribus capitibus lib.* 1. docet eas fieri tantum inter Signa, & nunquam inter Sidera, quorum ibi non meminit, nisi tantum Solis, qui existens principium omnis virtutis Astrorum, est etiam causa, & principium omnis virtutis Eclipticæ, quam motu suo describit, calefacit, & efficacem reddit.

Huic oppugnationi alibi *responsum est*: Nam *Ptolemaus* tradit familiaritates, formaliter loquendo, rationibus, diuisionibus, figuris, distantijs &c. quas non poterat nisi in subiecto aliquo, & materialiter loquendo proponere; ideoq; in ipso Signifero, sicut in aptissimo, & proximo subiecto, tanquam super ipsam eamdem tabulam, in qua coloribus mox ad viuum sint exprimendæ, & pingendæ imagines suorum præceptorum; prius exhibet rationes, metitur ibi distantias, delineat figuras, signat diuisiones &c. Quare *Ptolemaus* in Zodiaco tanquam in eodem subiecto describit omnes, quas efficere possunt ad se se inuicem ibidem Astra familiaritates; & dum reddit rationem, proponit illam obseruandam in Astrorum familiaritatibus: affert autem exemplum operis Solis, quia opus eius in temporum diuisione euidentissimum est præ omnibus cæterorum Siderum, & congruit Signifero in quo *Ptolemaus* descripserat suas diuisiones. Et quod res ita se habeat, *Ptolomæus* in cæteris sequentibus libris nunquā meminit radiorum Signorum, sed tantum Siderum; ad quam rem longum esset nimis, & superuacuum *Ptolemæi* afferre loca, quæ creberrima extant.

Si quis verò concedat Antisciorum quidem familiaritatem fieri non posse ab ipsis partibus Eclipticæ; fieri tamen ab Astris ad ipsas partes Eclipticæ; adeout Astra, siue latitudinem habeant, siue minus, proijciant Antiscia ad partes Eclipticæ, attamen non secundum etiam latitudinem eorumdem Siderum, sed secundum longitudinem tantum acceptas, nimirum neglecta latitudine, quæcumq; sit. Hoc sane idem est, quod supra.

Quæ de Parallelis hucusq; dicta sunt, quia pertinent ad omnes, vniuersaliter de omnibus præmissa sint. Sed quoniam diuersimodè fiunt Paralleli primarij à secundarijs, opus est nunc diuidere Quæstionem: Et primò de intuentibus idest de Parallelis primarijs differemus.

Tertia Conclusio. Loca Eclipticæ, quæ à Sideribus latitudinem habentibus aspiciuntur Antiscio primario, non sunt quæ secundum longitudinem eorumdem Siderum æquedistant à punctis Tropicis: Vt si sit Astrum in grad. 10. ♊. cum latitudine Australi grad. 5. locus Antiscij non est gradus 20. Cancri in ipsa Ecliptica sumptus.

Probatur primò. Ptolemæi auctoritate supra allata. Astrum cum latitudine non efficit tempora æqualia, neq; oritur, aut occidit in ijsdem finitoris punctis, in quibus partes Eclipticæ longitudinis: diuersam enim habent declinationē, diuersam ascensionalem differentiam, diuersum arcum diurnum, & nocturnum, diuersum tandem punctum ortus, & occasus in horizonte, vt notum est.

Secundò. Sidus, & locus Antiscij in Ecliptica non distant pariter à punctis Tropicis: Vt in figura Vndecima Mars in principio ♈ cum latitudinem Bo-

reali

reali gr. 8. magis distat à puncto Tropico, a, quam distet Iuppiter in Ecliptica in fine ♑ situs ab eodem puncto, a, nam distantia Martis est æqualis arcui Eclipticæ, a, b,

Propter has igitur rationes Professorum plurimi, & insignes opinati sunt seruandam esse eamdem & numero, & nomine latitudinem in loco primarij Antiscij, qualem habet Sidus: Vt in eadem figura Vndecima locus Antiscij Martis putant esse punctum, c, quod habet eamdem latitudinem, & numero, & nomine, quam habet Mars; continet enim omnes requisitas, & sæpius enumeratas conditiones: & putant hoc punctum se habere sicut Sidus; adeout virtus Antiscij, vel non tangat Eclipticam, vel debili admodum virtute pro maiori, vel minori ab ea distantia quare Iuppiter ibi parum, aut nihil afficietur ab Antiscio Martis, & è contra, Mars ab Antiscio Iouis, quod ad punctum, d, in Ecliptica iacitur.

Cum verò in Directionibus ducant punctum illud ad situm positionis luminarium, fit vt eo magis distent luminaria ab illo puncto in Directionibus, vt sæpius ostensum est: nam in finitore obliquo sæpe sæpius maior est basis quam reliqua duo latera trianguli latitudinis, & differentiæ ortus. Vt in figura Tertia magis distat Sol a puncto, m, exortus Veneris, quam ab ipsa Venere.

Quarta Conclusio. Planeta, siue latitudinem habeat, siue minus, non intuetur solum partem illam, quæ secundum longum æquedistat à Tropicis, seruata insuper eiusdem Planetæ simili latitudine, sed intuetur etiam omnem Cæli locum, quicumq; sit, vel vbicumq; qui eamdem habeat Declinationem eiusdemq; nominis. Describit enim integrum circulum Æquatori parallelum, itaut respiciat omnia Sidera, quæ sub ipso parallelo fuerint inuenta, & vicissim ab ipsis respiciatur.

Probatur primò ex *Ptolemæo* loco supra citato, vbi imperantium, & obedientium subiunxerat rationem tanquam primariam, & formalem; *eo quod æquali spacio temporis peroriantur, eosdemq; describant parallelos*. Quæcumq; ergo æquali spacio temporis mouentur, & eosdem describunt parallelos se se inuicem intuebuntur. At in casu nostro eumdem describunt parallelum, quod magis refert, quam si describeret eosdem; & non solum eodem spacio temporis, sed per eamdem etiam viam mouentur: ergo eo magis hæ partes sunt ad inuicem in Antiscio.

Confirmatur ex eodem *Ptolemæo*, qui de intuentibus afferens rationes formales, & fundamentales ait: *fit enim per eas partes Sole meante, vt spacia dierum, ac noctium, itemq; horarum sibi respondeant. Itaque, & intueri se se mutuo illa Signa dicuntur, cum ob eas causas, quas exposuimus, tum quod vtraq; & ab ijsdem partibus horizontis, & oriuntur, & occidunt*. At hæc omnia conueniunt omnibus Astris, quæ sub eodem parallelo ad Æquatorem fuerint inuenta, siue quod idem est, quæ eamdem habuerint Declinationem: hæc enim æquali spacio temporis ascendunt; eumdem describunt parallelum; spacia dierum, noctium, & horarum similia præstant; tandemq; in ijsdem horizontis partibus, & oriuntur, & occidunt, prout definit *Ptolemæus*: Et non nisi propter has rationes partes Eclipticæ æque distantes a Tropicis se se respiciunt per Antiscium.

Secundò

Secundò probatur ratione. Sæpiùs ostensum est Sidera esse ad inuicem familiaria si paribus, vel proportionalibus viribus agant in hæc inferiora: sed paribus viribus agunt si eamdem habeant Declinationem, seu eumdem arcum diurnum, vel nocturnum: ergo &c. probatur minor. Sidera, quæ habent eamdē Declinationem, seu eumdem arcum diurnum, vel nocturnum efficiunt parem influxum, & parem qualitatum intensionem; sed hoc est paribus viribus agere; ergo &c. Maior patet; nam huiusmodi Stellæ progrediuntur per eamdem viam, & idem tempus absumunt ab vno ad alium finitorem eundo, ergo efficiunt parē influxum: minor quoq; sæpius ostensa est; nam Astra successiuo influxu intendunt, & remittunt qualitates, ergo pari influxu parem qualitatem efficiunt, ergo paribus viribus agunt. Vt Sidera à ♑ ad ♋ intendunt successiuè vnam qualitatem, è contra à ♋ ad ♑ remittunt successiuè eamdem: fit ergo vt in omnibus paribus distantijs, siue ab vno, siue ab vtroque puncto Tropico, vt parem intensionem qualitatis efficiant hæc Sidera, vnum accedendo, alterum recedendo ab eodem puncto Tropico.

Obijcies: hæc Conclusio est contra præceptum *Ptolemæi* seruandæ æqualitatis distantiæ a punctis Tropicis: non enim apparet modus quo seruetur hæc æqualis distantia; ergo falsa conclusio. *Respondeo* non esse contra *Ptolemæi* præcepta; nam ea Sidera dico esse in Antiscio primario, quæ in eodem sint parallelo ad Æquatorem: sed circulus Æquatoris æquedistat à circulis Tropicis, igitur etiam paralleli æquedistant à circulis Tropicis: nam quæ ad inuicem sunt æqualia, sunt etiam æqualia ad tertium quodlibet.

Dices. Ptolemæus præcipit æqualem distantiam à punctis, non à circulis Tropicis. *Respondeo primò*, quod puncta Tropicorum sunt in ipsis circulis Tropicis: ergo si paralleli æquedistant ab ipsis circulis Tropicis, æquedistant etiā ab omnibus, & singulis punctis, quæ in circulis illis sunt. *Secundò Respondeo*. Quod *Ptolemæus* ideo tradidit has familiaritates per distantiam à punctis, quia diuidebat lineam Eclipticæ: linea verò non diuiditur nisi punctis; sicut superficies diuiditur lineis;& profunditas superficiebus: Cū ergo *Ptolemæus* diuideret lineam, non poterat nisi per assignationem punctorum super ipsam eamdem lineam. At quia latiùs patent hæ familiaritates propter rationes eiusdem etiam *Ptolemæi* allatas, & propter necessitatem emergentem ex latitudine Siderum, quando sunt extra lineam Eclipticæ; adeout loca, & Sidera se se inuicem intuentia sint quæcumq; nascuntur, vel occidunt in ijsdem finitoris punctis; atq; propterea fit vt hæ familiaritates non tantum sint puncta, sed sint lineæ circulares parallelæ ad Æquatorem: sequitur, vt æqualitas distantiæ sumi debeat à linea circulari, ad aliam lineam circularem; & vt fieri debeat diuisio superficiei Primi Mobilis, & non tantummodo lineæ Eclipticæ.

Dices tandem. Prorogator consistit immobilis in eo Mundi situ, quem habet in Genesi: opus est igitur definire locum Antiscij in longum, & latum, quem locum Directionis motu deducere possimus ad eius situm positionis: ergo falsæ sunt superiores Conclusiones. Hoc Argumentum petit an, quo modo, & qua via moueatur Prorogator Directionis motu: sed de his alibi dictum est: nam Proro-

Prorogator dum mouetur, vel diurno motu, vel Directione deambulat per suam realem, & naturalem viam; Sol per lineam Eclipticæ, Luna, & cæteri errores per viam suæ latitudinis, quæ via cum non sit ipsa Ecliptica, neq; illi parallela, exhibet planetis diuersam semper latitudinem, prout dum mouentur diuersimodè distant à capite, & cauda sui draconis: Quare Prorogator tunc impingit in parallelum, siue intuentem, siue imperantem alicuius Astri, quando progrediens per viam realem sui motus acquirit similem secundum numerū declinationem declinationi illius Astri. Vt in figura Tertia Sol impingit in parallelum Veneris primarium in puncto, 3, quia ibi acquirit eamdem numero, & nomine declinationem, quam habet Venus: in secundarium verò in puncto, 4, vbi habet eamdem numero, sed nomine diuersam declinationem. Luna verò in primarium eiusdem Veneris in puncto, 6, in secundarium in puncto, 7, dum progreditur per viam suæ latitudinis, quæ est linea ☽ O 6 7 n.

In Antiscijs secundarijs Professores propter easdem ferè rationes supra allatas opinantur obseruandam esse latitudinem secundum numerum eamdem, nomine tamen diuersam, quam habet Sidus mittens Antiscium, vt in figura Quinta Venus in grad. 17. ♊ cum latitudine Australi grad. 8. mittit Antiscium secundarium ad grad. 13. ♑ cum latitudine Boreali grad. 8. ad punctum, m, dicunt ipsi: Sic enim æquedistat Antiscium à puncto Æquinoctij sicut distat Venus.

Quinta Conclusio. Planeta, siue latitudinem seruet, siue non seruet tunc incidit in Antiscium secundarium alicuius Stellæ, quando acquirit eamdem secundum numerum declinationem, denominatione tamen diuersam; seu quando similem magnitudine parallelum in altero ab Æquinoctiali Emisphęrio. Vt in eadem figura quinta Venus mittit Antiscium, seu parallelum secundarium ad omnia Sidera, quæ sunt sub circulo g, f, h,

Probatur conclusio. Omnia Sidera, quæ sunt sub eodem parallelo ad Æquatorem, mouentur æquali temporis spacio, & habent cætera omnia, quæ docet *Ptolemæus* supra relata; ergo si Sidus mittit Antiscium ad vnum punctum huius circuli, vt concedunt Aduersarij, etiam ad omnia Sidera, quæ sub hoc circulo fuerint inuenta consequens est vt mittat: Vt in eadem figura Quinta si Venus mittit Antiscium secundarium ad punctum, m, quod est sub circulo g f h, mittit etiam idem Antiscium ad omnia Sidera, quæ sub hoc circulo inueniuntur.

Ex dictis autem patet quid sint Paralleli, seu Antiscia, & tàm primaria, quàm secundaria: Nam primaria fiunt sub declinatione, numero, & nomine eadem; secundaria verò, numero quidem sub eadem, sed nomine diuersa; & declinatio Borealis imperat, Australis obedit.

Distributio

Distributio Duodecim Domorum.

CAPUT SEPTIMUM.

QVA de re tot adeoq; diuersæ, ac inter se se discrepantes extant Professorum sententiæ, vt graue, molestumq; sit eas referre: liceat id nihilominus, paucis tamen ad rerum intimam veritatem attipiendam.

Quidam diuidunt Signiferum in duodecim partes æquales circulis per Polos eiusdem ductis, quorum primus per punctum exorientis partis Eclipticæ transit.

Alij secundò, diuidunt similiter parallelum Æquatori, qui parallelus transit per gradum Eclipticæ orientem, ductis circulis per Polos Mundi.

Alij tertiò, diuidunt in partes æquales portionem Signiferi interceptam ab vno ad alium Cardinem.

Alij quartò. Constituunt Domorum cuspides per binas temporales horas in Signifero; itaut, quæ pars Eclipticæ distet ab ortu duabus temporalibus horis dicatur esse in duodecima domo, quæ quatuor, in vndecima &c. Deinde per hæc puncta ducunt circulos positionũ transeuntes per commissuras finitoris, & Meridiani: cuius autem rei gratia ducant hos positionum circulos fateor non intelligere.

Alij quintò. Diuidunt Æquatorem circulis per easdem finitoris, & Meridiani commissuras, quam sententiam Recentiores communiter recipiunt.

Alij sextò. Diuidunt circulum Verticalem, qui per puncta ortus, & occasus Æquatoris transit, ductis circulis per commissuras finitoris, & Meridiani.

Alij tandem, diuidunt Angulorum intercapedines per binas temporales horas, prout videtur tradere *Ptolemæus*. Quicquid autem fit de tot discrepantibus sententijs.

Prima Conclusio: Domorum distributio, vt naturalis sit fieri debet in proportionales ad inuicem partes.

Probatur primò ex *Ptolemæo*, qui sæpius docet, quod Domus vndecima respiciat orientem hexagonis radijs, Decima tetragonis, Nona trigonis &c. Sed intuitus *cap. de* 12. *locorum configuratione*, dixerat esse proportionales partes; ergo vult *Ptolemæus*, vt Domus ad inuicem sint proportionales partes.

Secundò. Non apparet ratio disparitatis, qua vna maior, altera sit constituenda: neq; enim Domorum partitio sequitur finitoris accidentales affectiones, puta claritatem, aut obscuritatem, vaporum maiorem, vel minorem densationem, aut aliud huiusmodi. Non nego quidem Domus his affectionibus speciales quasdam qualitates nancisci; id tamen per accidens fit; itaut Domus per se non constituantur per has affectiones, quæ inconstantes sunt, tùm intensiuè, tùm extensiuè, & communicabiles cæteris Domibus, vt Sidus si ad Meridiem valde deflexerit eamdem ferè à vaporibus patietur tenebricositatem, in

duodecima, atq; in vndecima, & decima domo: Deinde vaporibus obnoxia est nihilominus septima domus, quam sit duodecima, cum tamen hæc omnium infirmissima sit; per pluribus alijs præstet illa: tandemq; sub horizonte non reperiuntur hæ affectiones; attamen adest ibi quoq; domorum partitio; Quia igitur non apparet ratio disparitatis, ad inuicē æquales debere esse necesse est.

Secunda Conclusio. Non sufficit Domus esse æquales inter se in vno tantum circulo, puta in Æquatore, aut Signifero, aut Verticali, aut quocunq; alio principali ad diuisionem assumpto; sed opus est, vt extra hos circulos quoq; pari proportionali diuisione dispertiantur.

Probatur primò ex *Ptolemæo*, qui pro locis Hylegialibus assumit, quæ cum horoscopo radijs communicant, quæ secus omnino reijcit *ex ijs etiam*, inquit de locis apheticis, *quæ supra terram extant, neq; illum locum, qui nullo familiaritatis vinculo cum Ascendente cohæret accipere conuenit, qui Argos, idest piger à græcis dicitur &c.* Mox in Prorogatores assumit ea Sidera, & loca, quæ per se, & alias idonea in his locis fuerint inuenta, & si quam maximè ab Æquatore, aut alio circulo ad domorum diuisionem assumpto distent: igitur vult *Ptolemæus*, quod huiusmodi Prorogator respiciat orientem à locis Domorum etiam in latum acceptis: atq; propterea Domus secundum etiam latum debeant esse ad inuicem proportionales partes.

Secundò. Domus titulo, vel sumi debet longitudo tantum sub vno circulo, puta Æquatore, Verticali, parallelo, aut alio; vel accipi debet spacium habens longitudinem, & latitudinem: primum dici non potest; cum enim Domus sint loca Siderum, & Sidera habeant longitudinem, & latitudinem, opus est, vt domus quoq; latitudinem habeant; aliàs dici non poterunt esse in domibus Astra: si secundum, cum necesse sit ex dictis domus ad inuicem esse proportionales partes, nisi æquales sint secundum omnes longitudines ad intra latitudinem sumptas, iam proportionales non erunt: non sufficit ergo domus æquales esse in vno tantum circulo &c.

Tertiò. Locorum quantitatem, seu cuiusuis spacij spectamus secundū, quod motu mensuramus ipsa loca, & spacia; etenim quantitatem, inquit *Aristoteles 4. physicorum tex.* 112. mensuramus vel motu, vel tempore; hæc enim se se inuicem mensurant: sed Sidera lustrant Domus etiam in longitudinibus secundū latum sumptis, ergo etiam ibi proportionales partes pro domibus constituere tenentur: & fit, vt dicam infra, quod eo modo proportionales partes constituant, quo ab vno ad alium cardinem eunt.

Tertia Conclusio. Domorum distributio permanere semper debet eodem modo, & eadem mensura in vnoquoq; horizonte.

Probatur primò. Domus se se inuicem intuentur radijs; sed radij sunt proportionales partes, quæ sunt semper eædem, eiusdem quidem quantitatis maximæ alicuius portionis: At inter Cardines eamdem semper esse quantitatem, & maximam portionem ostendetur postea.

Secundò. Domus eamdem semper naturam habere debent; sed naturam habent à situ: ergo si non variant naturam, neq; situm variare debent.

Tertiò. Domorum distributio est modus, quo quilibet finitor Regionum

recipit

recipit Cæleſtes influxus: ſed finitores non permutant habitum, ſunt enim cum ipſis Regionibus immobiles: ergo neq; modum, quo recipiunt Cæleſtes influxus, permutare poterunt: omnis enim actio ad modum recipientis fit: Et confirmatur; nam idem Aſtrum prout idem eſt, idem influit in inferiora ab eodem Cæli puncto, & poſitione reſpectu finitoris: ſed ab eadem domo idem influit, ergo vnaquæq; domus in eodem Cæli ſitu immobilis reſpectu finitoris permaneat neceſſe eſt.

Quartò. Quatuor Mundi cardines permanent immobiles ad quamcumq; Signiferi aſcenſionem, & deſcenſionem, ergo etiam intermedia loca proportionaliter diſtantia immobiliter conſiſtere cenſenda ſunt. Antecedens ſupponatur nunc, demonſtrabitur enim poſtea. Conſequens patet; nam quod permanet in media diſtantia ad duo loca, ſi hæc loca immota quieſcunt, & illud immotum quieſcere cum ipſis locis neceſſe eſt; aliàs iam non erit in media diſtantia ad illa loca.

Quarta Concluſio. Domorum diuiſio, vt naturalis ſit fieri debet diuiſione influxus Aſtrorum, non ſpacij Cæli, vel aeris. Pro cuius intelligentia

Notandum eſt, Sidus eſſe in centris domorum dupliciter ſpectari poſſe; *primò* itaut domorum ſectiones ſint lineæ quædam, & ſitus permanentes in Cæli, ſeu aeris plagis etiam abſentibus Aſtris; puta ſi eſſent ibi reales circuli,& metę, ad quas quia peruenerint Aſtra dicantur eſſe in illis domibus,ſecluſa omni alia ratione, & ſi quæ reperiatur, ſit poſterior, & pendeat ab illa Sideris poſitione: vt ſunt radij ad cardines, qui ex eo fiant ab Aſtris à domibus, quia ſint in illis circulis, non relatione proportionali præcedentis motus,& influxus. *Secundò*, è contra, itaut domorum ſectiones abſq; vlla meta, ſeu circulo, vbi Sidera peruenerint ad proportionales diſtantias à cardinibus, dicantur eſſe in illis domibus, ſecluſa omni alia ratione; & ſi quæ adſit ſit poſterior; vt puta locum Domus eſſe permanentem, eo quia Sidus quoduis,ſeu quælibet Primi Mobilis pars in eodem ſemper loco, & ſitu ſe ponat ad conſtituendam eamdem domum; itaut non à ſitubus, ſed ab irradiationibus pendeant domorum naturæ, & diſtantiæ: accidat autem domorum ſitus eſſe permanentes in vnoquoque horizonte.

Probatur nunc concluſio primò. Domus inter ſe non niſi familiaritate, ſeu radijs diſpertiuntur; ſed radij non fiunt niſi à corpore luminoſo influente; ergo domus conſtituendæ ſunt pro eo, quod Sidera influunt,& non prout ſunt metę, ſeu circuli in Cælo, & aere: minor quidem propoſitio conſtat ex dictis *cap. de radijs*; probatur tamen adhuc: Intuitus ſunt proportionales influxus, qui fieri non poſſunt niſi à corpore luminoſo: Et confirmatur; nam ſi radij fieri poſſent à quauis parte non luminoſa, iam quæuis pars Cæli eſſet actiua non ſecus, ac ipſa Sidera, fruſtraneumq; eſſet lumen in Aſtris, vt alibi dictum eſt. Rurſus modus agendi in ipſo agente eſt, ergo diuerſi modi agendi Siderum à diuerſis ſitubus, ſunt in lumine Aſtrorum, & non ſuſcipiunt ipſos Aſtra à domibus. Tandem fruſtraneæ eſſent in Cælo huiuſmodi manſiones independentes ab Aſtrorum radijs; nam adhuc Sidera efficerent radios ad cardines, quibus variarent ſuos agendi modos: adhuc enim per motum Aſtra acquirerent propor-

tionales ad cardines distantias, quæ sunt veræ irradiationes, vt suo loco demonstraui: Maior verò propositio illa principalis patet, tùm ex doctrina *Ptolemæi*, qui sæpius affirmat domus se se inuicem intueri; tùm etiam ratione ex dictis; cum enim domus ad inuicem æquales esse debeant, & sint constituendæ numero duodenario; sequitur necessariò, vt ad inuicem exquisitam irradiationum distantiam seruent: Cum igitur domus non dispertiantur alijs distantijs, quam irradiationum, euidenter deducitur domus nil aliud esse, quam irradiationes ipsas, quæ nisi à corporibus luminosis elici non possunt.

Secundò Probatur. A singulis domibus Astra variant naturam radiorum; sed varietatem hanc non possunt habere à situ, ergo ab influxu: minor probatur, Situs sunt partes quantitatis, quæ & non est actiua, & est eiusdem semper naturæ: ergo à situ non suscipiunt variationem influendi Sidera.

Dices, Domus non accipiunt suas qualitates à radijs, sed à sitibus, & eorum accidentibus: vnde *Ptolemæus* præ cæteris *cap. de locis apheticis lib. 3.* ait de duodecima domo. *Quoniam Astrorum ibi commorantium in terram effluxus cum etiam ab angulo præcipitetur, turbat, ac veluti abolet, quæ ex terræ humoribus nascitur fumosa tenebricositas, quæ de causa suis, neq; coloribus, neq; magnitudinibus apparent:* aliunde igitur *Ptolemæus* venatur domorum naturam, quam ab irradiationibus. *Respondeo*. Qualitates, quæ à *Ptolemæo* spectantur in duodecima domo, esse quid amplius supra id quod dixerat prius de locis inconiunctis cum ascendente, quos eo primùm, & maximè, quod sint cum ascendente inconiuncti, ex Apheticis exemerat. Et quidem in primis compluribus debilior est, quoad vires hæc domus, ob rationes a me superius allatas; addito nunc, quod ascendenti incōiuncta; tum demum tenebricositate, atq; à terræ vaporibus exorta caligine, languida, atq; prorsus inepta ad vitalem prorogationem inferendam arguitur; Etenim, quæ a terræ vaporibus fit obscuritas non potest esse sufficiens ratio partitionis illius domus, cum non minus subsit eidem passioni angulus occidentis, vbi non spectatur: item Domorum diuisio fit etiam sub terra, vbi nulla contingit à vaporibus, aut alio accidente alteratio; Rursus vapores modò magis, modò minus eleuantur, quo fieret, vt sectio, seu meta duodecimæ domus inconstanti fluxu, & refluxu perpetuo trepidaret: In finitore quoq; obliquo duodecima domus maior esset cæteris domibus, quo proximior Austro; minor è contra, quo magis ad Aquilonem appropinquaret: Demum si aeris passiones fierent de essentia, seu proprietatibus Domorum, non esset ratio cur non obseruandæ essent nubes, pluuiæ, venti, caligines, & aliæ, quæ penè infinitæ sunt aeris passiones in singulis domibus: Atq; plura huiusmodi sequerentur absurda. Fundamentum ergo primum, & potissimū diuisionis domorum non sunt huiusmodi accidentales affectiones, sed sunt proportionales Astrorum distantiæ.

Tertiò. Non apparent in Cælo huiusmodi circuli, & metæ Domorum, sed neq; distinctio aliqua, qua aliter afficiatur vna Domus, & non altera; qua aliter vna Domus afficiat Sidera, aliter altera; iam enim aeris passiones non sufficiunt, vt dictum est; ergo nullum aliud esse habent domus, nisi à proportionalibus Astrorum distantijs.

Dices,

Dices, finitor est circulus realis secans vniuersum in apparens, & latens Hemisphæria; circulus item Meridianus secans in ascendens, & descendens: interstitia verò sunt spacia realia, vbi adsunt reales proportionales distantiæ, ergo &c. *Respondeo primò*, negando assignatos circulos esse reales: cuius negationis ratio efficacissima est, & insolubilis, quia infinitum actu à nemine Philosophorum vnquam admissum est ob infinita, quæ in eo sequerentur absurda, & impossibilia: certum autem est si prædicti circuli reales sint cum vnicuiq; puncto circumferentiæ Telluris tribuendi sint speciales, & ab alijs diuersi finitores, & Meridiani; & huiusmodi puncta in terra sint infinita, vtpote semper de nouo assignabilia; quod infiniti erunt actu huiusmodi finitores, & infiniti Meridiani. Ego autem puto, quod nullum aliud esse reale habeant huiusmodi circuli, nisi quod in ipsis loca Telluris suscipiunt varietatem illuminationis Astrorum; puta in finitore orientali fit eis patens Astrorum lumen, quod prius latebat; in Meridiano fit eis descendens, cum prius ascenderet; in occasu absconditur ab eis cum prius pateret &c. Sed, & interstitia inter hos circulos censeo, quod nullũ aliud esse reale habeant, nisi successiuam Siderum realem præsentiam, & illuminationem, adeout nisi hæc spacia lustrarentur ab Astris percunctari possemus, an essent quid reale, à nihilo enim iam non differrent; certum tamen est, & manifestum, quod nullam haberent virtutem actiuam, sed neque circuli finitoris, & Meridiani, quippe in quibus loca Telluris nõ susciperent varietatem illam influendi Siderum, sed nullum influxum.

Quod si contendas omnino hos circulos reales esse sicut ego quoq; censeo. *Respondeo secundò* negando consequentiam, nam finitor, & si secet Vniuersum in apparens, & latens Hemisphæria, partes non luminosæ nullam suscipiunt diuisionem, cum nullibi appareant; sic, & Meridionalis circulus diuidit ascendentiam, & descendentiam; at partes non luminosæ cum non appareant asserere possumus non esse, & si sint non suscipere motum; non enim defuerunt ingenia, quæ Stellas, vt pisces in aqua, & aues in aere progredi sint opinata; Mox cum sint expertes luce, qua Sidera, vt instrumento influunt in hæc inferiora, nequibunt suos influxus ad sublunaria transmittere; atq; ita siue ascendant, siue descendant, siue apud nos, siue sub terra nihil ad rem. In interstitijs verò proportionales partes cum tot modis accipi possint, quot ad nostrum arbitrium duci lineæ inter hos circulos, quæ sanè semper aliæ de nouo, & aliæ in infinitum, & irregulares, & rectæ, & à nouis circulorum punctis ad noua semper puncta, nisi adsint definitæ quantitates, & termini, seu puncta in ipsis circulis à quibus proportiones intermediæ pendeant; non possumus affirmare adesse in interstitijs huiusmodi proportiones, vt infra dicam.

Dices: Idem secundum idem, manens semper idem, idem natum est efficere: sed Astra ab ortu, ad occasum eadem sunt in se ipsis per omnia, ergo nisi à domorum varijs qualitatibus, & naturis alterentur Astra, iam non diuersa, sed tantum eadem poterunt efficere semper; quod & rationi, & experimento aduersatur. *Respondeo* negando maiorem; nam quoduis agens, puta ignis si patienti ligno sit applicatus, manens idem dum intendit in ipso ligno calorem, iam non eundem, qui semel productus est caloris gradum efficit, sed superaddit nouos

gradus,

gradus, qui à primo productis diuersi sunt ea saltem diuersitate, qua partes quantitatis continuæ diuersæ sunt ab alijs partibus; tandemq; ignis attingit summam caloris intensionem, & formam ipsam ignis: ergo idem manens idē iam non idem efficit: seu dicamus: potest causa idem efficiendo, diuersos effectus attingere ob alias causas, & conditiones. *Respondeò secundò*, distinguendo minorem: nam Sidera eadem perpetuo sunt in se ipsis, etiam secundum qualitates suas actiuas; etenim in Cælo Astra nullam suscipiunt in se ipsis alterationem, sicut alibi ostensum est; sed non manent secundum idem quoad sublunaria, tum etiam quoad Solem, & inuicem, erga quæ dum permutant habitudinem variant suos effectus. Pro cuius rei maiori intelligentia

Sciendum est naturam, & qualitatem effectuum cuiusq; causæ efficientis variari posse infinitis propemodum de causis, & si efficiens causa eadem semper sit per omnia, etiam secundum omnes qualitates. Causæ autem huius variationis effectuum sunt *primò* quidem infinitæ, ac inter se diuersæ passibilium rerum affectiones, & naturæ; itaut non inueniãtur duæ res eiusdem omnino temperamenti: Cum verò omnis actio agentis causæ recipiatur ad modum potentiæ passi, vt sæpius dictum est; hinc fit, vt eadem causa, manens in se ipsa eadem, possit diuersa producere, puta Sol cum homine hominem generat, cum leone leonem &c. huiusmodi omnino diuersa, & etiam contraria pro sublunarium rerum affectione, atq; recipiendi potentia. *Secundò*: Causa varietatis effectuum est varia applicatio efficientis causæ ad subiectum patiens, vt in magnete sunt duo poli, vno attrahit aliam magnetem, altero expellit, cum tamen sit idem lapis: ignis extrahit pullos ab ouis in mediocri distantia, in minori decoquit, prope comburit: Si quis in Sole moderato passu deambulet calefiet temperatè; si stet, aut decurrat, immoderatè: Sic ad ignem admota manus, si firma teneatur, excalefiet successiuè semper, & magis, tandemq; etiam aduretur, nisi remoueatur; quod si hinc inde circumducatur maiorem sufferet propinquitatē, vt etiam inter medias flammas immissa nullam læsionem perpessura sit. Ad rem nostram.

Tot diuersorum effectuum eiusdem causæ Cælestis in sublunaribus, causa non est positio, seu locus, secundum quod talis est, aut qualis in quo consistat causa efficiens; itaut à loci natura, & qualitatibus non pendeant natura, & qualitates effectiuæ eiusdem causæ: (& quidem possit causa efficiens aliqualē, leuem tamen alterationem à loci positione, ob medij varias affectiones suscipere dictum est) potior autem causa diuersitatis effectuum, aut est subiectarum rerum varia recipiendi potentia, & dispositio; aut varia erga ipsas causarum Cælestium applicatio; qua cum diuersimodè immittant deorsum lumen suum; instrumentalem causam, diuersos producunt effectus; *sicut dictum est lib. 1.*

Quartò probatur. Domus, vt naturales, sint debent esse ad inuicem æquales, & proportionales; sed erunt æquales tantum si assumatur diuidendus Astrorum influxus, seu motus, itaut si assumantur Cæli, seu aeris spacia æquales esse non possint, ergo &c. Probatur minor, & primò: Tunc erunt æquales domus si æquali temporis mora influant, & motu æqualem quantitatem lustrent Sidera in omnibus, & singulis domibus, itaut non magis in vna morentur, quam in

altera;

altera; nam si maiori temporis mora influant, & permaneant in vna, quam in alia, iam æquales dici non possunt domorum mansiones, ergo æquales erunt domus si assumatur diuidendus Astrorum influxus, & motus; etenim è contra, si assumatur diuidendum Cæli spacium, in quo continget vt maiorem ducant moram, & maiori tempore influant in vna domo, quam in alia, iam domus æquales dici non poterunt; Æqualitatem verò domorum censeo motu, & influxus tempore debere diuidi, ex *Aristotele 4. phys. tex. 113.* vbi quantitatem mensurat motu, & tempore, & è contra; ergo nisi Sidera æqualem ducant temporis moram, atq; æqualem quantitatem spacij lustrent motu in omnibus, & singulis domibus, iam domus æquales dici non poterunt; quæuis enim alia æqualitas accipiatur nihil ad rem. Probatur secundò, minor illa principalis: Domus omnem quam habent actiuitatem habent à corporibus luminosis, nimirum ab Astris; quod enim luce priuatum est actiuum esse non posse alibi ostensum est: ergo etiam determinationem suæ quãtitatis Domus habent ab Astris: probatur consequens: à quo aliquid pendet in esse, pendet etiam in esse quale, & quantum; ergo si Domus in esse actiuo pendent ab Astrorum influxu, ab eodem influxu pendebunt etiam in esse quanto &c. Hæc autem ratio efficacissima est.

Quintò. Cælestes domus, vt reales, & naturales sint diuidi debent secundum quantitatem aliquam realem, & definitam à natura; sed nulla alia quantitas realis, & definita apparet sumenda, nisi Siderum motus, & influxus, qui ab ortu ad Meridiem, & reliquos cardines fit, ergo &c. minor probatur: Ab ortu ad Meridiem quæuis alia linea sumatur diuidenda, quam quæ ab aliquo mobile influxu reali describitur, mero hominum arbitrio fingitur, & sumitur, ergo &c. antecedens patet; nam successiuus Astrorum ab Ortu ad Meridiem influxus, & motus realis est, atq; realem post se relinquit effectum in inferioribus, vt superius ostensum est, iugiter enim semper agunt Astra in hæc inferiora; actio autem realis est: At è contra, quæuis linea, seu circulus accipiatur, qui non describatur à parte rei in natura ab aliquo mobile, mero hominum arbitrio ponitur, atque propterea omninò fictitius erit.

Pro cuius rei maiori intelligentia cauendum est; Quod cum quæstio sit de diuisione spacij, quod est inter finitorem, & Meridianum, tot modis fieri potest quæstio, vt supra dixi, & in alijs quoq; capitibus, quot modis duci possunt lineæ à finitore ad Meridianum, quæ quidem infinitis, prout in his circulis infinita assignari possunt puncta, à quibus sint ducendæ lineæ: Quapropter tota quæstio erit, quænam sint puncta, tàm in finitore, quàm in Meridiano, inter quæ ducendæ sint lineæ in proportionales partes, seu Cælestes mansiones diuidendæ; Sit igitur

Quinta Conclusio. Puncta in finitore, & Meridiano à quibus ducendæ lineæ, & in Cælestes mansiones diuidendæ, sunt puncta, in quibus Sidera oriuntur, & Cælum mediant.

Probatur primò ex dictis. Domus omnem suam actiuitatem, & consequenter qualitatem, & quantitatem habent à corporibus luminosis, vt probatum est; ergo hæc omnia habent ab eorum motu, & præsentia, tàm in angulis, quàm in

in interstitijs, ergo quantitas in mansiones domorum diuidenda est Siderum motus à puncto sui ortus, ad punctum mediationis Cæli, &c.

Secundò. Quæuis alia puncta sumantur, & ducantur lineæ inter ipsa, mero hominum arbitrio sumuntur, & ducuntur, nulloq; in natura fundamento reali, ergo &c.

Tertiò. Proportionales Astrorum distantiæ ad cardines, & domus sumi debent à puncto, & loco à quo distantiam inchoauerunt, ergo &c. Stultum quippe omnino videtur, ab vno puncto Sidera suam distantiam inchoasse, & eiusdem distantiæ quantitatem, & dimensionem ab alio puncto accipere per hominum arbitrium assumpto.

Quartò. Vna Domus est spacium, quod decurrit, & lustrat Sidus à puncto sui introitus in ipsam Domum, ad punctum exitus ab ipsa: ergo ab his punctis accipienda est illius domus quantitas; ergo etiam pari ratione trium domorum ab ortu ad Meridiem quantitas accipienda erit à puncto exortus, & mediationis Cæli, nimirum introitus, & exitus Astrorum ab ipsa quarta: Antecedens patet, nam vnius domus spacium est illud, in quo Sidus dum gerit moram, proijcit ad nos suos influxus ex natura illius domus; hoc autem non potest efficere Sidus, nisi dum est intra domum illam à puncto scilicet introitus vsq; ad punctum exitus ab illa, ergo ab his punctis sumenda est quantitas illius domus.

Sexta Conclusio. Prior Mundi diuisio fieri debet in quatuor partes. *Probatur primò* ex *Ptolemæo*, qui sæpius Mundi quartas alternatim vnam orientalem, alteram occidentalem constituit; diuersamq; naturam, & proprietates tribuit orientalibus, atq; occidentalibus, vt *cap. de signis masculinis, & fœmininis lib.* 1. *cap. de coniugio lib.* 4. *& alibi*. In rebus autem naturalibus à proprietatum, & naturæ diuersitate arguitur vera distinctio apud Philosophos.

Secundò. Astra latione diurna alterant quatuor prima corpora, quæ ab inuicem natura diuersa sunt; ergo, & situs vnde id præstant natura diuersi erunt; ergo in quatuor partes diurna Siderum latio est secanda.

Septima Conclusio. Hæ quatuor partes constituuntur, & definiuntur à duobus circulis maximis, finitore, & meridiano. *Probatur primò* ex *Ptolemæo*, qui inter cætera loca *cap. de locis Aphetitis*, nomine horoscopi non intelligit locum illum exorientis partis Eclipticæ, sed lineam, quæ ad nostrum aspectum emittit Sidera. *Quod cum horoscopo*, inquit, *ad lucem venit*, quæ linea est finitor orientalis; sed, & passim per totum opus liquet hanc esse *Ptolemæi* sententiam.

Secundò Probatur ratione: Et quidem non est difficultas de parte Signiferi horoscopante, quin dicatur esse in centro primæ domus, hoc enim ab omnibus conceditur; sed an Sidera in latitudinem deflexa dicantur esse in centro primæ domus, cum sunt in finitore, aut certè in longitudine exorientis partis Eclipticæ, vt contendit *Argolus*, Probamus nunc. A finitore constituuntur partes Eclipticæ in quocunq; puncto oriantur, ergo etiam Sidera in quocunq; puncto oriantur ab eodem finitore constituuntur ibidem: ratio disparitatis non apparet.

Dices: Agens, & patiens tunc magis virtute iuncta sunt, quando proximiora ad inuicem sunt, quam si remotiora sint; etenim intra sphæram actiuitatis

virtutis

virtutis fortior est ipsa virtus, quo proximior ad suum principium, & causam: Sed si sit Sol in Oriente Sidera, quæ per longitudinem cum ipso iuncta sunt proximiora illi sunt, quàm quæ cum ipso in eodem cardine, vt demonstrari facillimè potest; ergo huiusmodi Sidera cum Sole per longitudinem congressa si cominùs illi iuncta sunt, opus est in centro Orientis cum eodem esse. Vt in figura Tertia. Venus, quæ habet latitudinis borealis part. 9. in gr. o. signi ♓, orta est fere cum gr. 10. ♒ in puncto, m, horoscopi in quo gradu Aquarij si esset Sol in ipso horoscopo, vbi consequenter oriretur etiam Venus; magis ibi distaret Sol à Venere, quam distet in eadem longitudine in gr. o. ♓, sicut in ipsa figura exprimitur in qua magis distat à Venere punctum, m, quam Sol.

Validissima ratio hæc est, & insolubilis quoad illud, huiusmodi Sidera cum Sole proximius iuncta esse per longitudinem, quam si sint in eodem cum ipso circulo finitoris: Veruntamen non concludit huiusmodi Sidera esse in oriente, idest in linea horoscopi; quia respectus diuersi sunt in Mundo, & in signifero, iuxta ea, quæ aliàs tradidi. Et hinc oritur pulcherrima distinctio coniunctionis Astrorum in Signifero, quæ cum radijs in Signifero sumptis conuenit genere; & coniunctionis in Mundo, siue in circulis positionum horarijs, quæ cum radijs in Mundo acceptis genere conuenit; prout ego censeo, & suis locis docui: Cum hac tamen distinctione, quod Sidera in Signifero non dicantur esse iuncta, aut opposita, nisi sint intra sphæram suæ actiuitatis, quam definit *Ptolemæus* Veneri octo partium, Ioui duodecim &c. Non sic in Mundo, ibi enim iuncta sunt duo Sidera cum in eodem circulo positionis horario vna cõuenerit, quamuis longè ab inuicem propter diuersam declinationem absint: de qua re alibi dictum est.

Hinc apparet quomodo vera possit esse, & etiam falsa *Argoli* sententia: Nam duo Sidera sub Primo Mobile, seu dicamus in Signifero iuncta sunt, quando in eadem longitudine sunt, dummodo tamen secundum latitudinem vnum non distet ab alio vltra sphæram virtutis actiuæ; licet inde fiat, hæc sidera non esse in eodem circulo positionis horario: Quod si distiterint vltra sphæram virtutis, iuncta non sunt in Signifero; poterunt tamen iungi in circulo positionis.

Neq; dicas: Quæ sunt eadem ad inuicem, pariter se habent, & ad tertium quodlibet, cum non sit maior ratio vnius, quam alterius, quia eadem sunt: ergo quo modo se habet alterum horum ad tertium, & quod reliquum est pariter se habere ad illud necesse est: ergo si per longitudinem iuncta sunt, & in Mundo iuncta esse necesse est: atq; si alterum horum sit in cardine, quod reliquum est esse etiam in cardine opus est. Argumentum enim procedit de his, quæ in omnibus, & per omnia simul sunt; at quæ virtute iunguntur simul non sunt, tanguntur tantum virtutibus suis: & sequitur, vt tàm corpore, quam virtute aliter se possint habere ad tertium quodlibet: Immò amplius, contingit etiam, vt si vnum virtute tangat alterum, ab hoc illud minimè tangatur; si quod tangit maioris sphæræ virtutis sit altero, quod tangitur: fieri enim tunc poterit, vt quod minoris est virtutis, sit intra sphæram eius, quod est maioris, & propterea patiatur ab illo; at reagere in illud non possit, quod sua virtute,

quæ

quæ sphæræ minoris est,ipsũ nõ tangat. Quæ distinctio cauenda est,sæpissimè namq; in hac disciplina contingere solet.

Tertiò Probatur. Partes Mundi debent constitui, & definiri secundum, quod Astra diuersas luminis passiones in ipsis partibus acquirunt, qua diuersitate diuersas qualitates suscitant; sic enim distinctio realis est, quia diuersi effectus diuersitatem causæ, aut saltem virtutis actiuæ arguunt; nam idem secundum, quod idem est, idem efficit; & contrariorum contrariæ causæ, prout habet *Aristoteles diffusè 2. generat. à text. 55.* At verò Sidera diuersas, & contrarias luminis passiones acquirunt à circulis finitoris, & Meridiani; inde enim accedunt, & recedunt ad nos; atq; ad contrarios motus conuertuntur, quibus passionibus diuersas, & contrarias qualitates afferunt, vt ibidem ostendit Philosophus: nam ab ortu ad Meridiem scandunt, & lucent; inde ad occasum descendunt, & lucent: mox ad imum descendunt, & latent; hinc tandem ad ortũ ascendunt,& latent: vnde fit vt Mũdi cardines diuidant Siderum lationes,prout in ipsis Astra ascendunt, vel descendunt, apparent, vel latent. Ergo quatuor Mundi plagæ non nisi à finitoris, & Meridiani circulis sunt dispertiendæ.

Quarto Probatur. Duæ sunt Astrorum lationes, vna in Signifero, altera in Mundo erga tellurem; vbi non magis in vna, quam altera, lumine, & eius diuersis modis agendi influunt in hæc inferiora: at verò in Signifero diuersam virtutem acquirunt pro eo, quod lumen augent, vel diminuunt, & pro eo quod magis apparent, vel latent: vt efficit Sol, qui dum diutius supra finitorem, quam subter manet,& auget dies; humiditate,& calore Vernum tempus affert: dum dies minuit; calore, & siccitate Æstatem: dum diutius sub terra, & auget noctes; siccitate, & frigiditate Autumnum: dum minuit noctes, frigiditate,& humiditate brumam: Ergo pariter ratiocinandum de lationibus erga tellurẽ, idest in Mundo; itaut Sol ab ortu ad Meridiem, vbi auget lucem, Verni qualitates afferat; hinc ad occasum, vbi minuit, Æstatis; mox ad imum vbi auget tenebras, Autumni, tandem ad ortum, vbi minuit, Hyemis: Sic, & reliqua Sidera suis vnumquodque qualitatibus efficere censendum est. Hæc autem doctrina est communis, & grauissimorum Auctorum, *vt Galeni, Ptolemæi*, & colligitur etiam ex *Aristotele* loco sæpius citato, vbi causas perpetuitatis generationis, & corruptionis inuestigat: & nil aliud assignat,nisi luminis accessum, & recessum. *Videmus enim*, inquit, *quod adueniente quidem Sole generatio est, recedente autem corruptio &c.* rursus, *si in adueniendo, & prope esse generat, & in recedendo, & longè fieri id ipsum corrumpit*, prout efficit Sol in Anno: tandem, *& si in sæpe adueniendo*, idest lationibus diurnis, quæ sæpè fiunt, nam quæ in Anno nõ sæpè, *generat, & in sæpe recedendo corrumpit, contrariorum enim contrariæ causæ &c.* Cum igitur diurni Siderum accessus, & recessus, propè esse, & longè, atq; contrarij motus non nisi à finitore, & Meridiano separentur; euidenter fit ab his circulis Siderum diurnas lationes primum diuidi.

Stantibus sic rebus, reijcitur *primò* diuisio Signiferi in duodecim partes æquales, circulis per Polos eiusdem ductis, quorum primus per gradum Eclipticæ Orientem transeat; quia huiusmodi diuisio est inconstans, nec diuidit luminis passiones; atq; propterea neq; primas qualitates, quæ inde oriuntur; & consti-

tuit

tuit ſupremum cardinem extra circulum, qui vertici incumbit contra *Ptolemæi* doctrinam omnemq; rationem ſupra allatam.

Secundò reijcitur, diuiſio paralleli ad Æquatorem exorientis gradus Eclipticæ, circulis per Polos Mundi; ob eaſdem ferè rationes.

Tertiò reijcitur, diuiſio portionum Signiferi inter cardines interceptarum; quia incoſtans, & perpetuæ mutationi obnoxia.

Quartò reijcitur, ſententia quarto loco expoſita, quæ manifeſtam contradictionem in ſe ipſa continet; aſſumit enim circulos poſitionũ; veruntamen Eclipticæ partes non ponit in domorum centris, niſi ſecundum horaria tempora: quę cum poſitionum circulis non cohærent, vt notum eſt: ergo tanquam inanis omnino abijcienda eſt hæc opinio.

Quintò reijcitur, diuiſio Æquatoris circulis poſitionum peracta: & ratio validiſſima eſt: ſic domus extra Æquatorem non ſunt æquales, & proportionales, vt oſtendam, & vltrò concedit *Maginus Cap. 24. ſuarum Tabular. Primi Mob.* adeout Sidera extra Æquatorem ab his ſectionibus non intueantur Cardines; nullam enim quocumq; modo ſpectare velis proportionem ad Cardines habent, vt præ cæteris omnibus infirmior ſit hæc domorum partitio. Ad rerum autem maiorem intelligentiam

Cauendum eſt *primò*. Quod, & ſupra dixi. Cum domus ſint proportionales diſtantię ab vno ad alium cardinem, tot modis à nobis ſpectari poſſe huiuſmodi diſtantias; quot modis duci poſſunt lineæ ab vno ad alium cardinem; cum verò nouæ ſemper, & aliæ in infinitum duci poſſint, hinc tot diſcrepantium ſententiarum modi prodierunt.

Secundò. Cum domus ſint ſpacia quędam prædita longitudine, & latitudine: in longum quidem Auctores primùm diuiſerunt circulum vnum principalem, prout cum ſententijs relatum eſt: mox ductis circulis ab his punctis ad Boream, & Auſtrum conſtituerunt cæteras domorum longitudines ad intra latitudinem ſumptas diuiſione parallelorum ad primum circulum diuiſum, quorum parallelorum centrum, vt plurimum ſtatuerunt punctum illud, tam in Auſtro, quàm Borea, vbi omnes circuli domorum conueniunt: Vt exempli gratia, qui diuidunt verticale m, à punctis diuiſionis huius circuli, ducunt circulos poſitionum per commiſſuras finitoris, & meridiani; & ſit, prout animaduertit *Naiboda*, quod proportionaliter appareant diuiſę omnes lõgitudines ad intra latitudinẽ, nimirum omnes paralleli erga hunc circulum verticalem: quapropter Sidus quacunq; latitudine abſit ab illo verticali eamdem proportionẽ habet à centris domorum ad cardines, quam haberet in ipſo verticali, licet parallelus cui inſidet Aſtrum ſit quãtitate minor ob rationem ad eodem *Naiboda* ſubtiliter allatam: quod nimirum ad permutatam figuræ quantitatem non ſit opus permutari qualitatem; vt coluri non minus diſiunguntur quadrante prope Polos, quã in Æquatore: in caſu item noſtro ſicut ſe habet ad totum circulum portio circuli verticalis inter Vndecimam domum, & finitorem orientalem intercepta, ſic, & ad totum parallelorum portio cuiuſq; paralleli intercepta, inter circulum poſitionis eiuſdem Vndecimæ domus, & finitorem orientalem; erit autem vtraque portio ſexta vtriuſq; circuli pars: nihil enim refert circulos quantitate

dissimiles esse; satis est similiter se habere vnamquamq; portionem ad totum suum circulum: Sic, & qui diuidunt Signiferum ducentes circulos per Polos eiusdem, diuidunt parallelos ad Eclipticam cum eadem proportione. Hoc autem accidit in vtroq; exposito modo non ob aliam rationem, nisi quia circuli Domorum ab Austro ad Boream conueniunt in centro maioris circuli ad diuisionem assumpti: & hoc est illud in quo deficit diuisio Æquatoris relata; quæ cum non ducat circulos positionum per Polos Æquatoris, quem primò assumit diuidendum; fit vt paralleli ad Æquatorem non appareant proportionaliter diuisi, prout in sphæra facillimè demonstrari potest; & sequitur, vt domus extra Æquatorem non seruent proportionem, & æqualitatem, quod inconueniens est, sed neq; aliam proportionem seruare videtur hæc diuisio extra Æquatorem, quocumq; modo proportionem, & diuisionem accipiamus; vt merito præ omnibus modis infirmior censeri debeat hæc domorum diuisio.

Dices primò. Extra Æquatorem domus non teneri ad proportionē, & æqualitatem; sed sufficere æquales, & proportionatas esse in ipso Æquatore; quia ipse est circulus maximus, & regula motus Primi Mobilis: deinde necessarium videtur duci circulos magnos per commissuras finitoris, & meridiani, eo quia mundi quartæ ab huiusmodi commissuris dispertiri incipiant, & per circulos magnos separentur in latum; sic & partes intermedias per circulos magnos constitui debere par ratio suadit.

Dices secundò. Extra Æquatorem domus seruant proportionales distantias ab angulis super circulos positionis; eo quia paralleli ad circulum verticalem appareant proportionaliter diuisi ab eodem circulo positionis. Puta, sit Sol sub Æquatore in centro Vndecimæ domus; Sidera cuiuscumq; sint declinationis, quæ super circulum positionis Vndecimæ domus sunt, seruant ad cardines proportionales distantias eo modo quo seruat Sol: nam ductis per corpus Solis, & per corpora illorum Siderum circulis, qui sint ad Verticalem paralleli, comperientur huiusmodi paralleli proportionaliter diuisi: quo eodem fundamento censentur Prorogatoribus iuncti occursantes per Directionis motum, vbi ad illorum circulum positionis peruenerint.

Ad primum respondeo ex dictis, Domus nimirum teneri ad æqualitatem etiam extra principalem circulum assumptum ad diuisionem; vt scilicet vndecumq; Sidera, in Domorum centris reperta, seruent proportionales distantias. Cæterùm negamus duci debere circulos magnos per commissuras finitoris, & meridiani ob paritatem rationis: hi enim circuli constituunt mundi quartas, quia in ipsis Astra permutant illuminationis modum, atq; modum influendi: paritas autem rationis suadit, vt in singulis quartis id assumatur diuidendum, per quod vna quarta differt ab alia; est verò integer illuminationis modus, modusq; influendi.

Ad secundum Respondeo, Quod hoc pacto diuisio Æquatoris per circulos positionum mixto se habeat modo à natura semper excluso: Ex vna enim parte assumitur diuidendus Æquator; ex altera proportionales distantiæ comparantur in parallelis ad Verticalem illum, qui modi diuersi sunt, & posterior adhæret sententiæ diuisionis Verticalis, quæ & ipsa naturalis non est, vt ostendam.

Hic

Hic ergo dicendi modus inuoluit contradictionem; nam si in Æquatore assumimus proportionales de eodem partes pro domorum distantijs ab angulis, extra Æquatorem cur accipere volumus proportionales partes parallelorum ad Verticalem? aut enim vti debemus vna diuisione, aut altera; vtraq; non licet, quia discrepant. Tandem Sol, exempli gratia sub Æquatore in Vndecima domo distat ab ortu sexta Æquatoris parte; aliud Astrum sub circulo verticali in eodem cum Sole positionis circulo nō distat ab ortu sexta parte de ipso Verticali, vt demonstrari potest in sphæra, sed neq; si alio quocumque modo eius ab ortu distantiam accipias: non potest igitur huiusmodi Sidus dici esse cum Sole in eadem domo.

Reprobatur adhuc huiusmodi sententia. Æquatoris circulus vel assumitur diuidendus *primò*, quia sit circulus magnus: vel *secundò*, quia huius circuli diuisione appareant æqualia inter se domorum spacia; vel *tertiò*, quia sit regula motus Primi Mobilis; vel *quartò*, quod sit via motus Astrorum, quæ sub ipso sunt; vel *quintò, & vltimò*, propter hæc omnia simul: alia ratio non apparet. Et *prima* quidem non sufficit, adsunt enim plures alij circuli magni, quorum nisi adsit alia ratio cur vnus altero magis sit ad diuisionem assumendus, dignior ad hanc rem non apparet. Neq; *secunda ratio* sufficit, quin immo infirma est, vt ostendi: & diuisione aliorum circulorum domus item apparent æquales. *Tertia ratio* non sufficit: nam Primi Mobilis motum æquè benè supputamus in quolibet parallelo ad Æquatorem, ac in ipso Æquatore; pari enim passu progrediuntur partes Æquatoris,& partes cuiusuis ad illum paralleli:vt & *Naiboda* concedit, & de se perspicuum est: Deinde Æquator est regula motus Primi Mobilis in ordine ad nostram cognitionem tantum, nihil enim influit in Primi Mobilis motum Æquator. Si ob *quartam rationem*, sequitur, quod si ad domorum distributionem accipiamus Siderum motum sub ipso Æquatore, pari ratione, & extra Æquatorem quoq; Siderum motum accipere debeamus. Si *propter omnes rationes simul*, cum includant motum Siderum, & regulam motus Primi Mobilis, sequitur,vt domus æquales esse debeant etiam extra hunc circulum, in alijs etiam circulis, qui & regula sint motus Primi Mobilis, & motu Siderum describatur, sicut sunt paralleli ad Æquatorem; tùm quia sicut diuiditur Æquator, quòd sit via motus Astrorum, sic diuidendi sunt cæteri circuli, qui viæ sunt motus Astrorum, cuiusmodi sunt paralleli ad Æquatorem.

Sextò, & vltimo loco reijcitur Diuisio circuli verticalis,qui per ortum,& occasum Æquatoris transit: Quæ quidem diuisio proportionalis est, & vbiq;& permanens semper: Verumtamen non est naturalis hæc diuisio, & ostenditur

Primò: quia non diuidit Astrorum motum, & influxum, sed aeris plagas.

Secundò, proportionales distantias domorum non accipit à terminis motus Astrorum a quo, & ad quem, sed à punctis parallelorum illorum, qui nullum habent esse reale, & naturale, nisi tantum per intellectum nostrum.

Tertiò. Astrorum cum Ascendente coniunctio fit in puncto eorum exortus, diameter in puncto eorum occasus, ergo intermediæ proportionales distantiæ non fiunt à punctis parallelorum illorum, in quibus non oriuntur, neq; occidunt Astra: stultum autem est accipere distantias motus ab alijs, quam à pun-

ctis

ctis inceptionis, & desitionis, quæ sunt in terminis à quo, & ad quem ipsius motus; vt puta quis ab Ostia Tiberina petit Vrbem, inter quas mediant nouem milliaria, vt ergo deambulauit tria milliaria, nonne stultum esset affirmare reperiri tunc in media distantia, eo quod a loco vbi tria milliaria expleuit absit ab Ostia per aliam viam lõgiorem sex milliaribus? vtiq;. Mobilium ergo distãtiæ accipi debent ab ipsis terminis motus eorumdem, à quibus inceperunt influere, & motu augere suas distantias, vsq; ad proportionales, omneq; lationem. Vt autem id melius percipiatur sit

Octaua Conclusio. Domorum partitio, vt naturalis sit fieri debet per binas temporales horas locorum, & Siderum; idest proportionali diuisione motuũ, seu dicamus arcuum mobilium ab vno ad alium cardinem. *Probatur primò* ex *Aristotele*, qui 4. *phys.* 113. hæc habet, *mensuramus magnitudinem motu, & motu magnitudinem, multam enim dicimus esse viam si ambulatio multa sit, & hanc multã si via multa sit: & tempus, si motus; & motum, si tempus*; distantiam ergo mobilis mensurat eiusdem mobilis motu, & tempore ipsius motus.

Dices: *Aristotelis* locus allegatus impertinens est ad rem nostram: assignat enim ibi Philosophus modum, quo nos metiri possimus quantitatem, motum, & tempus; nimirum singulis singula, eo quia vnum aliud includat, & concomitetur; non quod dum mobile mouetur metiatur, constituatq; exactæ quantitatis, & temporis proportionales distantias. *Respondeo primò*, nostram cognitionem temporis, motus, & expletæ quantitatis posteriorem esse, & a mobilis motu, tanquam à causa, & obiecto pendere; cognitio namq; nostra si res fingat, quæ in rerum natura, seu in causis non sint, frustra id omninò, & mero arbitrio inaniterq; præstat, nec verum esse potest, cum non sit ens reale; veritas enim penes tantum ens reale: *Aristoteles* autem præsupponit, quod magnitudo, motus, & tempus præcedant nostram cognitionem, quamuis eorum singulis ad mensurandum vtamur, quia nobis fortasse notioribus: Etenim re vera ante omnem nostram cognitionem Mobile mouetur, efficit tempora &c. *Respondeo secundò*. Modus agendi in ipso agente est, quatenus quidem actio ab agente fluit: Stultum quippe videtur passiuum velocitatem, & proportionales distantias a Petro fieri asserere, gressus autem a Paulo, itaut non Paulus qui mouetur, velociter, aut lentè progrediatur, & proportionales distantias efficiat; sed Petrus, qui stat. Igitur Mobile progrediendo ab vno ad alium cardinem verè, & realiter metitur interceptum spacium, & constituit omnes distantias, tam proportionales, quàm improportionales. Cæterùm nobis datum est, deinde posse tantum agnoscere huiusmodi dimensionem, & distantias, non definire.

Dices: Hinc sequitur intuitus non proijci nisi ab illis mobilibus, quæ & in se, & ad se se mouentur; itaut fixæ se se inuicem intueri dici minimè possint; quod falsum esse lumen, quod emittunt demonstrat: est enim intuitus proportionalis distantia corporis luminosi &c: ergo & id vnde sequitur falsum erit. Et confirmatur: Signa dicuntur ad inuicem se se intueri, cum tamen ad inuicem non moueantur, sed permaneant semper in eadem ad inuicem configuratione, & habitu. *Respondeo* verissimum esse intuitus non reperiri nisi inter duo mobilia,

quæ

quæ ad inuicem distantiam motu permutent; vnde concedo fixas se se inuicem non intueri; emergeret enim radiorum inter eas inextricabilis confusio; sed & cum sint perpetuò permanentes hæ irradiationes, fixæ iam non à propria natura lumini inserta reciperent qualitatem agendi, sed misceretur cum natura cæterarum fixarum intuentium, quod falsum est. Cæterum lumen, quod fixæ ad inuicem proijciunt est quale Planetarum in coniunctis locis. Signa se se inuicem non intuentur, sed errores in ipsis inuenti: nam Leonis signum calidissimum est, licet Aquarius ei opponatur frigidissimus, & Scorpio de quadrato illud aspiciat, qui & ipse frigidissimus est: diametro verò, & quadrato Planetæ quā vehementer suam communicant naturam, ex communi sententia: vt Saturnus his radijs cum luminaribus summum infert frigus, Mars calorem &c: *Ptolemæus* autem fixarum tantum præsentiam, & coascendentiam spectat, quod & radios, non apparet.

Secundò. Probatur ratione. Tunc æquales sunt domus cum æquali temporis mora in singulis domibus moram gerunt Astra; ergo per binas temporales horas dispertiri debent: antecedens patet; nam Astra influunt nobis successiuè semper, & incessanter; quod si maiori tempore influant nobis ab vna domo, minori ab alia, iam non sunt æquales mansionum portiones.

Tertiò. Sidera secundum hanc distributionem ex centro Vndecimæ domus respiciunt horoscopum de sextili; ex decima de quadrato, ex nona de trigono, iuxta *Ptolemæi* præcepta; quod non fit in alijs diuisionum modis; ergo naturalis est mea hæc distributio, & præceptis *Ptolemæi* consona: antecedens patet; nam Sidus in centro Vndecimæ domus repertum, est in tertia parte distantiæ ab ortu ad occasum; in decima est in media distantia; in nona est in duabus tertijs, ergo &c: Quod non accidit in alijs domorum distributionibus, vt patet, & etiam ostensum est.

Dices: Neq; per binas temporales horas domus æquales sunt: nam extra Æquatorem, versus Boream apparent maiores supraterraneæ, quam subterraneæ, è contra ad Austrum, ergo &c: Pulcherrima sanè difficultas, quæ clarius quidem alibi patet. *Respondeo tamen primò*. Quod inter domus requiritur æqualitas tantum in eodem Emisphærio; habita nimirum prius partitione Mundi in quatuor quadrantes; aut saltem in Emisphærium superius, ab inferiori ob rationes supra allatas: Quoniam verò Emisphærium superius ab inferiori non differt qualitate figuræ, licet differre possit quantitate, prout fieri posse subtiliter ratiocinatus est *Naiboda*: tum quia Sidera, quamuis minorem circulum ambiant latione supra terram, quam sub terra, aut è contra; nihilominus tamen integras Mundi quartas lustrent; tùm etiam quia Siderum velocitas in lustrandis quartis non minuat effectum, & eius intensionem; vt experimur in Luna, quæ cæteris omnibus multò velocius lustrat Signiferi quartas, & longè minori circuitu, & tamen non minus cæteris affert temporum qualitates; non ob aliā rationem, nisi quia ad integritatem influxus sufficit integritas illuminationis quartæ; quod si quarta quantitate minor est, aut velocius illustretur, nihil refert. Hinc fit, vt non minus Astra producant suos effectus in quartis minoribus, aut velociori motu illustratis, quam in maioribus, aut tardiori motu.

Cum

Cum verò domus dispertitæ per binas temporales horas, sint partes proportionales quartarum, fit vt secundum influxum æquales sint omnes ad inuicem, etiam si quantitate extensionis, nimirum Arcus sint inæquales in Hemisphærijs. Quo eodem fundamento videtur mihi immobilis permanere Prorogator in Mundo, idest in circulo positionis horario, quamuis ad partes sub Primo Mobile maioris, vel minoris arcus accedat per Directionis motum, vt *cap.* de Immobilitate Prorogatoris dixi.

Respondeo secundò. Hanc difficultatem militare contra omnes domorum distributiones, præter quam in diuisione Verticalis; quæ tamen diuisio non est naturalis ob rationes supra allatas.

De Familiaritatibus in Mundo.

CAPVT OCTAVVM.

DIstantias illas proportionales, quas efficiunt Astra à quibusuis definitis terminis motus horarij, seù raptus, & vniuersalis, qui fit ab Ortu ad Occasum, esse veras, & efficaces familiaritates, tàm erga ipsos terminos, quàm erga ipsa Sidera *cap.* 1. demonstratum est. Quoniam verò à nemine præteritorum temporum huiusmodi familiaritates vnquam fuerunt exhibitæ, neq; in vsum assumptæ, inquirendum superest, tùm formaliter quid sint ad earum maiorem intelligentiam, tùm materialiter quomodo sint accipiendæ ad euacuandas omnes difficultates.

Familiaritas in Mundo formaliter nihil aliud mihi videtur esse, nisi proportionalis Astrorum influxus secundum motum circa Mundum. Dico primò quod sit [proportionalis influxus], quia omnis influxus, vt sit familiaritas efficax requirit proportionem, vt alibi dixi: & hæc particula stat loco generis.. Addo [secundum motum], vt excludam radios Regiomontani, & eorum, qui cum accipiant radios ex distantia situs, non motus, describunt enim radios suos in orbem, & in circulis non ex motu, & per motum; ideò non efficiunt reales, & efficaces familiaritates. Tandem particulæ, [secundum motum] adieci, [circa Mundum] ad differentiam alterius generis familiaritatum, quod fit secundum motum in Zodiaco: duo enim sunt motus Astrorum, primus est in Zodiaco particularis cuiq; Planetæ, & fit ab occidentalibus Signiferi partibus ad orientaliores partes eiusdem: alter est circa Mundum ab Ortu ad Occasum, & dicitur motus raptus, & vniuersalis. Cum verò Sidera influant his duobus motibus, vt dixi, tunc influxus in vtroq; motu fit efficax familiaritas, quãdo est proportionalis. Hæc de definitione.

Cæterùm in accipiendis radijs huius generis, neq; attendenda est longitudo, neq; latitudo Siderum, sed tantum arcus eorum semidiurnus, & seminocturnus, ex quorum proportionali diuisione emergunt radij in Mundo: Dixi non esse spectandam longitudinem, aut latitudinem, quia radij in Mundo non fiunt

secundum

secundum longitudinem, & latitudinem Zodiaci: attamen ad accipiendum arcum semi diurnum, & seminocturnum Siderum vti debemus eorum longitudine, & latitudine, ex quibus emergit declinatio, ex declinatione differentia ascensionalis, ex qua habetur arcus semidiurnus, vel seminocturnus, cuius proportionali diuisione fiunt proportionales distantiæ Siderum ab ipsis domibus, & angulis, quas distantias puto ego esse radios in Mundo. Vt verbi gratia, Ascensioni obliquæ Sideris si addatur tertia pars eius arcus semidiurni, quando summa hæc ex ascensionibus obliquis oritur in horoscopo, Sidus est in centro duodecimæ domus, & in sextili ad culmen: aut si detrahantur duæ è tribus partibus eiusdem arcus semidiurni ab ascensione recta eiusdem Sideris; quando residuum est in culmine ex ascensionibus rectis, Sidus item est in duodecima domo sicut prius: & sic de reliquis radijs, & domibus, quemadmodum alibi dictum est.

Difficultas autem in hoc genere radiorum grauissima, quæ militat contra plura capita mearum rerum, maximè contra præsens, & contra distributionem 12. domorum, est; Quod radij Siderum ab Æquatore declinantium non sunt æquales supraterranei subterraneis; quia non sunt æquales ipsæ quartæ motus Astrorum, seù arcus eorum semidiurni, quartis, seu arcubus seminocturnis; ergo neq; domus, neq; radij superioris Emisphærij æquales sunt domibus, & radijs inferioris: Et sequitur, vt radij, siuè in eodem Emisphærio, siuè ex vtroq; mixti, non possint esse proportionales; quod si non proportionales, ergo neq; efficaces.

Oportet autem meminisse eorum, quæ *lib. 1.* tùm etiam *cap. de Domibus* dicta sunt, scilicet influxum Siderum circa Mundum necessariò diuidi primùm, & principaliter in quatuor partes ex reali distinctione diuersi modus influendi; idest ex ascensione, & descensione; apparitione, & occultatione: & sequitur, vt fiat diuisio à duobus circulis meridiano, & horizonte: nam meridianus diuidit ascensum, & descensum, finitor apparitionem, & occultationem; eo prorsus modo, quo in Zodiaco puncta tropica, & æquinoctialia diuidunt accessum, & recessum, prope & procul esse, vt *ait Aristoteles*. Quare sit

Prima Conclusio. Omne Sidus in centro horoscopi est in oppositione Occidentis; & in centro Occidentis est in oppositione horoscopi: Rursus in centro culminis est in oppositione Imi, & in centro Imi est in oppositione culminis. Hæc non indigent probatione.

Secunda Conclusio. Quodlibet Sidus, & cuiusuis declinationis, ab his quatuor punctis assignatis constituit erga quemlibet horizontem cuiusuis puncti telluris quatuor angulos pares, idest rectos.

Probatur. Super lineam ductam à puncto ortus Astri ad punctum occasus eiusdem linea descendens à puncto eius culminationis ad Imum est perpêdicularis; ergo in communi sectione hæ lineæ constituunt angulos pares rectos. Et confirmatur: nam circuli paralleli ad Æquatorem in punctis sui ortus, & occasus æquè distant, seù ab vna, seù ab vtraq; communi sectione finitoris, & meridiani: ergo quælibet linea a meridiano ad Imum ducta efficit angulos rectos super lineam ductam ab ortu, & occasu paralleli. Vt in figura Quarta

puncta ortus, & occasus Iouis sunt a, b, à quibus ducta recta; quælibet linea à meridiano descendens ad Imum angulos rectos cum ipsa constituit in puncto medio h; Similiter accidit parallelis Tropicorum in punctis i, l,

Tertia Conclusio. Sidus in culmine,& Imo iacit quadratū ad Ortum, & Occasum: & vicissim in Ortu, & Occasu iacit quadratum ad culmen, & Imum.

Probatur primò. Hæc conclusio ex præcedenti conclusione: nam iuxtà communem Professorum sententiam quadrati efficiunt angulos rectos in centro, & ostensum est *lib.* 1. Sed ab his quatuor punctis efficiunt angulos rectos in centro: ergo efficiunt quadratos.

Secundò probatur. Sidera à culmine, & Imo iaciunt quadratum ad Ortum, & Occasum, ergo etiam ab Ortu, & Occasu iaciunt quadratum ad culmen, & Imum. Antecedens sæpius demonstratum est; nam in illis punctis sunt in media distantia ab Ortu ad Occasum: media autem distantia à coniunctione ad oppositionem constituit quadratum ex *Ptolemæo cap. de radijs Zodiaci*. Consequens verò illud probatur: radij sunt distantiæ correlatiuæ, itaut si terminus A, sit in quadrato ad terminum B, necessariò terminus B, erit in quadrato ad terminum A, ergo si culmen,& Imum sunt in quadrato ad Ortum,& Occasum, etiam Ortus, & Occasus erunt in quadrato ad culmen, & Imum.

Tertiò. Influxus Astrorum ab Ortu ad Meridiem de communi Professorum sententia est similis influxui ab Ariete ad Cancrum;à culmine ad Occasum similis influxui à Cancro ad Libram, et cæt. de reliquis: sed hæc signa sunt in quadrato ad inuicem, ergo etiam cardines Mundi.

Dices. Nihil refert hæc similitudo, neq; correlatiua distantia cardinum, neq; æqualitas angulorum rectorum in centro; adhuc enim inæquales sunt arcus motus Astrorum diurni à nocturnis. Cum verò assumantur huiusmodi arcus ad constituendos radios, radij efficaces esse non possunt,quia inæquales, & improportionales. *Responsio* patet ex sequentibus.

Quarta Conclusio. Non est opus, vt arcus motus Astrorum sint æquales ad inuicem ad hoc vt sint æquales, & proportionales eorum radij, seu influxus.

Probatur primò. Prima diuisio influxus Astrorum in quatuor partes non fit ex æqualitate puræ quantitatis, sed ex finibus diuersi modi influendi, qui fines, sicut dictum est,constituuntur a duobus circulis Meridiano, & horizonte; & sequitur, vt non æqualitas, seu proportio Mathematica, sicut sæpius in toto opere demonstraui, sed æqualitas, & proportio physica sit efficax: nam qualitates naturales actiuæ non pendent a quantitate quatenus quantitas est, ergo neq; ab illius diuisione, vel æquali, vel proportionali: sed cum pendeat ex qualitate modi influendi, sequitur, vt & proportionales, & efficaces gradus qualitatum pendeant ex proportionali influxu, & modo influendi, & non ex æquali, & proportionali diuisione puræ quantitatis.

Secundò. Maior, vel minor distantia Siderum à subiecto passibili, quod tanquam in cetro influxum Astroru censetur esse,nihil refert;sed neq; aliquid refert maius, vel minus tempus, quod impendunt Sidera in ipsis lationibus, ad æqualitatem influxuum, & radiorum: ergo siue Sidera circumuoluantur eminus, siue cominùs; aut velociùs, vel tardius, nihil refert ad complementum influ-

xuum

xuum: quia complementa influxuum distinguuntur à quatuor locis cardinalibus, tàm in Zodiaco, quàm in Mundo, sicut ostensum est. Antecedens euidentissimè demonstratur, primò in diuersis Astris, puta in Saturno, & Luna; nam Saturnus longissimè circumfertur, Luna quamproximè circa terram; attamen pares habent vires Saturnus, & Luna in suis vterq; qualitatibus. Saturnus ab Ortu ad Meridiem, & Occasum, & iterum ad Ortum citiùs rapitur, tardiùs Luna, quæ nonnunquam magis, quàm integra hora tardiùs. E contra Luna totum Zodiacum triginta ferè diebus, Saturnus totidem annis lustrant; attamen eorum influxus non complentur, neq; terminantur nisi in finibus cardinum, & quartarum, tàm Mundi, quàm Zodiaci, prout demonstratum est *lib.* 1. & communis videtur Professorum sententia. Secundò demonstratur Antecedens illud in vno, & eodem Sidere: nam Luna, & vniuersaliter omnis quiuis Planeta ratione Eccentrici, aut etiam Epicycli, modo remotissimè, modo quam proximè circa terram vehuntur, & modo velociori motu, modo tardiori, modo etiam regrediuntur; itaut Luna compleat quartam Zodiaci aliquando sex ferè diebus, nonnunquam octo; quam tamen differentiã nihil referre differentiæ in influxu patet experimento in ipsis Crisibus, & diebus decretorijs. Retrocedentes verò Planetæ sanè diutius permanent in ea quarta in qua sunt; attamen potiùs de suo influxu remittunt; sicut docet *Ptolemæus cap. finali lib.* 1. *& alibi*: & non ob aliam rationem, nisi quia reuertuntur à gradibus influxus, & ab eius complemento, quod non nisi in fine quartæ, idest in puncto cardinali contingit. Vt exempli gratia, in figura septima, siue planeta moueatur in circulo a b c d, siue in circulo e f g h, siue in tertio i l m n, siue in quolibet alio quocunq; modo eccentrico; qui omnes diuersimodè dispertiuntur a duabus illis lineis rectos angulos constituentibus, quæ Meridianum, & horizontem repræsentant: omnis quæuis portio horum circulorum respectu centri continet quadrantem circuli, & non magis, nec minus: nihil proinde refert, siue planeta velociùs, siue tardiùs ab vno ad aliud punctum cardinale moueatur, & siue cominùs, siue eminùs; nam ad permutatam figuræ quantitatem non est opus permutari qualitatem: Quia si quis metiri voluerit spacia horum motuum, licet inter se differant, & secundum distantiam, & secundum quantitatem motus, vt ibi apparet, omnia tamen spacia quadrante metietur comparatione ad communem sectionem lineæ meridiani, & horizontis.

Ex quibus omnibus sequitur, quod licet arcus semidiurni sint inæquales à seminocturnis, siue eiusdem Sideris, siue diuersorum, nihil tamen inferre diuersitatis inter radios, siue eiusdem Emisphærij, siue diuersi: Omne enim Sidus à culmine respicit Ortum, & Occasum, & omnia ibidem inuenta Sidera quadrato radio, & vicissim quadrato ab his respicitur; respicit trigono domum secundam, & sextam, & omnia ibidem reperta Sidera, & è contra, ab his trigono respicitur: & pari modo de reliquis domibus censendum. Et hæc adeo mihi probantur ita se habere in ipsis rebus naturæ, vt nisi mihi concedantur, totam scientiam de Sideribus tanquam inanem, mendacem, & confusione plenam missam faciam.

In genere familiaritatum in Zodiaco post radios ibidem egi de Parallelis:

cum verò etiam in Mundo excogitauerim Parallelos re, & ratione esse efficacissimas familiaritates, de his placuit seorsim agere prout *sequenti cap.*

De Parallelis in Mundo.

CAPVT NONVM.

PArallelum in Mundo, distantiam illam esse censeo, quam parem habent ab eodem cardine duo Sidera vltrò citroq; manentia; hoc est accedente vno, recedente altero ab ipso cardine: & parallelum primarium, seu eiusdem potentiæ voco, qui pari distantia fit à cardine recto: secundarium qui fit à cardine obliquo, in quo casu Sidus diurnum, idest supra terram existens imperat nocturno, idest sub terram manenti, & hoc illi obedit. Vt si sit Iuppiter in cuspide Vndecimæ Domus, & Mars in cuspide Nonæ, pariter ambo distant à circulo recto culminis, & ideo in eodē parallelo primario eos dico esse. Itē si sit Mercurius in Octaua Domo, & Mars in Sexta, quia pariter ambo distant ab Occasu, puto esse in parallelo secundario & Mercurius, quia supra terram est, seu diurnus imperat Marti, & Mars obedit quia sub terram est, & nocturnus.

Et equidem præuideo Mathematicarum rerum Professores ad primum huius capitis intuitum proculdubio fore, si vnquam à me superius exhibitas inuentiones despexerint, vt hanc parallelorum in Mundo vehementer etiam irrideant: nam huiusmodi paralleli, nec ex *Ptolemæi* doctrina colligi posse videntur, neq; ex dictis alicuius fide digni grauium Auctorum: quare licet tanquam dementis insomnia fuerint paruipensi, non proinde tamen, aut querar, aut dolebo, dummodo rationes interim, & experientiæ non minus notabiles, quam euidentissimæ, quas afferam, diluantur. Vt autem essentialem de huiusmodi parallelis in Mundo conceptum, humanissime Lector, pleniùs arripias, eorum definitionem ne graueris prius accipere.

Prima Conclusio. Parallelus in Mundo nihil aliud est, nisi æquipollentia influxus Astrorum circa Mundum. Duplici motu, & illuminatione, vt sæpius docui Sidera influunt in res inferiores; idest, & sub Primo Mobile, & circa Mundum. In Primo Mobile præter alias familiaritates Astra efficiunt parallelum, quem dixi esse æquipollentiam influxus Astrorum à Primo Mobile: nam vbi Sidera parem intensionem qualitatum attingunt eundo, & redeundo à punctis cardinalibus Zodiaci, quæ sunt duo puncta Tropica, & duo Æquinoctialia, vt dictum, & ostensum est *cap. 6.* efficacem familiaritatem contrahunt, quam parallelum in Primo Mobile vocare de congruo placuit. Ita similiter à pari Sidera circa Mundū præter alias familiaritates de quibus iam dictum; efficiunt parallelum, & ibi efficiunt, vbi parem influxum, seu intensionem qualitatum attingunt eundo, & redeundo à punctis cardinalibus Mundi, quæ sunt centra duorum cardinum Meridionalis circuli, & duorum finitoris. Vt exempli gratia

tia, parem influxum, & qualitatis intensionem suscitant duo Sidera, vnum in centro Vndecimæ Domus, & aliud in centro Nonæ; cū hoc tamen discrimine, quod in Vndecima per intensionem vnius qualitatis ex ascensione, in Nona per remissionem eiusdem qualitatis ex contrario motu descensionis: ita similiter vnū Sidus in cuspide Octauę Domus, & aliud in cuspide Sextæ propter eamdem rationem.

Dico igitur parallelos huiusmodi esse æquipollentiam influxus Astrorum: nam iugiter semper influunt Astra ex iugi, & sempiterna illuminatione, quæ non est efficax, nisi sit proportionalis; si verò fuerit æqualis, tunc est maximè proportionalis; quare sequitur, vt æquipollentia influxus sit familiaritas efficax sicut dixi de alijs parallelis: Addidi circa Mundum ad differentiam parallelorum in Primo Mobile, vt ostendam hanc æquipollentiam oriri ex influxu Siderum circa Mundum, non ex influxu à Primo Mobile.

Discrimen inter parallelos in Primo Mobile, & parallelos in Mundo est, quod primi semper sunt paralleli physicè, idest intensiuè, & semper etiam sunt paralleli Mathematicè, idest extensiuè: sed posteriores licet sint semper paralleli physicè, idest intensiuè; raro sunt paralleli Mathematicè, seu extensiuè. Pro cuius rei intelligentia

Sciendum est *primò*, Quod lineæ parallelæ sunt, vel rectæ, vel circulares: rectæ si in eadem superficie plana in infinitum eijciantur in neutram partem coincidunt: circulares parallelæ, siue in superficie plana, siue sphærica sunt, quæ habent centrum commune; cum enim lineæ à centro ad vnum circulum sint æquales, & æquales etiam lineæ ab eodem centro ad alium circulum; fit vt hi circuli æqualiter vbiq; ab inuicem distent; quia si æqualia ab æqualibus auferantur, quæ supersunt æqualia sunt; ergo si lineæ, quæ sunt à centro ad minorem circulum auferantur à lineis maioris circuli, quia æquales ab æqualibus, quæ supersunt lineæ inter hos circulos æquales erunt: ergo circuli, siue in superficie plana, siue sphærica paralleli sunt qui habent centrum commune; & hi circuli sunt paralleli Mathematicè, idest secundum extensionem.



Secundò sciendum. Parallelos physicè, idest intensiuè esse duas virtutes viribus pares; puta duos calores eiusdem gradus intensionis, & roboris virtutis actiuæ.

Tertiò. Parallelos extensiuè, seu Mathematicè sumptos non posse esse efficaces familiaritates; nam, vt alibi dixi, pura partium extensio, quæ est pura quantitas non est actiua: & hoc fundamento *Aristoteles* prohibet res physicas Mathematicè tractari.

Quartò. Omnem efficaciam familiaritatum parallelorū pendere à paritate intensionis virium, & virtutis actiuæ, seu a parallelis physicè sumptis, & nullo modo a paritate linearum, & extensionis; seu à parallelis extensiuè, & Mathematicè sumptis: Nam paralleli in Primo Mobile sunt efficaces familiaritates non ex eo, quod sint lineæ, & circuli secundum extensionem paralleli, sed ex eo, quod ibi sidera parem habeant physicè, & secundum intensionem virtutem actiuam.

Quapropter paralleli in Mundo, de quibus loquimur, quamuis non sint paralleli

paralleli Mathematicè, ideſt ſecundum extenſionem; ſunt tamen ſemper paralleli phyſicè; eamdem enim ſecundum intenſionem virtutis actiuæ habent Sidera in aſſignatis à me parallelis in Mundo.

Paritas verò, & ſimilutudo inter parallelos in Primo Mobile, & in Mundo eſt *primò*, quod in vtriſq; efficacia familiaritatis conſiſtit in paritate, ſeu æquipollentia virtutis actiuæ. *Secundò*, ſicut paralleli in Primo Mobile exhibent eamdem quantitatem aſcenſionis ſignorum, vt verbi gratia pari tempore aſcendit ſignũ Piſcium, & Arietis: item ſignũ Geminorũ, & Cancri: Ita ſimiliter paralleli in Mundo exhibent eamdem quantitatem aſcenſionis, & deſcenſionis, vt Vndecima Domus parem habet aſcenſionem deſcenſioni Nonæ: & Domus Duodecima parem aſcenſionem aſcenſioni Secundæ &c. *Tertiò*, ſicut paralleli in Primo Mobile ſunt pares diſtantiæ à punctis cardinalibus Zodiaci, ita paralleli in Mundo ſunt pares diſtantiæ à punctis cardinalibus Mundi: dixi pares, ſumpta tamen paritate proportionaliter ex quantitate arcuum ſemidiurnorum, & nocturnorum, ſicut fit in conſtituendis Domibus, & ſedibus Prorogatorum. *Quartò*. Sicut paralleli in Primo Mobile exhibent pares temporales horas; ita paralleli in Mundo exhibent pares temporales horas diſtãtiarum à cardinibus; atq; aliæ quoq; ſimilitudines reperientur ſi diligenter inquirantur.

Secunda Concluſio. Paralleli in Mundo, de quibus eſt ſermo, ſunt veræ, & efficaces familiaritates. *Probatur:* Aſtra non contrahunt efficacem familiaritatem niſi ex pari, vel proportionali influxu: ſed ex parallelis in Mundo exhibent parem influxum, ergo contrahunt efficacem familiaritatem: maiorem demonſtraui *lib*. 1. & nemo Profeſſorum denegat: minorem ex ſupradictis oſtẽdo: Aſtra ab vno cardine ad alium oppoſitum influunt per ſucceſſiuam intenſionem vnam qualitatem, à quo cardine rurſus per alium Emiſphęrium redeundo ad primum illum cardinem, influunt contrariam remittendo ſucceſſiuè priorem qualitatẽ, quia cõtrariorũ contrariæ cauſæ: ergo neceſſariò accidit, vt per ſimiles, & pares gradus remittant qualitatẽ illã, quã primò per ſucceſſiuã intenſionem produxerant: ſed pares gradus per intenſionem ex vna parte, & per remiſſionem ex altera contingunt in parallelis in Mundo, qui pares ſunt à cardinibus vtrinq; diſtantiæ, ergo &c. hæc ratio validiſſima eſt.

Probatur item. Tot ſpecies familiaritatum in Mundo admitti debent, quot reperiuntur in Primo Mobile: ſed in Primo Mobile præter alias ſpecies reperiuntur Paralleli, ergo etiam in Mundo dari debent Paralleli: in maiori propoſitione non apparet ratio diſparitatis quare ſcilicet plures ſpecies familiaritatũ in vno genere admitti debeant, quam in altero, præſertim cum non deſit rationis paritas, & multiplex, vt oſtenſum eſt: ergo tot ſpecies familiaritatum admitti debent in vno genere, quot reperiuntur in altero.

At verò cum huiuſmodi Paralleli in Mundo ſint à me nuper excogitati, operę pretium duxi experimentum aliquod ad eorum efficaciam comprobandam exhibere: Et ſanè plura poſſem, & ingentium caſuum, quæ egomet obſeruaui; ne quis autem exiſtimet eſſe figmenta, afferam ex alijs Auctoribus, & accipiam ex illis quadraginta, quæ alias ex *Argolo* deſumpſi: in quorum aliquibus cum non appareant aliæ Directiones Aphetarum tàm exitiales, huiuſmodi paralle-

los

los in Mundo reperi. Vt in Henricò Tertio, circa cuius genesim hucusq; tortus sum, cum ibi non nisi leues admodum Directiones apparerent: postmodum obseruari Lunam ad parallelum Martis in Mundo Directionis vtroq; motu directo scilicet, & conuerso peruenisse, exquisito penè calculo, vt mox ostendam. Item in Alexandro Cardinali Vrsino Sol eodem vtroq; motu ad parallelum Saturni in Mundo. In Marco Antonio Columna Pars fortunæ, quæ est Vitæ prorogatrix vtroq; motu ad parallelum Saturni. In Cardinali Borromæo Sol ad parallelum Saturni: atque etiam in alijs, de quibus agam infra: pro nunc satis sit afferre supputationem in Henrico Tertio, in quo casus ingens est, tùm ratione dignitatis personæ, tùm vehementiæ rei.

Luna distat à Culmine versus Vndecimam Domum gr. 30. 7. expectat ibidē parallelum Martis in Mundo, idest parem distantiam Martis ab Imo versus Tertiam Domum; cuius supputatio talis est.

LVNÆ.			MARTIS.	
Ascensio recta	p.	47. 45.	———	205. 57.
Differ. ascensionalis	p.	14. 37.	———	10. 56.
Arcus semidiurnus	p.	104. 37.	nocturnus	100. 56.
Distantia recta	p.	30. 7.	———	8. 19.

Nunc per regulam auream quæro, si arcus semidiurnus Lunæ gr. 104. 37. dat eius distantiam à Culmine gr. 30. 7. quam distantiam dabit arcus seminocturnus Martis gr. 100. 56. emergit autem distantia secundaria Martis ab Imo gr. 29. 3. quæ addita cum primaria, quia Mars est in quarta Orientali, & locus distantiæ secundariæ in quarta Occidentali, efficit summam gr. 37. 22. quæ est arcus Directionis quæsitus, secundum motum directum.

Secundum verò motum horarium, seu conuersum Luna ponitur in parallelo Martis quando versus Nonam Domum distat à culmine, similiter sicut distat Mars ab Imo; cum autem Mars parum distet ab Imo, & parua sit differentia inter arcum Lunæ, & Martis, absq; parte proportionali possumus addere distantiæ primariæ Lunæ distantiam primariam Martis, & fit summa gr. 38. 26. Quod si in medio Cæli Natalis ponatur gr. 20. Arietis, tempora respondent exquisitè; Exemplum hoc dignum est.

Ex dictis hucusq; in toto libro fit manifestum, quæ Sidera, siue fixa, siue errātia aliquo modo familiaritatem contrahere possint, & quæ sint istæ familiaritates: nam illa Sidera, quæ ad inuicem non permutant distantiam, nullo modo familiaritatem contrahere possunt: quia cum non moueantur ad inuicem, non permiscent ad inuicem suos influxus: sed cum maneant semper in eodem habitu, tanquam inconiuncta perpetuò censentur esse. Illa verò Sidera, quæ ad inuicem mouentur in Zodiaco, efficiunt in Primo Mobile omnes illius generis familiaritates; cum hoc tamen discrimine, quod planetæ efficiunt parallelos in Primo Mobile cum illis fixis tantum, cum quibus similem Declinationem acquirere possunt; cum illis verò ad quarum Declinationem non perueniunt non efficiunt parallelos: Item radios in Zodiaco planetæ non habent cum fixis, nisi tantum cum quibus efficiunt coniunctionem præsentialem saltem platicam,

ticam, de qua dictum est *cap. 3.* Cæteras verò familiaritates, siue radios, siue parallelos in Mundo efficiunt in vniuersum omnia Sidera, siue fixa, siue errantia, quæ à centris Domorum se se respiciunt, vel in proportionalibus, & similibus a Cardinibus distantijs ponuntur.

Quæ sit similitudo situum ad Cardines.

CAPVT DECIMVM.

Communis Professorum est sententia, & ego ratione demonstraui *lib. 1.* Moderatorem permanere immotum quoad Regionis horizontem in sua loci positione, atq; ibi expectare subsequentes Promissores, donec consimilem acquirant situm, vbi demum congressi producunt suos effectus. Comprobant hoc semper experientiæ, si cet aliquando non nihil dissentiant in suis temporibus, eo quia nondum perfectè explorata sit huius rei veritas. Id ipsum docet *Ptolemæus lib. 3. cap. Quænam sint Vitæ moderandæ rationes*, per totum, & maximè ibi *ad quos* nimirum cardines *locorum similitudines accipiuntur*, *& cap. diuisionis temp. à reliquis pro ratione propinquitatis ad cardines, & alibi.*

Multipliciter verò contingit sumi posse similitudines distantiarum ab angulis, vt sæpius in hoc opere dixi, & tot modis, quot fingere possumus terminos, & lineas super quibus fingimus distantias: Vt trianguli summitatis punctum distare dici potest a linea basis tot modis, quot lineæ rectæ duci possunt ab illo puncto ad basim, quæ tot dari possunt, quot assignari puncta in basi, omneq; semper diuersæ, idest maioris erunt longitudinis prout a puncto perpendiculari remouentur, perpendicularis enim linea omnium breuissima, & breuiores, quæ huic propiores: Pari ratione Sidus tot modis distare fingi potest ab vno cardine quot lineæ ab Astro ad lineam ipsius cardinis duci possunt: Vt si sit Astrum sub circulo verticali magno, qui per ortum, & occasum Æquatoris transit, sub quo circulo distet ab horizonte verbi gratia partibus 60. a puncto autem sui ortus, in quo nimirum ortum est sub altitudine poli gr. 43. pluribus partibus distabit, & successiuè semper pluribus, quò magis puncta elongantur ab Æquatoris ortu, siue versus Boream, siue Meridiem.

Abraham Auenesra primùm, quem plures sequuti sunt Recentiorum etiam insignes, vt *Regiomontanus*, *Maginus*, & alij, paruipendens *Ptolemæi* sententiā accepit similitudines locorum ad Cardines super lineas, seu circulos parallelos Verticali magno, qui per puncta ortus, & occasus Æquatoris transit, itaut æquedistent ab Angulis duo Sidera diuersæ declinationis, si pari proportionali parte suorum arcuum parallelorum ad Verticalem distent ab eisdem Angulis: Itaut totum fundamentum similitudinum locorum *Auenesra* ponat in huiusmodi circulis parallelis ad Verticalem descriptum. Ad facilitatem verò supputationum duxit circulos magnos, quos horizontes vocauit, per communes finitoris,

toris,

toris, & Meridiani ſectiones: putans quæcunque coincidunt in vnum huiuſmodi Hemicyclium, in conſimili proportionali diſtantia reperiri ad cardines, eo quia ſeruent eamdem ad illos figuræ qualitatem, licet non eamdem quantitatem, vt perquam doctè ſubinfert *Naiboda*, ea ratione, quod ad permutatam figurarum quantitatem non ſit opus permutari qualitatem, prout de Coluris rectè ſentit non minus diſiungi quadrante propè polos, quam in media tumentis globi altitudine. Aſſumit *Regiomontanus locum Ptolemæi* cap. moderādę Vitæ: *Neceſſarium quidē in Directione ſequentis loci poſitionem ſimilem fieri poſitioni antecedentis*. Vbi poſitionis nomine putat, quod *Ptolemæus* intelligat de ijs poſitionum circulis per communes finitoris, & Meridiani ſectiones incedentibus: Quod etiam ex mente *Haly* expoſitoris confirmat, qui tamen non videtur ita ſentire, cum Domorum diuiſiones per binas temporales horas inſtituat. *Regiomontanus* verò hæc ſubdit. *Quid igitur de tàm prudenti, quàm eruditiſſimo viro ſentiemus? Nunquid tantùm Philoſophum repugnantes aſſeruiſſe ſententias impunè ſuſpicabimur? Credo equidem Ptolemæum, & feriò tradidiſſe fundamentum artis per ſemicirculos huiuſmodi, & modum numerandi apprimè calluiſſe; quamuis difficilem, adeout perplexum potius redderet auditorem, quam doctū. Satiùs ergo putans prope verum verſari, quam veritatem ipſam radicitus quærendo deſperare ſupputationes quaſdam breues veritati propinquas expoſuit*. Vix credere poſſum, *Regiomontanum* virum adeo præclarum hæc de *Ptolemæo* ſentire, & dicere, qui ad methodum ſupputationum deſcendens, ſi prope verum verſari teneret animo, exquiſitam ſupputationem per ſemicirculos, quos ab vna ad aliam finitoris, & Meridiani commiſſuram deſcripſerat, relinqueret Mathematici prudentiæ, prout ea ſolet, quæ explicari non poſſunt, atq; ſe excuſaret, ne vel imperitus doctor extitiſſe, vel mancus videretur poſteris: ſed neq; tandem ipſam ſupputationis methodum aggrederetur, niſi prius, quam ſupra tradidit doctrinam, in Epilogo referret inquiens, *& quoniam, quæ iiſdem temporalibus horis diſtant à Meridiano Signiferi partes, ſub vno eodemq; continentur prædictorum ſemicirculorum, ſpectare oportebit poſt quot Æquinoctialia tempora ſequens locus paribus horis diſtabit ab eodem Meridiano &c.* quibus euidentiſſime patet ſe velle ſimilitudines locorum haberi per ſimiles temporales horas; cui deinde doctrinæ ſubinfert exemplum. Non deſunt qui *Ptolemæum* ægrè, & confuſiſſimè hanc edocere artem dixerint: quod ideo profectò, quia receptio ad modum recipientis potentiæ fit, vt qui oculorum acie laborant, nec niſi confusè percipiunt; quare mirum id fieri minimè debet.

Vt autem circa hæc, plenè intelligatur mea ſententia, opus eſt optimè nouiſſe fundamentum meæ ſimilitudinis ad Cardines. *Auenefræ*, atq; *Regiomontani* ſimilitudinem modos iam habes; conſtituunt enim ſimilitudines ad Angulos ſuper circulos illos parallelos ad Verticalem per ortum, & occaſum Æquatoris tranſeuntem, quos circulos quamuis ſint minores diuidunt non ſecus, ac maiores in 360. gradus; itaut quilibet eorum quadrans ab vno ad alium cardinem ſit partium 90. non enim hi circuli permutant qualitatem figuræ, licet quantitatem: ad inſtar parallelorũ ad Æquatorem, qui & ſi minores diuiduntur & ipſi in 360. partes, quorum quadrantes ab vno ad alium Colurum conſtant

 part.

part. 90. ob eam quam affert *Naiboda* rationem supra relatam, quod ad permutatam figuræ quantitatem non sit opus permutari qualitatem. Sumunt autem locorum similitudines per parem partium quantitatem distantiæ ab Angulis super his circulis ad Verticalem parallelis. Vide ipsum *Naibodam apud Maginum de diebus criticis*.

Ego verò has similitudines accipio super circulos parallelos ad Æquatorē, qui sunt viæ motus Astrorum de vno ad alium cardinem sic: Prorogatoris arcus de vno ad alium cardinem super circulum Æquatori parallelum, quem describit motu super ipsum incedendo, est magnitudinis partium verbi gratia 70. distat verò à Meridiano partibus 20. Quot nā ergo distare debet subsequens expleta directione, cuius circuli paralleli ad Æquatorem arcus de vno ad alium cardinem est part. 80.? Qua habita distantia per regulam auream innotescet arcus partium quem Æquator traiecit. Cæterum, quæ sit differentia inter parallelos ad Verticalem, & parallelos ad Æquatorem notissimum est, itaut non sit opus demonstrare.

Prima Conclusio. Similitudines locorum ad Angulos reales, & naturales sunt si eo modo sumantur, quem dixi, & *Ptolemæus* doctrina, & exemplis tradidit: scilicet comparatione arcuum motus Astrorum: quæ similitudines sic acceptæ coincidunt in hemicyclis horarijs, de quibus loquitur *Ptolemæus*, quod pares temporales horas exhibeant.

Probatur primò. Relatio similitudinis, vt sit realis, & naturalis debet fieri, & fundari in quantitate aliqua reali, & naturali; aliàs similitudo, & comparatio realis dici non poterit; etenim relatio talis est, quale est subiectum in quo fit, & fundatur; quare nisi fiat similitudo super reali quantitate, similitudo realis, & naturalis esse non potest; sed tantum esse illius similitudinis erit per intellectum, prout per intellectum accipiuntur, & ponuntur ipsæ quantitates: At similitudo *Ptolemæi* fit inter duas quantitates reales, & naturales, & realiter ab ipsa natura descriptas, atq; definitas, ergo realis erit: minorem hanc probo: Quantitates, quas *Ptolemæus* comparat, & assimilat, sunt quantitates motus, & influxus Astrorum ab vno ad alium cardinem; motus autem, & influxus de se reales sunt, quia motus est actus quidam, & influxus est actio procedens ab Astris: igitur quantitates, quas *Ptolemæus* comparat reales sunt in ipsa natura. E contra verò Aduersariorum similitudines non fundantur in quantitate reali, vt ostēdetur postea: nā circuli paralleli ad Verticalē illū nō sunt reales, & positi à natura, sed tantum per intellectum ex nostra libertate; non enim Sidera instituunt motum super hos circulos, quia prout mouentur ab vno ad alium cardinem successiuè semper permutant huiusmodi circulos, quod in modo *Ptolemæi* non accidit; eodem quippe circulo parallelo ad Æquatorem, quo exorta sunt Sidera, medium Cæli transeunt, sed & perseuerant sub eodem circulo per totam intercapedinem.

Secundò: Similitudo hæc distantiarum est relatio, qua Sidera consimilem seruant proportionalem distantiam ad priorem, & posteriorem terminum in ipsis Angulis: sed termini distantiarum Siderum in Angulis sunt puncta in quibus oriuntur, & Cælum mediant; ergo similitudo distantiæ ab his punctis est

sumenda

sumenda: probatur minor: nam ab alijs quibusuis punctis distant Sidera etiam quando sunt in ipsis Angulis; ergo cum non sint termini motus, neq; distantiarum possunt esse. Et confirmatur *primò* ex eo, quòd non sit maior ratio in vno puncto, quam in altero, quod sit terminus distantiarum. *Secundò* confirmatur; nam terminus distantiarum sumi debet à puncto à quo ipsa distantia incipit, & deinde augetur; quia influxus Astrorum est successiua illa illuminatio, quæ incipit in ipso termino motus à quo, & desinit in termino ad quem. *Tertiò* confirmatur ex definitione motus, dicitur enim esse actus entis in potentia; est igitur motus localis actus entis in potentia ad nouum semper locum, & terminum; & sanè non est in potentia ad terminum ad quem Mobile nunquam peruenit; sed est in potentia ad terminum, ad quem tandem peruenit.

Tertiò. Si duo Mobilia iuncta sint in principio motus, & similiter iuncta inueniantur esse etiam in fine motus: si motus eorum sit vniformis in se ipso, licet ad inuicem differant velocitate, eò quia circulus motus vnius sit maior altero; iuncta tamen sunt semper in omni loco, & distantia media: Sed Sidera iuncta sunt in cardine antecedente, & sequente, & motus eorum est in se ipso vniformis, est enim motus Primi Mobilis; ergo iuncta etiam sunt in omni loco medio. Vt si duo Sidera iuncta sint in linea horoscopi dum oriuntur; & etiam inueniantur iuncta in linea Meridionalis circuli; dico fuisse etiam iuncta semper in omnibus; & singulis punctis intermedijs: & ratio est, quia motus eorum est vniformis in se ipso, quamuis secundum velocitatem non sint similes ad inuicem propter diuersitatem quantitatis spacij, quod vtrumq; lustrat: quare sequitur necessariò, vt iuncta sint semper in omni loco, & puncto intermedio; nam separari nõ possunt in intercapedine, nisi propter difformitatem motus in se ipso saltem alterius Astri: quia scilicet modò tardius, modò velociùs mouetur. Hæc ratio validissima est, comprobat enim modum *Ptolemæi*, abstrahendo ab eo, quod sint reales, vel non reales ipsæ similitudines distantiarum; cum tamen iam euidenter ostensum sit esse reales: quare hæc ratio est, quid insuper à fortiori.

Secunda Conclusio. Similitudines distantiarum, quas *Auenesra, Regiomontanus*, & alij sumunt comparatione arcuum parallelorum Verticali descripto; quæ cohærent in circulis positionum transeuntibus per communes commissuras finitoris, & Meridiani; non sunt reales in natura; sed fiunt tantum per intellectum ex hominum libertate.

Probatur primò. Quantitates super quibus accipiuntur hæ similitudines non sunt reales, ergo neq; ipsæ similitudines; quia talis est relatio quale est subiectũ relationis: antecedens probatur; quantitates super quibus accipiuntur hæ similitudines sunt portiones circulorum parallelorum ad Verticalem illum; sed hi circuli paralleli nõ sunt reales ergo &c. minor probatur; omnes circuli sumpti in Cælo, qui non definiuntur realiter in natura ab aliqua causa efficiente, vel iam definiti sint, non sunt reales, sed mera hominum libertate ficti; sed paralleli ad Verticalem non definiuntur in Cælo ab aliqua causa efficiente, neq; sunt ibi definiti; finguntur autem mera hominum libertate, ergo &c.

Dices: Termini reales sunt; sunt enim lineæ, seu circuli quatuor Cardinum,

ergo etiam consimiles distantiæ, quæ constituunt circulos positionum, reales erunt. *Respondeo*, lineas cardinum esse terminos communes vtriq; sententiæ: cum verò ab ipsis lineis infinita puncta pro terminis accipi possint, vnde orta est dissensio inter Doctores, non sufficere ipsas lineas esse reales; sed opus esse definire puncta realia in ipsis lineis Cardinum pro terminis similitudinum distātiarum. Cum verò circuli paralleli ad Verticalem non sint reales in natura, neq; realia possunt esse puncta in quibus hi circuli secant lineas Cardinum: igitur si termini non sunt reales, neq; similitudines distantiarum, neq; circuli positionum reales possunt esse.

Secundò probatur. Termini harum similitudinum distantiarum non sunt actu reales in natura; ergo neq; ipsæ similitudines, nam ab indefinitis terminis non potest sumi aliqua distantia, ergo neq; consimilitudo: Antecedens probatur: puncta intersectionum parallelorum ad Verticalem cum Angulorum lineis nō sunt actu realia, quia indiuisibilia non sunt actu realia in quantitate ex communi Philosophorum sententia, sunt autem potentia; actu autem per assignationem; quæ in casu nostro fit tantum ab ipso mobile in terminis à quo, & ad quem ipsius motus.

Tertiò. Dum Mobile mouetur non debent mutari, & moueri termini comparationis distantiarum: sed termini harum similitudinum mutantur ad motum Mobilium, ergo falsi sunt: minor propositio patet; nam in finitoribus obliquis, dum Sidera mouentur permutant successiuè circulos illos parallelos ad Verticalem, semper enim acquirunt nouum parallelum, vt notum est: Maior verò probatur: si rectè metiri velimus distantias, & habere similitudines, opus est, vt termini distantiarum non moueantur; nam si mouentur, vel incerta erit mensura, vel saltem pro termino, qui mouetur debet assignari aliquod reale Mobile; non est autem aliquod Mobile reale in Angulis, quod moueatur ad motum Siderum, adeout acquirat semper illius Sideris parallelum, ergo falsi sunt huiusmodi termini in lineis Angulorum.

Dices: quicquid sit de parallelis istis; lineæ Cardinum reales sunt, sed circulus positionis vndiq; distat proportionaliter ab Angulorum lineis, iuxta *Ptolemæi* præcepta; ergo cum definiatur realiter à præsentia Sideris in situ, realis, & proportionalis erit in natura: Cæterum de parallelis assumptis non loquitur *Ptolemæus*; quod si, & in illis quoq; resultet similitudo proportionis, erit quid amplius. *Respondeo*. Quod circulus positionis proportionaliter quidem distet ab Angulorum lineis, proportione tamen ratione tantum ficta, & præceptis *Ptolemæi* diffidenti, qui proportionem comparatione motuum Astrorum sumendam instituit, & non locorum inquiens: *Et quoniam, quæ iisdem temporalibus horis distant à Meridiano Signiferi partes sub vno eodemq; continentur prædictorum semicirculorum, spectare oportebit post quot Æquinoctialia tempora sequens locus paribus horis distabit ab eodem Meridiano; quas postquam collegerimus, videbimus quot secundum eum, qui prioris partis erat situm &c.* Vbi clarè patet, quod *Ptolemæus* velit similitudinem proportionis debere sumi à quantitate motuum de angulo ad angulum, & non locorum, idest situum positionum: adeout circuli situum describi debeant per pares tēporales horas; & nō secundum opinionem *Aueneziæ*, & *Regiomontani &c.*

Dices:

Dices: Consimiles temporales horæ non describunt semicirculos, sed lineas quasdam irregulares, ergo aut *Ptolemæus* sibi ipsi contradicit, aut certè vult vti temporalibus horis ad expeditiorem supputationem in exemplum calculi,& methodus adductam, non in veritatem. *Respondeo*, quod *Ptolemæus* nomine semicirculorum intelligit quascunq; circuli partes, licet non semisses, & integr as, nam alij traducunt [Hemicyclos] idest sedes circulares, quæ quotæ sint eti amsi minores semicirculo, adhuc Hemicycli vocantur: magisq; sic faciunt ad rem nostram, nam de sedibus sermo. Cæterùm temporanearum horarum sedes in circulum ducuntur à communi sectione Horizontis, & Meridiani Australis,vsque ad circulum descriptum à punctis Primi Mobilis Horizontalibus, idest quæ nec oriuntur, nec occidunt, tangunt tamen quotidie finitorem: & hoc supra terram; similiter è contra, sub terra. Præterea possunt etiam dici semicirculi qui per temporales horas describuntur; pari enim distantia circumducuntur à Mundi centro, quod satis est, vt semicirculi dicantur; aliàs si irregulares sint, nihil refert; nam tali pacto, neq; circuli maiores essent circuli, quia non in circulum ducuntur, sed in lineam rectam, sphæricam tamen.

Tertia Conclusio. Circuli positionum *Auenesræ*, *Regiomontani*, & aliorum, quamuis essent reales, (cum tamen vt ostensum est nullo modo reales possint esse) in ipsis tamen Mobilia iuncta dici non possunt.

Probatur primò. Significator, seu dicamus Prorogator Directione directa ex communi sentētia, & *Ptolemæi* auctoritate debet consistere immobilis in suo situ, quamuis permutet declinationem,vt ostensum est *lib. 1.* Sed si promissor, seu dicamus occursans iungeretur ei in circulo positionis nō consisteret immobilis Significator; ergo in circulis positionum non possunt dici iuncta ipsa Mobilia: probatur minor: immobilitas Prorogatoris erga Cardines in eo consistit, vt non augeat distantiam ab vno, neq; minuat ab altero; alias diceretur mutare distantiam, & moueri: sed hæc immobilitas non seruatur in circulis positionum, ergo in circulo positionis non consistit immobilis Prorogator: minor patet;quia cum opus sit,vt Prorogator Directione directa permutet Declinationē, vt dixi, sequitur necessariò, vt in eodem circulo positionis permutet similitudinem distantiarum ab Angulis: Vt si sit Sol in gr. o. Arietis distans ab Ortu, & Meridie horis tribus, vtiq; est in media distantia; si dirigatur ad gradum o.Geminorum in eodem circulo positionis non erit tunc amplius in media distantia ab illis cardinibus,vt demonstrari potest; ergo Sol motus erit à sua sede; & hoc quocunq; etiam modo sumantur distantiæ, & similitudines; vt etiam dixi *cap. de Domibus.*

Secundò. Gradus intensionis qualitatum quos influunt Astra, pendent ab eorum successiuo motu, & influxu, non à situbus positionum, vt ostensum est *lib.1.* ergo occursantes tunc pares qualitatū gradus,gradibus qualitatum Significatoris influunt, quando secundum motum distant, & non secundum situm. Vt Sol non ab elatiori situ in Horizonte maiorem calorem efficit, sed à diuturniore motu, & influxu; Sic etiam cætera Sidera.

Dices. Sol non præstat maiorem calorem ex maiori motu, sed quia ad situs elatiores fertur; quos attingendo, nouos caloris gradus producit; adeoquòd

lux Solis non ex eo quia sit diutius apud nostrum Emisphærium mota, sed ex eo quia supra nostrum horizontem eleuatiorem situm habeat, magis calefaciat. *Contra est*: nam Sol non ex eo, quòd sit in Meridiano calefacit nimis, sed ex eo, quòd ascendendo, & influendo successiuè auxerit productum ab Ortu calorem: nam si ex eo, quod eleuatiorem situm attigit, magis calefacit, & non quia diutius illuminauerit, sequitur calidiorem esse Meridiem Brumæ sub altitudine poli gr. 23. quam Æstatis sub altitudine gr. 71. quia in posteriori Sol est humilior, in priori elatior: Quod tamen falsum esse satis notum est: Quare Sol non ex eo, quòd elatiorem situm occupauerit magis calefacit, sed quia diutius progrediendo per Emisphærium nostrum, ipsum diutius illuminauerit; calor namq; sicut, & cæteræ qualitates non à situ fiunt, sed ab Astrorum lumine, sic & eorũ gradus ab Astrorum illuminatione motu, & influxu successiuo: Vnde est, vt calor etiam quartæ descendenti tribuatur, quamuis à vertice declinet, quia diuturnior influxus, & illuminatio in ea continuatur; licet in Occasu Sol minus calefaciat ratione interpositionis vaporum, quod est per accidens, & non derogat perfectioni, & complemento influxus.

Obijcit *Franciscus Leuera apud Argolum*: *Ptolemai* similitudinem hanc distantiarum proportionatam non esse ex eo videlicet, quòd quælibet Signiferi pars eamdem ascensionalem differẽtiam deberet efficere quouis extra cardines loco, quod falsum esse constat, ait ille; neq; enim quælibet Signiferi pars eamdem proportionem seruat in intermedijs locis, quæ est totius quartæ Signiferi, ad totam ab Horizonte ad Meridiem propter vniuscuiusq; partis diuersitatem ascensus in quauis ab Horizonte eleuatione, vt liquet ex ascensionum, & Domorum Tabulis. *Respondeo* negando, quòd quælibet Signiferi pars eamdem ascensionalem differentiam iuxta *Ptolemai* modum deberet efficere in quolibet loco: benè quidem sequitur ascensionalem differentiam cuiusq; partis vniformiter minui à finitore obliquo ad Meridianum, è contra ratione pari à Meridiano ad finitorem augeri. Deinde nihil contra me, qui extra Cardines Signiferi ascensiones negligo, perpendens tantum motum de angulo ad angulum vniuscuiusq; partis, totius adhuc Primi Mobilis, nedum Signiferi; in quo motu accipio transitum partium Æquatoris ad numerum Annorum accipiendum, vt dicam sequenti libro.

Rursus ait Leuera. Sideris cuiusq; quod supra terram exempli gratia repertum est, horaria tempora sumi debere à loco sui situs, vbi proximius est Polo Artico, quam si finitorem possideret; quò magis enim supra finitorem attollitur, eò magis accedit, & appropinquat ad eumdem Polum Boreum. *Respondeo*, Astra prout mutant à Polis distantiam, mutare quidem etiam horaria tempora: Cæterum falsum esse appropinquare Polis ex motu ab Ortu ad Meridiem; nam appropinquant solum quando à Declinatione Meridiana ad Borealem accedunt, vt notissimum est: vnde fit vt diuersa Declinatio diuersitatem importet horariorum temporum. Sed iam scrutemur sensum verborum *Ptolemai*: Vtar verò vulgata versione, qua vsus est *Cardanus, Iunctinus*, & alij, quæ est *Gogaua Grauiensis edita Louanij* 1548.

Exponit rem hanc *Ptolemaus* ex professo *cap. de Vita spacio*; dicens. *At verò*

Annorum

Annorum numerus, quem interstitia illa reddunt, quæ inter Vitæ moderatorem, & interfectorem interijciuntur interſtitia, inquit non partes Æquatoris Annorum numerum reddunt; partes enim Æquatoris conuenienti naturæ modo ſumi debent, vt dicam: *non ſimpliciter ſanè, neq; vt ſe obtulerit accipiendus eſt*, nam quæ ſimpliciter accipiuntur, & prout quis offendit, citra naturam ſunt, *ſicut plurimi tradiderunt ex aſcenſionis temporibus ſemper vniuſcuiuſq; partis, niſi tunc demum cum ipſa Oriens Cæli pars Vitæ gubernationem adepta eſt, aut quippiam illi cooriens*, hæc in exemplum ſtant, & in præceptum de cardine Orientis. *Vna verò ex omnibus ratio reliqua eſt ijs, qui naturæ conſentaneam conſiderationem inſtituunt*, ſepoſitis quibuſq; alijs modis arbitrarijs, & prout ſe ſe offerunt, ſequi debemus naturam, cuius proprium eſt vnicum ſemper, ac permanentem agendi modum, ſuarum cuiq; rerum conferre, ex proprietatibus earumdem emanantem; ob idq; cum proprietates immutabiles ſint, quippe quæ rerum ab eſſentia, quæ immutabilis eſt fluant, modum earum agendi vnicum ſemper, ac firmum, & eumdem eſſe cuiq; neceſſe eſt: in caſu noſtro talis eſt: *videre quot Æquinoctialibus temporibus ſequentis corporis, aut irradiationis locus in præcedentem ſecundum ipſam genituram peruadat*, eſt autem Primi Mobilis motus, quo ad Significatorum ſitum vehuntur obuij; hic autem motus quocunq; modo, vel loco accipiatur, nimirum, vel ope horarum æqualium, aut circulorum Tropicorum, vel alio rei conſono, nihil refert; præcipit verò in Æquatore, quia & circulus maior eſt, & nobis notiſſimus: his tradit nobis *Ptolemæus* definitionem motus Directionis, de qua dicam *lib. 3. eo quòd Æquinoctialia tempora æqualiter tranſeunt, & finitorem, & Meridianum*; hæc pro ratione ſtant eorum, quæ dixerat, ab Æquatoris proprietate ducta, quæ & vna eſt, & ſemper eadem; ex eo enim, quod Æquinoctialia tempora æqualiter tranſeant vbiq; locorum, vna ſimplex, & ſemper eadem ex omnibus ratio reliqua ſupereſt Naturæ conſonam methodum ſectantibus, pendens omnino ab Æquatoris, ſiue Primi Mobilis motu, qui regularis eſt, atq; vniformis vbiq; ſemper. *Ad quas locorum ſimilitudines accipiuntur*, nimirum tunc ſequentem locum iam ductum ad præcedentem putamus, cum ſimilitudinem tenuerint ambo eamdem ad memorata Cardinum loca: *& valet vnumquodq; huiuſmodi tempus vnam Solis conuerſionem*, in verſione quam affert Naiboda additum eſt [*probabili ratione*,] quod & in quibuſdam alijs etiam reperitur: hæc ad menſuram Annorum ſpectat, de qua ſequenti libro dicetur. *Quando igitur in ipſo Orientali finitore fuerit Vitæ Moderator, & præcedens locus, aſcenſionis tempora partium interiectarum, vſq; ad occurſationem conuenit accipere, tot enim temporibus Æquinoctialibus interfector in Vitæ gubernatoris locum, hoc eſt in Orientalem finitorem fertur*. Aggreditur nunc *Ptolemæus* explanare Directionis modum Angulorum, & Prorogatorum ibidẽ exiſtentiũ; incipit autẽ ab Oriente, & docet fieri per aſcenſiones obliquas penes Regionis finitorem: *Quando verò in Meridie repertus fuerit, rectæ ſphæræ aſcenſiones quantis vnaquæq; ſectio Meridianum perambulet*, hæc eſt Methodus Cardinis recti. *Cum autem in occidentali finitore verſatur, quantis ſingulæ intercapedinis partes occidunt, hoc eſt quantis oppoſita illis oriuntur*. Oppoſitorum eadem eſt diſciplina, ſunt enim correlatiua, quæ in vnam conuenire rationem neceſſe eſt; licet inter oppoſita intercedat diſcrimen ex oppoſitione reſultans; vt pari quidẽ

ratione,

ratione, & temporis spacio Aries pertransit ex vna parte circulum, & Libra ex altera è regione; ascendente tamen vno, descendente reliquo: Sic & circuli magni sphæræ; vt finitor in Oriente diuulgat Astra, in Occidente abscondit: Meridionalis pars superior descensum indicit Astris, inferior ascensum; pari tamen in vtrisq; passu, & ratione: atq; similia. Et hæc quo ad Cardines, & Prorogatores ibidem repertos. *Cum autem præcedens locus in his tribus limitibus non reperitur, sed medio inter hos interuallo*: Quatuor quidem sunt Cardines, sed quemadmodum dixerat de Occidente posse supputari per ascensiones oppositorum locorum, sic supponit posse fieri in Imo Cæli: Præterea recta Signorum ascensio, vbiq; fiat, siue supra terram, siue sub terra eodem semper modo fit; non est igitur opus dixisse in quatuor limitibus. Aggreditur autem hic methodum Directionis Prorogatorum extra Cardines degentium, de quibus prosequitur agere vsq;ad exemplum supputationum, *non amplius dictarum ascensionum, aut descensionum, aut Cæli culminationum tempora, sequentia loca ad easdem cum præcedentibus sedes perferunt, sed diuersa*. Sedium nomine situs proculdubio intelligit Præcursorum in Mundo, quas etiam sedes Hemicyclos alij in alijs versionibus vocant, vt dictum est; eo quòd hæ sedes circulorum partes sint: Quomodo autem in circulum duci debeant hæ sedes nondum explicat; vt autem benè intelligantur quid, & quæ sint hæ sedes, præmittit prius de his negationes, quod nimirum non conueniant eis methodi Directionum prædictæ, itaut non fiant ad instar modorum Cardinum, sed diuersè. *Similis sanè, & idem locus est qui similem eisdemq; in partibus situm habet, & ad finitorem, & ad Meridianum*. Duplicem habere possunt sensum hæc verba. Primum: Quod *Ptolemæus* velit Prorogatorem dirigi ad modum Cardinis, in quo repertus fuerit, de quà re supra ex professo egerat, & definierat: Secundum, itaut his verbis afferat vltimã differentiam similitudinum locorum, de quibus hic agit, quales nimirum esse debeant: Cum enim primò dixisset sequentem locum ad præcedentem duci, inde huiusmodi loca similitudinem seruare debere ad finitorem, & Meridianũ; rursus horum locorum Directionem non fieri ad instar Cardinum, sed diuersè; tandem similitudinem hanc quonam modo fieri debere definit; nimirum ex comparatione interceptarum partium, subintelligendum Æquatoris, de quo hucusque loquutus est; itaut similitudinem hanc portionibus tantum Æquatoris inter Cardines interceptis fingere liceat, quæ portiones sunt arcus si supra terrã semidiurni, sin minus seminocturni, qui deinde arcus diuiduntur in temporales horas locorum: Quorum omnium sensuum prior non probatur, tùm quia non videntur ita sonare illius verba; loquitur enim de similitudine ad Cardines, de qua dixerat in locis intermedijs necessariò seruari debere; tùm etiam quia de modo dirigendi Prorogatorem in vnoquoq; Angulo consistentem, egerat supra ex professo, nunc verò sermonem habet quando extra Cardines repertus fuerit Prorogator, qua de re aggressus est agere ibi. *Cum autem præcedens locus in his tribus limitibus &c.* Posterior igitur est verus huius loci sensus, itaut cum prius gradatim, & per affirmationes, & per negationes circumscribere inchoasset Directionis extra Cardines modum; nunc tandem vltimam tradit propositæ methodus differentiam; nimirum esse similem, & eundem locum, idest esse in

eodem

eodem circulo, de quo folicitus eſt, qui ſimilem ſeruant ad Cardines, & eiſdem in partibus, ideſt Æquatoris, de quo ſemper loquutus eſt, ſitum; adeout ſimilitudines locorum ſecundum proportionatas diſtantias Æquatoris partibus acceptas fingere debeamus. Et ne quis poſitionum circulos accipere poſſet, præſagus forſan *Ptolemæus* huius erroris futuri: nouam ſubdit exceptionem dicens; *illud verò proximè accidit eis, quæ ſub eodem ſemicirculo ſunt ex eorum genere, qui deſcribuntur per ſectiones finitoris, & Meridiani*, verbum [*illud verè*] innuit quod prius dixerat, ideſt ſimilem, & eumdem eſſe locum; vnde hic reijcit poſitionum circulos, quos & deſcribit ad omnem tollendam ambagem, & rationem reddit dicens: *Quorum ſinguli iuxta eamdem poſitionem horam proximè æqualem efficiunt*, ex eo enim, quod iuxta eamdem poſitionem horam non æqualem efficiant, id non accidit eis, ideſt eſſe ſimilem, & eumdem locum; ex quo etiam patet nomine poſitionis loci, ſiue ſitus, ſiue ſedis intelligere ſemper circulos horariorũ temporum, & non poſitiones Aduerſariorum: *Cumq; circumducitur circa dictas ſectiones in eumdem quidem ſitum incidit cum finitore, & Meridiano, tranſitus verò Signiferi tempora inæqualia vtrobiq; efficit, eodem modo etiam iuxta aliarum diſtantiarum ſitus per inæqualia illis tempora tranſitiones conficit*. Quod vult circumduci Æquator eſt proculdubio, cuius accipienda ſunt tempora interiecta inter priorem, & poſteriorem locum; quod etiam patet ex verbis illis (in eumdem quidẽ ſitum incidit cum finitore, & Meridiano,) quod tantum Æquatori conuenire poteſt, vt patet. Cæterum Signifer per inæqualia ſemper tempora non ſolum in Angulis, ſed etiam in quouis alio loco tranſitiones conficit. *Vna tandem nobis erit inſtitutio*, ad modum Directionum deſcendens idem repetit, quod in exordio propoſuerat; ideſt vnam ſimplicemq; ac ſemper eamdem eſſe debere viam, ſi naturæ conſonam methodum inſtituere velimus: *Cuius opera, ſiue Orientalem, ſiue Meridianum, ſiue Occidentalem, ſiue alium quemcunq; ſitum habeat locus præcedens, id quod reſpondet temporibus prætergredientibus loci ſequentis deprehendetur*, è ſimplici ratione, ac methodo, ſimplex etiam modus, ac ſemper idem in omnibus ſituum locis emergit; qui eſt, ſumi partes Æquatoris tranſeuntes, vſquequo ſequentis locus ponatur iuxta præcedentem: *cum enim acceperimus culminantem Signiferi partem, & amplius præcedentem, & inſequentem, primum contemplabimur præcedentis ſitum, quot temporalibus horis diſtet à Meridiano numerantes, quæ inter illam, & Cælum medium interſunt, ſiue ſupra terram, ſiue ſubtus in recta ſphæra aſcenſiones, & diuidentes in multitudinem horariorum temporum ipſius partis præcedentis, ſi quidem ſupra terram fuerit diurnorum, ſin minus nocturnorum*. His incipit viam deſcribere *Ptolemæus*, quam ad partes Directionum accipiendas aggredi debeamus. Cum autem proponat methodum horariorum temporum, illamq; exordiatur abſq; proteſtatione aliqua, nec exquiſitam ſupputationem relinquat Mathematici prudentiæ; prout ſolet, vbi ſpecificè, & ſingillatim de ſingulis ob materiæ infinitatem, aut difficultatem agere nequit; in dubium reuocari non poteſt ſupputationis, & exempli methodus, quam affert, quin ea ſit, qua nos vti velit. Deinde præcipiendo docet ſemper *Ptolemæus*, quod alias ſi per poſitionis circulos Directiones effici voluiſset non traderet, neq; methodum, neq; exempla per horaria tempora ſic abſolutè loquendo. Præcipit ergo ſumi rectas

 aſcen-

ascensiones Meridiani, loci præcedentis, & subsequentis; deinde distantiam præcedentis à Meridiano eamq; redigi in temporales horas iuxta suum arcum semidiurnum quidem si supra terram extiterit, sin minus nocturnum. *Et quoniã, quæ iisdem temporalibus horis distant à Meridiano Signiferi partes, sub vno eodemq; continentur prædictorũ semicirculorum*, descẽdens iam tam ad supputationem Directionis, fundamentum recenset propter quod Mobilia similem eumdemq; locum possidere dicantur; quod est cum iisdem tẽporalibus horis à Meridiano distiterint: Quibus denuo reijcit positionum circulos per sectiones linearum Cardinum incedentes, de quibus dixerat horam æqualem non efficere; adeout tota ratio Directionum extra Cardines in hoc sistat, vt tunc impletæ dicantur esse, cum Mobilia paribus horis temporalibus à Meridiano distiterint; ibi enim iuncta cum sint effectus suos eliciunt. Quę subiungit *Ptolemaus* de se plana sunt, & ad numerum supputationum spectant.

Ex dictis ergo in hoc capite, & etiam *lib. 1. cap. 17.* & alibi colligitur, quod Prorogatores dicuntur consistere immobiles in situ positionis horario, & non ob aliam rationem, nisi quia manutenent, & conseruant per totam vitam eumdem gradum qualitatis prorogatoriæ; & hoc contingit non ex eo, quod Prorogatores verè, & realiter consistant immobiles in Cælo, hoc enim dici non potest, sed quia in rebus inferioribus conseruatur effectus productæ qualitatis in eodem gradu cum relatione dependentiæ ab illo situ Prorogatorum in Cælo, ad quem situm dum accedunt, & applicant cætera Sidera, alterant efficaci actione gradum productæ qualitatis prorogatoriæ. Quocirca omnia Sidera cuiuscunq; sint Declinationis, & arcus diurni, vel nocturni, tunc attingunt suis qualitatibus eumdem gradum intensionis, quam habet qualitas prorogatoria, quando proportionalem situm ex motu, & influxu, non ex altitudine supra horizontem, neq; ex diuisione quantitatis, sicut dixi.

Quoniam verò contingit, quod Sol influat lucem etiam sub terra in spacio Crepusculorum ante Ortum, & post Occasum; Si velimus describere circulum situs, in quo Sol eumdem gradum lucis producit, certum est, quod non erit circulus positionis, neq; horarius, sed erit parallelus ad horizontem; in eo enim Sol eamdem intensionem lucis exhibet, toto Anno. Vt igitur Sol manuteneat eamdem intensionem lucis debet dirigi in circulis Crepusculinis parallelis ad horizontem, sicut dixi *lib. 1. cap. 17.* Hinc verò sequitur, vt in reliquo spacio obscuro debeat dirigi comparatione arcuum obscurorum, tanquam si essent arcus nocturni, sicut ibidem dixi.

Eleuatio Siderum super Sidera quid sit.

CAPVT VNDECIMVM.

P*Tolemæus* sæpiùs meminit Sidera eleuari, & ferri super alia Sidera, & quidẽ agens de rebus grauissimis, docetq; valdè nimis referre: nam quæ eleuantur

tur deprimunt secundum excellentiam aliorum vires: quid autem intelligo voluerit eleuationis nomine dissentiunt Auctores inter se; nam alij dicunt, qued eleuantur Sidera, quæ maiorem latitudinem habent borealem, idest quæ magis propinqua sunt Polo boreali Zodiaci; alij quæ magis propinqua sunt Polo boreali Mundi: alij vt *Cardanus* eleuari putant illa Sidera, quæ tardioris motus cum sint expectant, quæ ad ea proficiscuntur Sidera velocioris motus: alij quæ erga horizontem, & vniuersaliter in Mundo situm eminentiorem possident: alij quæ magis appropinquant Apogeo: alij aliter.

Conclusio. Sidera eleuantur super alia Sidera, quæ cum sint illis aliquo modo familiaria, robustiores vires obtinent. Duo enim necessaria sunt, vt sint aliquo modo ad inuicem familiaria, & quod vnum sit validius altero.

Et quod hæc fuerit vera *Ptolemai* sententia patet; ait enim ipse quod Sidera, quæ super alia Sidera eleuantur, siue feruntur validiora, noxia illis sunt, idest si diuersæ sint naturæ alterant validissimè naturas eorum, super quibus eleuantur: Sed hoc non potest contingere, nisi hæc duo concurrant, idest familiaritas, & excessus virium, ergo &c. probatur minor, & quod sit necessaria familiaritas; Eleuationis effectus ex *Ptolomai doctrina* est diminutio virium in eo Sidere, super quod aliud viribus existens validius, dicitur eleuari: qui quidem effectus est actio eleuati Sideris in depressum: sed Astra non agunt ad inuicem nisi se se respiciant, ergo necessarium est, vt se se inuicem intueantur: nam proculdubiò Sidera, quæ ad se se inuicem non sunt aliquo modo familiaria, non possunt ad se se inuicem agere: Quod verò necessarius quoq; sit excessus virium probatur: Non potest vnum Sidus deprimere vires alterius, nisi sit viribus validius; nam quando Sidera sunt ad inuicem familiaria agunt, & repatiuntur ad inuicem, quæ validiora sunt magis agunt, & minus repatiuntur; quæ verò debiliora, minus agunt, & magis repatiuntur; & sequitur, vt Sidus, quod viribus præcellit dum intuetur aliud Sidus viribus debilius, illud agat in hoc, & virtutem, & qualitates eius deprimat: Quare si eleuantur beneficæ supra maleficas bonum est, nam beneficæ deprimunt vires maleficarum; è contra, valdè noxium est maleficas Stellas eleuari supra beneficas; corrumpunt enim earum bonitatem, vt ipsa bonitas noxia fiat.

Vires autem Siderum spectantur pluribus modis, quos recenset *Ptolemæus lib.* 1. Apotelesm.: puto autem esse qui sequuntur.

Situs in nobiliori cardine, & domo: Maior ad cardinem ad quem proficiscuntur propinquitas: Orientalitas à Sole: Occidentalitas à Luna: In Domo, altitudine, triplicitate, siue finibus suæ naturæ: Maior ad Polum Articum propinquitas supra terram, & ad Polum Antarticum sub terra: Ascensio supra terram, & descensio sub terra secundum latitudinem, secundum declinationem, & secundum situm in Mundo: familiaritas Siderum consimilis naturæ, & cũ Capite Draconis: Motus additio: Ascensio ad Apogæum, tàm Eccentrici, quam Epicycli: Atq; si qui sunt alij modi quibus augeant Sidera suas vires: ad Cardines autem comparatio præ omnibus validior est.

De Dignitatibus Planetarum in signis.

CAPVT DVODECIMVM.

Q Vinq; Dignitates Planetarum ponuntur à *Ptolemæo* pluribus locis, vt præ cæteris *lib. 3. cap. 2. de parte horoscopi*: & sunt, Domus, Triplicitas, Exaltatio, Fines, & Radij, seu familiaritates. De Radijs, & familiaritatibus satis dictum est: remanet vt de Dignitatibus in signis disseramus.

Qui in Astrologiam inuehuntur dicunt, quod Dignitates Planetarum in signis sunt mera hominum figmenta; quia nulla apparet ratio Physica, quâ Dignitates huiusmodi in natura ponantur; quapropter quod sint ad libitum hominum inuentæ. Et possunt sic probare.

Dignitates Planetarum in signis Zodiaci, vel ponuntur ratione naturæ, & qualitatis Stellarum fixarum, quæ reperiuntur in ipsis signis, vel propter aliam rationem, quæ nulla alia apparet possibilis: sed non ponuntur propter naturã Stellarum fixarum: ergo falsò ponuntur: minor propositio patet, nam Stellæ fixæ progrediuntur, & non permanent semper in ijsdem signis; adeout à tempore *Ptolemæi* plurimæ Stellæ fixæ migrauerint ad alia signa. Deinde fixæ in signis non omnes sunt similes secundum naturam dominantibus Planetis in ipsis signis.

Quod verò neq; appareat alia ratio certum est: nam quæ affertur *à Ptolemæo lib. 1. cap. de Domibus*, nulla prorsus est, ait enim. *Quia ex duodecim signis duo proximè accedunt ad verticalem nobis punctum, ideo calores, & æstus generant, ea sunt Cancer, & Leo, placuit tribuere illa duobus præcipuis, & maximis, hoc est ipsis luminaribus, Soli quidem Leo, propterea quod masculinum est signum, Lunæ verò Cancer, quod fœmininum esset*. At verò etiam signum Geminorum est masculinum, & vertici nostro magis proximum, quia magis declinat ad Boream, quam Leo: ergo potius Geminorum signum, quam Leonis oporteret, vt esset domus Solis.

Deinde secundum hanc rationem distributionis, Dignitates Domorum erunt diuersę in diuersis terrę regionibus: nam in Australibus signa Capricorni, & Aquarij erunt Domus Luminarium, quia regionibus illis magis verticalia: atq; plura similia contingunt absurda. Finium quoq; Dignitas nulla ratione, quæ in natura inhæreat comprobari potest; adeoquod prorsus fictitia censeri debeat. His atq; simillibus rationibus, & sanè validissimis reijci possunt Planetarum dignitates in signis: propter quas rationes, fateor, quod prius quam inuenissem, & potuissem mea prima principia, & fundamenta, putauerim omnino, quod dignitates Planetarum in signis fictæ prorsus esset, & inanes.

Et sanè quidem certum est, quod dignitates Planetarũ in signis non debent poni propter naturam Stellarum fixarum, quæ in ipsis signis reperiuntur, sed propter aliam causam. Ratio *Ptolemæi* optima est, sed non æquè planè declarata.

Oportet autem *primò meminiſſe* proprietatum luminis Aſtrorum, de quibus dixi *lib.* 1. quarum primariæ, & principales ſunt intenſio, & extenſio: & quod hæ proprietates maximè omnium inueniuntur in luminaribus, & in Sole præualet magis intenſio, à qua fluunt qualitates actiuæ, in Luna præualet extenſio, à qua oriuntur qualitates paſſiuæ: quippe ſecundum has proprietates luminaria agunt potētiſſimo præ omnibus Aſtris modo. Ergo in illis ſignis in quibus maximè exercent has proprietates obtinent ſuā dignitatem: quia dignitas Aſtrorum nihil aliud eſt, niſi locus vbi magis validè exercent ſuas vires, caſus verò eſt locus, vbi minimas vires exercent.

Secundò, oportet meminiſſe eorum quæ dixi *cap.* 14. *eodem lib.* quod qualitates incipiunt à punctis Mobilibus Zodiaci, & quod à Capricorno incipit humiditas, ab Ariete calor, & ſucceſſiuè ſemper intenduntur per totum ſemicirculum vſq; ad oppoſitionem, &c.

Tertiò, quod influxus lucis Aſtrorum non eſt efficax niſi in proportionalibus diſtantijs, quæ efficaces radios præſtant.

Ex his ergo patet *primò*, quod Luna in Cancro, vbi totum ſemicirculum complet ab initio Capricorni, exerceat ſummas vires ex humiditate: quod patet experimento in temporum mutationibus, & in Maris fluxu, & refluxu; & hinc eſt, quod Cancer ſuper aquas Maris præcipuè influat.

Secundò patet, quod cum Sol incipiat influere calorem ab Ariete, augendo dies, ſupra noctes; vbi tangit validiorem radium ex maiori intenſione, ibi obtinet dignitatem: efficit autem ſextilem in Geminis, quadratum in Cancro, trinum in Leone, & oppoſitionem in Libra, quorum radiorum trinus eſt omniū validiſſimus, quia intenſiorem gradum attingit qualitatis ex diuturniori influxu: & hinc eſt, quod ſignum Leonis ſit calidiſſimum, & igneum, nam in Leone tres radij contingunt ad initium Arietis; trinus, ſeſquiquadratus, & biquintilis: in Libra contingit oppoſitio, quæ quidem validiſſima eſt; at quia Sol in Libra minuit dies, & auget noctes infirmantur ibi vires lucis: Virgo nullum habet radium ad Arietem, & eſt ſignum fœmininum.

Optima igitur ratione, & naturæ rerum conſentanea ſignum Cancri tribuitur Lunæ, & ſignum Leonis Soli: Et hinc etiam colligitur, quod Luna habet ſimiliter dignitatem in Tauro, quia in eo tangit trinum, tum etiam ſeſquiquadratum, & biquintilem ad Capricornum, à quo incæpit influere humiditatem; Tandem quod etiam habeat aliquam dignitatem in Piſcibus, Virgine, & Scorpione ratione radiorum felicium ad Capricornum, & Cancrum: Item colligitur, quod Sol habet dignitatem in Ariete, vbi incipit augere lucem ſupra tenebras; & quod in Geminis, & cæteris ſignis maſculinis acquirit vires maſculas ſicut alibi dixi. Hæc quoad dignitates luminarium.

Reliquorum verò Planetarum dignitates *Ptolemæus* inueſtigat triplici ratione, ex ordine ſitus, ex qualitate naturæ, & ex partitione Zodiaci in duos ſemicirculos, quos luminarium ditioni adſcribit.

Ex ordine ſitus incipit diſtribuere dignitatem Domus à Saturno, qui cum ſit à luminaribus omnium remotiſſimus, remotiſſima ſigna ſignis luminarium tribuit eidem: deinde quæ ſubſequuntur ſigna dat Ioui &c.

Ex

Ex natura verò, quia Saturnus frigidus est, & siccus, habens lumen exiguum, tàm secundum extensionem, quàm secundum intensionem, & colorem terreum, ideoq; omnino contrarius naturæ luminarium, opposita signa signis luminariũ illi adiungit: At verò Ioui, quia secundum naturam benignus, & beneficus est habens lumen secundum extensionem, intensionem, & colorem temperatæ naturæ dat signa benigno, & benefico radio conciliata signis luminarium; atq; similiter de reliquis.

Ex partitione Zodiaci in duos semicirculos colligit radios esse validiores in eodem semicirculo; ex quo infert, quod verbi gratia Taurus sit magis felix ratione felicis radij ad Cancrum, quia in eodem semicirculo Lunæ, quam infelix ex quadrato ad Leonem, quia ex diuersis semicirculis, & quod Libra sit magis felix ex sextili ad Leonem, quia ex eodem semicirculo, quam infelix ex quadrato ad Cancrum, quia ex diuersis semicirculis &c.

Triplicitatem venatur à similitudine sexus, & conditionis, & à dignitate domus, maximè in signis fixis: Altitudinem verò ex natura vniuscuiusq; & opposita, seu contraria signa dat planetis secundum naturam oppositis, & contrarijs: Fines tandem assignat Planetis secundum rationem principalium dignitatum.

Harum autem omnium distributionum ratio ex meis principijs est, primò quod diuiditur Zodiacus in duas partes ratione qualitatum, quæ in ipsis generantur; nam à Capricorno vsq; ad Cancrum viget humiditas; quapropter radij in hoc semicirculo sumpti relatiuè ad initium, & finem intensionis humiditatis sunt magis efficaces, quia emergunt ex partitione vnius, & eiusdem qualitatis, quæ est humiditas, in proportionales partes: Et sequitur, vt in reliquo semicirculo sint magis efficaces radij sumpti relatiuè ad loca caloris, quia ex partitione graduum intensionis eiusdem. Secundò; ratio Dignitatum nulla alia mihi videtur, & probatur esse, nisi radij Siderum ad puncta tropica, & æquinoctialia.

Vt Capricornus est dignitas Saturni, & Martis ratione quidem oppositionis ad signum Lunæ, & quadrati ad Arietem altitudinem Solis; sed magis ratione maximæ depressionis lucis, cuius causa remanet expers omnis humiditatis; & initij quartæ Hyemalis frigidissimæ; vnde emergunt radij hostiles ad illa loca.

In Aquario plus valet quadratus ad Taurum, & oppositio ad Leonem, quam sextilis ad Arietem, tùm quia continet vltimum residuum frigiditatis, tùm etiã quia ex hoc semicirculo radij plus valent ratione qualitatis passiuæ, quam actiuæ, at verò ad puncta tropica signum Aquarij nullum habet radium.

In Piscibus Astra tangunt primum sextilem, & quintilem ad initium Capricorni, & trinum ad Cancrum, quare signum qualitate humidum est, & natura benignum ad instar Iouis, Veneris, & Lunæ, qui in hoc signo dominantur.

In Ariete fit quadratus ad puncta tropica, & est initiũ virium lucis diei supra tenebras noctis; quare ex initio caloris tribuitur hoc signum Soli, & Marti: etenim non tantum Mars aduersatur Lunæ, sed etiam Sol, quia calor absumit humiditatem, sicut è contra, humiditas extinguit calorem, hinc est, quod Sol, & Luna hostes ad inuicem sunt, & exaltantur in locis quadratis ad Domus alterutrius.

In

In Tauro Planetæ attingunt sextilem ad Cancrum, & trinum ad Capricornum, immo etiam sesquiquadratum, & biquintilem; hinc qualitate humidum est hoc signum valde, & natura beneficum, sicut est Venus, & Luna; habet etiam caloris aliquid, sed parum efficax, quia nondum obtinet radium ad initium Arietis.

Geminorum signum est quidem masculum, quia habet sextilem, & deinde etiam quintilem ad initium Arietis: tamen hi radij debiles sunt; fiunt enim ad initium caloris, in semicirculo humiditatis. Est autem hoc signum humidum valde, ratione magnæ augmentationis lucis, quæ in ipso contingit ab initio Capricorni; sed eius humiditas est inefficax, quia nullo radio conciliatur ad Capricornum, & Cancrum: ideoq; cum exili calore refert naturam versatilem, & inconstantem; nam inefficacia inconstantia quædam est; secundum Mercurij naturam.

In Cancro fit maior secundum extensionem lux, sicut dictum est; ideoq; signũ est humidum nimis, iuxta naturam Lunæ, Veneris, & Iouis: cum verò sit in quadrato ad Arietem, habet aliquid naturæ Martis.

In Leone Sidera tangunt radium trinum ad Arietem, & nullum ad Cancrum, & Capricornum: & hinc est, quod licet habeat humiditatem, tamen habet ex remissione, & gradu inefficaci: at cum in Leone præualeat nimis calor ex radio maximè efficaci, deprimit dominium humiditatis, adeout exinde signorum radij magis ad loca caloris, quam humiditatis spectari debeant; nam re vera humiditas post hac remittitur, & augetur siccitas; hoc ergo signum cum calore versatilem habet naturam quemadmodum Sol.

Virgo nullum habet radium ad Arietem, quare secundum calorem inefficax: siccitatem efficit aliquam ex primo sextili ad Cancrum, sed parum actiuam, quia siccitas qualitas segnis est, ideoq; in hoc semicirculo parum valent radij signorum ad puncta tropica: hoc igitur signum inconstantis est naturæ sicut Mercurius.

In Libra lux minuitur, & nox augetur frigiditatis auctrix, iuxta naturam Veneris, & Saturni: fit quadratus ad Cancrum, & oppositio ad Arietem luminarium dignitates; sicut Saturnus hostis est luminarium: at verò in hoc semicirculo magis valet sextilis ad Leonem, cuius causa hoc signum Veneris naturam induit.

In Scorpione parum valent radij ad puncta tropica sicut dixi, sed magis radius quadratus ad Leonem, tum etiam oppositus ad Taurum.

Sagittarius habet trinum ad Arietem, & ad Leonem, ideoq; natura benignus est, licet in fine eo quod perueniat ad oppositionem Cancri, & quadratum Arietis, secundum naturam ferè maleficus sit.

Dices. Sæpè in hoc opere dictum est, quod loca in Cælo, quæ non habent lumen nõ sunt actiua: at verò signa in Cælo spectantur independenter ab Astris omnibus tam fixis, quam erraticis, & luminaria non permanent in suis signis: ergo signorum radij ad signa luminarium inanes sunt, quia à locis lumine priuatis ad loca lumine priuata; ergò inanes etiã sunt dignitates si in radijs signorum ad alia signa fundentur: etenim re vera non signa, sed luminaria, & Sidera

efficiunt in illis signis illas luminis passiones,& configurationes; quia signa sine Astris cum nullum habeant lumen,nullam habere possunt luminis proprietatẽ, vel passionem; vt extensionem, intensionem, augmentum, decrementum, &c. *Respondeo*, quod dignitates Planetarum non constituuntur in signis per radios signorum ad alia signa,sed per modum influendi vniuscuiusq; Sideris in singulis signis: nam omne Sidus à Capricorno auget lumen vsq;ad Cancrum; ab Ariete intendit lucem ex diuturniori semper mora supra terram &c. Quapropter non signa agunt in Planetas in ipsis inuentos, sed ipsi Planetæ à singulis signis, & locis Zodiaci diuersimodè agunt iuxta diuersum modum influendi, qui modus naturæ singulorum Planetarum assimilatur: vt Sol, Luna, & cæteri in Libra agunt secundum naturam Veneris, & Saturni &c. Et hinc dicuntur dominari Planetæ in luminarium congressibus, & cæteris radijs, quia ipsa luminaria ab illis signis agunt secundum naturam Planetarum ibidem dominantium.

Cæterum tanquam insomnia semper censui dominia Planetarum in signis, quasi sint iura quædam ipsorum dominio, & imperio reseruata: hoc inquam, inane est asserere.

Dices item. Planetæ, qui dominantur in luminarium ad inuicem radijs, & congressibus, agunt validissimè tunc interlunij circa res subiectas, vt in transmutandis aeris qualitatibus, in definiendis momentis natalium, in Eclipsium eliciendis effectibus, atq; huiusmodi: Hoc autem signum est, quod Planetæ cum habeant ius dominij in illis luminarium familiaritatibus; funguntur postea munere suo, tempore sui iuris. *Respondeo*,quod cum præordinentur effectus, & qualitates à luminaribus in suis familiaritatibus secũdum naturam illorum Planetarum dominantium in illis signis; ipsi Planetæ dominantes eliciunt postea ad actum ipsas qualitates, & res præordinatas; quas alias non possent producere: Præordinant verò Sol,& Luna secundum naturam signorum; idest secũdum modum influendi a diuersis locis Zodiaci; & secundum familiaritates siderum,de quibus supra dictum est. Quapropter,vt melius percipiatur fundamentum dignitatum Planetarum in locis Zodiaci,

Cauendum est, quod quinq; Planetæ Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, & Mercurius ratione suarum proprietatum, & maximè coloris sui luminis,habent in se ipsis determinatos quosdam qualitatũ gradus similis naturæ gradibus illis, quos luminaria producunt omnibus suis lationibus; dixi similis naturæ, intelligo saltem quoad gradus, non quoad naturam qualitatis; nam luminaria non efficiunt qualitates, quas Mars, & Saturnus, quæ omnino corruptiuæ sunt,&c. Et censeo,quod Iuppiter habeat illos gradus qualitatis caloris,qui ex radio trino oriuntur, humiditatis verò illos gradus, qui ex radio sextili; & propterea quod Iuppiter sit fortuna maior ratione maioris intensionis caloris &c. sicut alibi dixi: Venus,quod contineat illos gradus caloris, qui ex radio sextili fiunt, humiditatis verò qui ex trino; & hinc quod sit fortuna minor ratione maioris qualitatis passiuæ. Saturnus, quod habeat illos gradus frigiditatis, qui ex oppositione fiunt, idest summos; siccitatis verò illos gradus, qui ex quadrato oriuntur; & idcirco quod sit infortuna maior ratione excessus frigiditatis supra siccitatem: tandem Mars obtineat illos gradus ariditatis, qui ex oppositione emergunt,

gunt, & caloris destructiui illos gradus, qui ex quadrato: & ideo quod sit infortuna minor; Mercurius quia inconstantis apparet coloris inconstantis naturæ censetur esse, & experimento constat.

Huius autem rei ratio vna talis est. Luminaria suis lationibus generant quatuor primas qualitates, à primo gradu, vsq; ad octauum & summum, ergo omnes gradus, ergo illos etiam gradus, in quibus constituuntur naturæ Planetarum, quæ ratio validissima est.

Secunda Ratio. Planetæ exhibent gradus qualitatum, maximè per colorē sui luminis, vt alibi demonstraui; sed lux luminarium exhibet omnes colores; ergo signum est, quod exhibeant etiam illos gradus qualitatum, quos præstant Planetæ suis coloribus.

Tertia Ratio. Colores ex *Aristotele libello de sensu, & sensilibus cap. 3.* sunt sicut consonantiæ harmonicæ, quia fiunt ex varijs permixtionibus, sicut habet tùm ibi, tùm alibi idem Philosophus: Sed consonantiæ harmonicæ omnino similes sunt radijs Astrorum in Cælo, quemadmodum ostensum est *cap. 2.* ergo colores quinq; erraticarum similes sunt radijs Astrorum, & modis eorū influendi.

Igitur prout sidera tangunt diuersos radios, & gradus qualitatum ex diuersis distantijs, & modis influendi à punctis mobilibus, tangunt etiam loca in ipsis circulationibus, quæ similem naturam, saltem quoad intensionem graduum, habent naturæ quinq; erraticarum: quæ loca, dignitates earumdem vocantur. Sed perquiramus tandem finium quoq; rationes, & fundamenta: & putasne mi Lector, quod nouas causas, aliaq; principia finium assignare velim? nequaquam: in hoc enim mihi maximè comprobantur res meæ, quod ijsdem omnino principijs, & fundamentis vniuersum hoc opus constructum est, & consistit.

Sumo autem fines Ægyptiorum, eò quod secundum communem Professorum sententiam, veritati rerum magis correspondeant, quàm fines Chaldeorum, siuè Ptholomæi.

In exordio Arietis, sex partes Iouis fines sunt, & sex sequentes Veneris; quia ibi incipit augeri lumen dierum viuificum, supra tenebras noctium; ideòq; partes illæ benencæ sunt: deinde octo partes Mercurij, ex radio inde quintili, ad Tropicum Cancri: quæ supersunt fines Martis, & Saturni sunt, qui semper vltimas partes Signorum habent, eò quòd radij antequam attingantur secundum suas proportiones, non adeo fœlices sint; quemadmodum consonantiæ harmonicæ dissentiunt validissimè, ante veram proportionem.

In exordio Tauri, octo partes fines Veneris sunt, ratione trini ad Tropicum Capricorni, & sextilis ad Cancrum; postea sex Mercurij, ex biquintili ad Librā; quamuis re vera secundum partes, non æquè benè correspondeant: inde octo Saturni, ratione sesquiquadrati, qui radius hostilis est, ad initium Capricorni, & Libræ: quinq; Iouis, ratione biquintilis ad Tropicum Capricorni: quæ remanent Martis sunt.

In Geminis, sex Mercurij, ratione domus &c: sicut dixi: Sex Iouis, & sex Veneris, ratione quintilis ad initium Arietis; & ita correspondet hic radius, vt ponatur in medio finium Iouis, & Veneris, ne putes hæc esse figmenta; quæ potius admiratione digna sunt: reliquæ partes infortunis dantur.

In Cancro, septem partes sunt Martis, ex quadrato ad initium Arietis: sex Veneris, ratione humiditatis Tropici: sex Mercurij, & septem Iouis, ob quintilem ad initium Libræ: quatuor vltimæ Saturni.

In Leone, sex Iouis, propter trinum ad Arietis initium: quinque Veneris, ob radium biquintilem ad tropicum Capricorni: septem Saturni, quia incidit ibi sesquiquadratus ad initium Capricorni, & Arietis, quæ remanent Mercurij, & Martis sunt.

In Virgine septem, sunt Mercurij, ob sextilem ad Cancrum: decem Veneris; & quatuor Iouis propter quintilem ad tropicum Cancri: reliquæ infortunarũ.

In Libra, sex Saturni propter oppositionem ad initium Arietis, & quadratum ad Cancrum: octo Mercurij indifferentes: septem Iouis, & septem Veneris, ex quintili ad Tropicũ Capricorni, adeout quintilis sit ferè in medio finium Iouis, & Veneris: reliquæ duæ Martis.

In Scorpione, septem Martis, ex quadrato ad Leonem: quatuor Veneris ratione trini ad tropicum Cancri: octo Mercurij, quas censeo Maleficas esse ob sesquiquadratum ad initium Cancri, & Arietis: quinque Iouis ex biquintili ad tropicum Cancri: sex Saturni.

In Sagittario, duodecim sunt Iouis; quinq; Veneris, propter trinum ad initiũ Arietis, & quintilem ad initium Libræ, qui inter fines Iouis, & Veneris ad vnguem ponitur: quatuor Mercurij indifferentes: reliquæ Saturni, & Martis.

In Capricorno, septem Mercurij, quas potius Veneris putarem eum Chaldeis propter initium augmentationis dierum, inde septem Mercurij: septem Iouis, siuè sint Veneris, ob quintilem ad initium Arietis: reliquæ infortunarum.

In Aquario, septem Mercurij, ob sextilem ad Arietem: sex Veneris; septem Iouis; sed ego censeo esse Saturni, propter sesquiquadratum ad Cancrum, & ad Libram; & quinq; sequentes esse Iouis, ob radium biquintilem ad Libram: vltimæ Martis sunt.

In Piscibus, duodecim sunt Veneris, ob trinum ad Cancrum, & sextilem ad Capricornum: quatuor Iouis, propter quintilem ad Capricornum, qui radius in medio est finium Veneris, & Iouis exquisitè: tres Mercurij indifferentes: reliquæ infortunarum.

In qua finium vniuersa distributione, tantùm in medio signi Aquarij videtur aliqua difficultas: in reliquis omnibus correspondent fines miro modo iuxta radios partium Signorum, ad puncta mobilia, quod spectatu dignum est.

Ex quibus omnibus clarè patet, quid respondendum sit rationibus in contrarium allatis: & concedendum est, quod in Regionibus Australibus alio modo disponantur Planetarum dignitates.

QVÆSTIO.

QVÆSTIONVM PHYSIOMATHEMATICARVM LIBER TERTIVS DE SIDERVM AD FAMILIARITATES MOTIBVS, ET NVMERIS

AVCTORE
DIDACO PRITTO PELVSIENSI.

MEDIOLANI,
A Io. Baptiſta Malateſta R. Cq; Typographo.
De Patrum conſenſu.

AD LECTOREM

DE viribus Astrorum erga sublunares res, atque de familiaritatibus eorumdem, in genere, & in spetie, tum etiam de circulis, & distantijs, quibus illæ sint accipiendæ; satis dictum sit. Consequẽs nunc est perquirere, quot, quiuè sint motus in Cælo, quibus ad efficaces familiaritates Astra contendunt: etenim tunc proculdubio, ex ipsis nimirum motibus emergent numeri, quibus effectuum naturalium, inde manantium, tempora cognoscere, quàm plenè, planèq; valeamus: quippe cum tempus sit numerus, motus, & causæ, non nisi per motum congredi possint; si congressuum sedes, nimirum familiaritatum situs, & longitudines, iuxta naturæ decreta, deindè singulorum motuum tramites, perfectè nouerimus, illico voti compotes efficiemur. Quapropter, ne graueris humanissime Lector, & hanc tertiam mei laboris, qualis illa sit, lustrare partem; quæ licet breuissimis capitulis, totius tamen operis summam refert, interim valeas.

QVÆS-

QVÆSTIONVM PHYSIOMATHEMATICARVM LIBER TERTIVS DE SIDERVM AD FAMILIARITATES MOTIBVS, ET NVMERIS.

Quot sint motus in Cælo?

CAPVT PRIMVM.

PRoponunt Philosophi Quæstionem hanc in libris de Cælo, & asserunt communiter in Cælo esse duos motus, vnum quo Sidera ab ortu, ad meridiem, & occasum feruntur, quem vocant motum raptus Primi mobilis, & vniuersalem; alterum contra motum Primi mobilis, ab occidentalioribus eius partibus, ad orientaliores, & dicunt esse particularem singulis Astris: quem loquendi modum nunquam comprobare potui, si tamen Physicè loquamur; nam Philosophia rerum veritatem sequitur, non apparentias; & debet loqui veris, & ingenuis verbis, non falsis & fictis: Astra autem moueri duobus motibus cōtrarijs repugnat, & est impossibile.

Prima Conclusio. Si Physicè loquamur vno tantùm motu mouentur Astra, qui est motus Primi mobilis ab ortu, ad occasum. Probatur

Primò. Ille est motus mobilis, quo mobile relinquit aliquas partes fixas Vniuersi, & appropinquat alijs partibus fixis Vniuersi: siuè quo permutat distantiam à partibus fixis Vniuersi; non autem quo permutat distantiam ab alijs mobilibus: sed omnia sidera relinquunt solummodò ortum, & accedunt ad occasum, quæ sunt partes fixæ Vniuersi, quia terra non mouetur: ergo hoc tantum motu mouentur Astra: Maior propositio probatur; quod non permutat distantiam à partibus fixis Vniuersi, iam censendum est fixum, & immobile, sicut ipsæ partes fixæ Vniuersi; nam quæ ad inuicem similia sunt, etiam similiter se habent ad tertium quodlibet; ergo si vnum fixum est, alterum quoque fixum esse necesse est: è contra verò illa mobilia, quæ dum mouentur permutant distantiam ad inuicem, non est ratio, quare vnum potius erga alterum moueatur: nam Planetæ permutant quidem distantiam ab Astris, & partibus

Primi

Primi mobilis: attamen peto quare potius Planetæ ad ortum mouentur, quam fixæ, & Primum mobile ad occasum? nam si dicant Philosophi, quod mouentur Planetæ, ab occidentalioribus partibus Primi mobilis, ad orientaliores eiusdem; & ego è contrà dicam, quòd potius Primum mobile, maiori velocitate ab ortu ad occasum fertur, qua velocitate relinquit post se minus veloces in motu Planetas, adeò quòd Luna omnium tardissimè, ab ortu, ad occasum feratur: atq; ita potius partes Primi mobilis occidentaliores discedunt à Planetis orientalioribus, qui tardius mouentur motu raptus; quàm ipsi Planetæ discedant à partibus occidentalioribus Primi mobilis, & accedant ad partes orientaliores eiusdem. Vt sit mobile A velocioris motus, & mobile B tardioris, quæ simul discedant à termino C, & moueantur ad terminum D; sanè prius perueniet mobile A, ad terminum D, & in medio successiuè separantur ab inuicem ista duo mobilia. Philosophi si dicant, quòd mobile B, mouetur contra motum mobilis A, à termino D, ad terminum C; hoc est contra suppositum: si verò dicant, quòd mobile B, moueatur à mobile A, tanquam à termino à quo, hoc ineptum est affirmare; nam mobile A, quia velocius fertur; separatur à mobile B, tanquam à termino à quo, relinquit enim ipsum post se, & citius peruenit ad terminum D; quàm perueniat mobile B; non autem è contra; nam mobile B non potest dici moueri, & discedere à mobile A, quia mobile B tardioris est motus: Separatio autem ab inuicem horum duorum mobilium, dum mouentur fit ratione diuersitatis velocitatis eiusdem motus mobilium; non ratione diuersorum motuum à diuersis terminis. Ita accidit in Cœlo: Planetæ non mouentur contra motum Primi mobilis, sed Primum mobile, quia velocius ad occasum fertur, & Planetæ tardius, ideo separantur ab inuicem. Omnes igitur stellæ vn co tantùm motu mouentur, si Phisicè loquamur, qui est raptus, in quo contingit propter velocitatem, & tarditatem, vt aliæ citius, aliæ tardius rapiantur.

Secundò probatur. Si Planetæ mouentur motu particulari sub Primo mobile, & quia permutent situm sub ipso, sequitur tot dari motus in singulis Astris, quot sunt permutationes situs vniuscuiusq; eorum, sub orbibus reliquorum, tàm Planetarum, quàm fixarum: omnis enim Planeta permutat situm sub orbe aliorum: Vt Luna dicetur moueri octo motibus, sub orbe Mercurij, sub orbe Veneris, Solis, Martis, Iouis, Cœli stellati, & Primi mobilis; sed hoc sanè stultum esset asserere: ergo &c.

Secunda Conclusio. Attamen, ad facilius explicandas res Astrosophicas, dico duobus motibus moueri Sidera, iuxta communem loquendi modum: nam reuera Stellæ, non solùm ex permutatione situum, & distantiarum circa Mundum, quam *Aristoteles 2. gener. tex. 56.* primam lationem vocat; agunt in hæc inferiora; sed etiam ex permutatione situum, & distantiarum in Zodiaco, quem circulum obliquum idem nominat, & ad lationes secundum hunc circulum, refert causam perpetuitatis ortus, & interitus rerum.

Tertia Conclusio. Imò dico amplius, tot esse motus in Cælo, quot modis Astra permutant respectus erga nos, qui tamen respectus habent relationem ad modum patiendi rerum. Et hi quidem modi puto, quod plures sint, attamen ex

men ex auctoritate Ptholemæi, traditione Antiquorum, obseruatione, & rationibus, quas subijciam, dico esse quatuor; motum Solarem, qui Directio dicitur; motum Lunarem, qui progressio, & processus; lationem quotidianam respectiuam ad loca Directionis, & Processus, quam ingressum appellat Ptholemæus; & lationem quotidianam respectiuam ad loca Natalis, quam Transitum nominat. Hæc conclusio constabit ex infra dicendis suis locis; nam Directionis, & Processus motus efficacia, ratio, & fundamentum ex dictis etiam patent: lationes verò quotidianæ respectiuæ ad loca Directionis, & Processus educunt ad actum effectus illos, qui sunt in fieri, & potentia proxima, pendentes à familiaritatibus Siderum in Directione, & Processu: lationes eædem respectiuæ ad loca Natalis prosunt, vel officiunt congenitæ, & connaturali corporis calori, & humiditatis vitalis, dispositioni, & intensioni.

Quod vt plenius percipiatur, reminisci debemus, quæ dixi *c.* 8. *l.* 1. in homine reperiri, primò quidem congenitũ temperamentum corporis, caloris &c: quod cum pendeat à constitutione Natalis, sequitur, vt alteretur maximè à transitibus Siderum quotidianis, super loca eiusdem Natalis: Secundò, in homine successiuè, & iugiter semper exire ad actum præordinatum calorem vitalem, & humiditatem cum suis coeffectibus: Et qualitates quidem horum actuum, pendent à familiaritatibus Siderum in Directione, & processu: attamen, quia omne quod actu fit requirit causam proximam, seu præsentaneam, quæ ex potentia, ad actum eliciat ipsum effectum, ideo effectus Directionum, & Processuum non exeunt ad actum, nisi Sidera lationibus quotidianis conferant consimili influxu: nam causa præsentanea, vt eliciat ad actum præexistentem potentia aliquem effectum, opus est, vt sit similis effectui eliciendo; aliàs nunquam ipsum eliciet ad actum: quas lationes respectiuas ad Directionẽ, & Progressum, Ptholemæus vocat Ingressum. Sed iam de singulis seorsim dicamus.

Directionis motus quid sit.

CAPVT SECVNDVM.

VArijs quidem, diuersisq; modis causarum cælestium motus illi in ordine ad Genituram (quos Directionis ab iter dirigendo, puto, vocant) ab Auctoribus concipi, & definiri solent; in hoc tamen omnes ferè conueniunt, quòd ab intellectus operatione pendere censeant.

Quidam enim dicunt esse, venari Æquatoris tempora, quæ Significatori, & Promissori interijciuntur; alij inquirere arcum Æquatoris interceptum inter duo loca in Cælo; alij mensuram artificiosam itineris; alij inuestigationem illius veri motus, partis in Cælo sequentis, ad partem præcedentem; alij aliter definiunt: Quæ de directionis motu, an benè dicantur, mox constabit.

Meminisse autem oportet eorum, quæ superioribus libris dictum est; nimirum in Cælo esse quædam Sidera, & loca, quæ se habent tanquam subiectum passibile; & diximus esse quinq; Solem, Lunam, Horoscopum, Culmen, &

Partem

Partem Fortunæ: Omnia verò Sidera, & etiam quæcunq; noua Phænomena, se habere tanquam causas efficientes, imò, & ipsa luminaria, quibus non repugnat ex eminenti virtute, diuersarum causarum vim inesse. At verò, sicut efficientes rerum inferiorum causæ, nequeūt suos elicere effectus, si procul sint à subiecto, in quod recipi debet actio, & vnde actus educi, prout Philosophi censent; sic à pari ducta ratione, superiores causæ effectum suum non eliciunt remoto subiecto; quamobrem, nisi congrediantur, nullum producunt effectum. Quemadmodum autem effectuum induciæ in rebus inferioribus, à causarum mora, quam ducunt ante congressum pendent; sic apud superiores, effectuum induciæ non nisi pendent à mora, quam causæ gerunt in motu, ante congressū, qui motus Directionis vocatus est.

Et sanè quod necesse sit, motum hunc realem esse in ipsis causis, vereri non possumus; nam noui effectus elici non possunt, nisi ex causarum congressu; congredi verò nequeunt, nisi moueantur; cum verò motus sit causa temporis, hinc oritur effectuum mora; ergo si causarum congressus sint reales, realis etiam necesse est, quod sit motus earum: Quare ineptè Directionis motum definiunt, qui nostram industriam, & numerorum venationem in definitione inserunt: Etenim inquirere, inuestigare, venari, mensura, atq; huiusmodi, quæ de Directione dicunt Auctores, intellectu fiunt; Directio autem est motus realis, quē sequuntur applicationes causarum, has effectus reales. Præterea definitio, quam tradunt Auctores, conuenit omni motui Siderum; non omnis autem eorum motus est Directio.

Conclusio. Directio est velox quidam motus, quo in nato cælestes causæ, breui tempore præordinant potentia effectus naturales, ad actum ituros in diuturno Vitæ decursu. Colligitur hæc definitio ex dictis in toto Opere: dico esse motum, quia in Cœlo omnis distantia inter Sidera, quæ ad inuicem congredi possunt, & congrediuntur, motu expletur, & absumitur: cum verò Sol, & Luna præordinent decursum principiorum vitæ, quæ sunt calor, & humiditas vitales; hæc non nisi per motum, & influxum præordinare possunt; quorum qui fit à Sole Directionis dictus est, qui verò a Luna Processus. At quod præordinentur potentia principia vitalia, & cæteri effectus naturales, decursus vitę patet: nā decursus vitæ, est mansio caloris vitalis, qui successiuè perpetuo fluit, & euaporat, itaut successiuè de nouo fieri necesse sit; quod si de nouo fit, ex aliquo fit præexistenti potentia, & virtute, quod actu fit calor: est enim calor vitalis adeò præcellens, vt non possit ex quolibet, & in quolibet subiecto fieri, sed opus est, vt contineatur potentia, & virtute; itaut præexistat virtus, & potentia proxima, & proportionata ad talem effectum caloris; sicut experimur in cunctis viuentium generibus, quæ non ex quolibet fiunt, sed ex semine, in quo adest virtus, & potentia præexistentes, ad animam vegetantem: aut si ex putri, præexistit in materia hæc eadem virtus, sicut alibi dictum est, aut certè introducitur prius a Sole, iteratis lationibus, & deinde ipsa anima vegetans.

At verò quòd his vitæ principijs præordinentur cæteri effectus naturales patet, quia omnis effectus naturales in viuente præsupponit hæc duo principia, sine quibus non est viuens, neq; capax cæterorum effectuum: quæ quidem

principia de se indifferentia sunt; habent enim naturam omnino simplicem,& qualitatem temperatam, vel intemperatam aduentitiam admittunt, qualem verò admittunt dum præordinantur, talem ad actum emittunt; qualiterq; ipsa principia præordinantur virtute, & potentia, taliter ad actum eunt; itaut cæteri effectus,sint coeffectus cum ipsis vitæ principijs.

Dixi (esse velocem motum, quo causæ cælestes breui tempore præordinant &c:) Cum enim præordinatio effectuum,& principiorum Vitæ sit omninò necessaria, & necessariò præcurrere debeat; Sidera præordinare non possunt, nisi modo sibi connaturali, & proprio; Astra verò latione, & successiuo influxu agunt, ergo latione, & successiuo influxu præordinant,ergo latione veloci, & breuis temporis, & vt in parua seminali virtute breuis lationis, & influxus, præordinent illos effectus, qui ad actum ituri sunt,in Vitæ diuturno decursu.

Definitio hæc conuenit etiam motui Progressionis, sicut patebit; nam hæc præordinatio habet duos terminos, seu fundamenta, calorem vitalem, & humiditatem radicalem: calor vitalis pendet à motu, & lumine Solis, qui Directionis dictus est, humiditas radicalis pendet à lumine, & motu Lunæ, qui Processus dicitur: Hæc verò duo fundamenta, seu termini præordinationis, ita ad inuicem famulantur, & corrrespondent, vt se se adiuuent, & nisi ambo pariter patiantur, & afficiantur à cæteris causis, non admittunt nouos notabiles effectus: quia humiditas est subiectum caloris, & calor eius actus, & perfectio: & hæc est ratio, quare in omni notabili effectu necessarius sit assensus, etiam Progressionum, & quare Progressiones ipsæ de se non sufficiant, sed necessarius sit assensus Directionum: Et quia calor est actiuus, humiditas passiua; Directiones,quæ fundamento caloris fiunt,fortiores sunt ad attingendum effectum; sicut ait *Ptholemæus lib. 4. cap. vlt. generalium temporum arbitri*, idest dispositores in Directionibus, *potiores sunt ad decretum absoluendum*; *particularium verò*, dest idispositores in Progressionibus, *conducunt, aut reluctantur pro conuenientia, & aduersitate naturæ suæ &c:*

Directionis motus quis sit, & quomodo fiat.

CAPUT TERTIUM.

Dictum est (Directionem esse motum quemdam velocem, quo Sidera breui tempore præordinant potentia, & virtute quadam seminali futuros effectus &c:) cum verò non appareat hic motus,neq;constet quomodo fiat, consequens est perquirere quis sit, & quomodo fiat.

Et primò quidem certum est,quòd motus Directionis,est motus Solis; quærimus enim motum causæ, quæ præordinat alterum Vitæ principium, quod est calor vitalis; calor autem vitalis non nisi à Sole fieri potest, *sicut lib. 1. dixi*.

Secundò, certum est,quod lationes motus Directionis,non sunt lationes Solis annuæ:nam lationes annuæ Solis sunt,causæ præsentaneæ,quæ nunc eliciūt ad actum,virtutem illam præexistentem,& præordinatam ex velociori,& breuiori

motu præterito: oportet ergo lationem huius motus breuiorem,& velociorem esse, quam sit annua; aliàs enim non præexisteret, sed fieret eodem tempore; quod contingere non potest.

Tertiò, certum est lationem motus, qua Sol præordinat hanc virtutem, debere esse similem lationi annuæ, qua elicit ad actum præexistentes, & præordinatos effectus: nam omnis actus est semper similis suæ potentiæ: ergo causa huius actus debet esse similis causæ eius præordinatæ, & præexistentis virtutis, & potentiæ; & è contra: igitur latio motus Directionis similis esse debet lationi Solis annuæ, in qua exeunt ad actum præordinati potentia effectus.

Quartò, certum est, duas tantùm esse Solis lationes, diurnam, & annuam; & has lationes esse ad inuicem omninò similes: nam latio annua diuiditur in quatuor partes, quæ quatuor anni tempora constituunt: latio diurna diuiditur in quatuor partes, quæ similes omninò sũt quatuor anni temporibus; nõ modo secundum qualitates, sed etiam secundum modum influendi, *sicut ostensum est lib.* 1.

Quintò, certum tandem est, quòd hæc latio motus Directionis correspondere debet ipsi experientiæ,& Veterum traditioni; qui vnanimes asserunt, motum Directionis, esse vnius gradus ferè Æquatoris, pro vno integro anno.

Prima Conclusio. Lationes, quibus Sol præordinat in potentia vitalem calorem, sunt lationes diurnæ, quæ immediatè subsequuntur natiuitatem: Patet ex dictis hæc conclusio: nam fiunt à Sole; sunt similes lationibus annuis; imò non reperiuntur aliæ, quæ similes sint; sunt minores,& breuiores; quare sub minori,& breuiori latione, continent virtute annuos effectus vitales; vnde præexistunt, & præcurrunt; tandem lationes diurnæ constituunt ferè integros Æquatoris gradus, ad integros annos, *sicut dicam infra cap. de mensura*; itaut quamproximè correspondeant ipsi experientiæ, & Veterum traditioni.

Quibus euidens fit, quis sit motus Directionis; (est enim motus Solis per dies circa Mundum; seu sunt integrè Solis per dies lationes, quibus Sol quotidiè circa Mundum, ab ortu, ad meridiem, & occasum &c: circumfertur; quibus lationibus, idem Sol prordinat potentia vitalem calorem, ad actum iturum annuis lationibus; adeout singulæ diurnæ lationes, singulis annis respondeant.) Quomodo autem fiat hic motus nunc subijcio.

Secunda Conclusio. Dum Sol circa Mundum fertur latione diurna, seu motu raptus, Primum mobile, vna cum omnibus Astris, quæ tanquam fixa sub ipso censentur esse, *ex dictis lib.* 1. *cap.* 18. quia velocius mouetur hoc motu, quam Sol, successiuè non nihil præcurrit ipsum Solem; itaut in fine vnius integræ diei, reperiatur præcessisse vno gradu ferè, quantum scilicet dicimus esse motum Solem, contra ipsum Primum mobile: Dum ergo Sol latione vnius integræ diei, præordinat calorem vitalem, ad vnum annum, Astra præcurrendo appropinquant situbus positionum Prorogatorum, per gradum ferè,& similiter successiuè subsequentibus diebus: dum autem appropinquant, applicant etiam ad familiaritates, quibus præordinant naturales effectus, ad actum ituros vna cum ipsis Vitæ principijs, sicut sæpius dictum est. Vt, *exempli gratia*, si in aliqua genesi, sit Sol in meridie, dum circumfertur ad occasum, imum, & ortum,

Primum

Primum mobile successiuè paulatim antecedit, itaut vbi Sol ad meridiem exquisitè peruenerit, inueniatur Primum mobile cum omnibus Astris præcessisse per gradum ferè, quantum scilicet dicimus Solem fuisse motum contra ipsum: Dico igitur tali modo fieri motum Directionis.

Deducitur autem ex supradictis, est naturalis, realis, & euidentissimus hic modus, nullam inuoluit repugnantiam, non fingitur hominum libertate, sed fit à causis naturalibus, & in eo emergunt reales, & naturales mensuræ motus Directionis, ad annorum tempora: apparent Siderum applicationes, ad mutuas ad inuicem familiaritates, & ad cardines Mundi. Cum verò per hunc motum præordinentur principia vitalia, & cum ipsis reliqui coeffectus in rebus ipsis inferioribus, ponitur fundamentum naturale quo, licet, hi motus tantò tempore præcedant ante suos effectus, nihilominus tamen sint efficaces, & productiui nouarum rerum, & suis per ordinem temporibus: quod si Directionis motus realis est, & naturalis, prout antiquitas ex obseruationibus testata est, nullus alius apparet euidenter modus.

Nam sicut alij censent, quod nimirum statim post Natalem, motu raptus, seù horario, minori spatio, quam vna die, compleantur omnes motus Directionis; in hoc modo non apparet ratio mensuræ ad annos, nulla similitudo motus causarum ad suos effectus, & nullus modus præordinationis futurarum rerum naturalium.

Dices. Si talis est motus Directionis, sequitur quod Astrorum in eo familiaritates non sint efficaces, nisi in puncto reditus Annorum: quia non contingunt, nisi in punctis reditus Solis, ad eamdem horam Natalis in fine singulorũ dierum post Natalem. Hæc difficultas videtur validissima: attamen *Respondeo*. Quòd cum Prorogatores consistant immobiles *ex dictis lib. 1.* sequitur etiam, vt eãdem semper seruent ad inuicem distantiam, quamuis totum Cœlum iugiter semper circumuoluatur: Vt si cui ascendat gr. o. Arietis, & culminet gr. o. Capricorni, semper hæ partes illorum Cardinum sunt, & influunt qualitates eorum: Interim verò vniuersa Sidera mouentur contra ipsum Primum mobile, & circa Mundum. Deinde *respondeo*, quod ex ratione propositæ difficultatis, in punctis reditus Annorum fit Causarum vniuersalis quædam dispositio, ad effectus producendos anno illo, & hæc est ratio fundamentalis quare assensus Reuolutionum valdè polleat; qui aliàs inanis omninò censendus esset: effectus tamen intra annum non attinguntur, nisi secũdum Ingressus Transitus, Progressiones &c.

Quotuplex sit Directionis motus.

CAPVT QVARTVM.

DVplicem instituit *Ptholemæus cap. de Vita lib. 3* Directum, quem *actinobolium* vocat, & docet fieri versus consequentia signa; & conuersum, quem horimæum nuncupat, & ostendit fieri versus præcedentia

Ee 2 signa,

ſigna,ſecundum ſcilicet motum horarum. *Cum vita moderandæ principes indicauerimus* (ait) *amplius huius quoq; moderationis duos eſſe modos intelligamus, eum qui conſequentia ſigna verſus instituitur, quam actinoboliam, ideſt radiorum proiectum dicimus, quando in orientalibus locis, nimirum à Cœli culmine,& aſcendente interceptis, Vitæ gubernator inuentus fuerit: & eum, qui non ſolùm conſequentia verſus, ſed in precedentia ſigna peragitur, quam horimaan dicunt, cum in locis à culmine declinantibus reperitur &c:)* Sit igitur

Concluſio. Duplex eſt motus Directionis, iuxta modum hunc duplicem à *Ptholemæo* traditum. *Probatur primò*. Motus Directionis eſt motus Aſtrorum, quo præordinant potentia vitalem calorem cum coeffectibus naturalibus, ſicut ſupra dictum eſt; ſed Sidera, & Sol duplici motu mouentur, directo, & conuerſo, in quibus non minus in vno agunt, quàm in altero, ergo duplex eſt motus Directionis, directus, & conuerſus: minor patet, nam omnia ſidera mouentur motu directo ſub Primo mobile, à partibus occidentalioribus ad partes orientaliores eiuſdem: & mouentur motu conuerſo, ab ortu, ad meridiem, occaſum &c: Quo vtroq; motu ita agunt, vt pari virtute, & robore tàm in vno, quàm in altero, ſicut ratione, & auctoritate grauiſſimorum Auctorum oſtenſum eſt *lib*. 1.

Secundò probatur. Virtus prorogatoria cuiuſuis Prorogatoris conſtituitur immobilis in duplici loco, ideſt in Primo mobile, & in ſitu poſitionis in Mundo; ergo neceſſe eſt, vt quæ in Primo mobile cõſtituta eſt, moueatur cum ipſo; quæ verò in Mũdo, moueatur ſub Primo mobile, ſicut ſæpius dixi: ãtecedẽs probatur; Et quidem quòd virtus Prorogatoris conſtituatur immobilis in ſitu poſitionis in Mundo, & conſequenter, quod moueatur ſub Primo mobile, ad partes eius orientaliores in Zodiaco, eſt communis opinio; nam ad ſitum poſitionis Prorogatoris omnes Profeſſores dirigunt obuios: Quod verò conſtituatur immobilis etiam in ipſo Primo mobile, & conſequenter cum ipſo moueatur circa Mundum, ab ortu, ad meridiem, & occaſum patet; nam *Ptholemæus*, & communiter omnes Profeſſores, ſuper locum Prorogatoris Primi mobilis obſeruãt eſſe efficaces Eclipſes, Cometas, tranſitus Aſtorum, & ſimilia: Deinde ex *dictis lib*. 1. Natus reſpicit loca Prorogatorum, tam in Mundo, quàm in Zodiaco ſumpta, tanquam ibidem firma, & immobilia.

Ex quibus euidentiſſimè conſtat, adeout nulla ratione negari poſſit, duplicẽ eſſe motum Directionis, rectum, & conuerſum, quamuis Profeſſores noſtri temporis, communiter cenſeant vnum tantùm eſſe Directionis motum, ſcilicet rectum in Zodiaco, alterum verò conuerſum omnino damnent.

De Directione directa.

CAPUT QUINTUM.

PRorogatores dum ſupradictis duobus motibus præordinant potentia qualitates ſuas prorogatorias; in ipſo eodem motu dum impingunt in familiaritates

ritates Aſtrorum, præordinant effectus illos, qui cum ipſis qualitatibus prorogatorijs comproducuntur, & exeunt ad actum: Quapropter conſequens eſt inquirere, quæ ſint familiaritates, in quas impingunt his motibus Prorogatores, ſcilicet cuius generis,& ſpeciei; & quæ ſit via motus eorum.

Prima Concluſio. Cardines, ideſt Horoſcopus, & Culmen(ſicut etiam omnes Domus) nullam aliam familiaritatem contrahunt cum Aſtris, Directione directa, niſi tantùm familiaritates in Mundo acceptas, ideſt coniunctionem, radios, & parallelos; nullo autem modo coniunctionem, neq; radios in Zodiaco, neq; parallelos in Primo mobile. Patet hæc Concluſio *ex dictis lib.* 2. nam eo modo, & motu contrahuntur familiaritates in Cælo, quibus fiunt, & mouentur mobilia; ad Cardines verò familiaritates fiunt, & eunt Sidera dum mouentur circa Mundum, nullo autem modo,motu, quo mouentur in Zodiaco;ergo Sidera ad Cardines, & Domus efficiunt tantùm familiaritates in Mundo, & nullo modo in Zodiaco.

Secunda Concluſio. Omnes alij Prorogatores, ideſt Sol, Luna, Pars fortunæ, & Planetæ,quando Prorogatores euadunt, Directione directa contrahunt cum Aſtris omnes familiaritates omnis generis, & ſpeciei, *de quibus dictum eſt lib.* 2. ideſt & in Mundo acceptas, & in Zodiaco, tùm etiam parallelos vtrobiq; ſumptos, ſuis vel diſtinctis temporibus, vel per accidens eodem tempore. Hæc etiam Concluſio conſequitur ex dictis; nam Sol, Luna, Pars fortunæ, & Planetæ mouentur in Zodiaco, & circa Mundum; ergo vtroq; modo, & motu efficiunt familiaritates.

De via motus Prorogatorum plura dixi *lib.* 2. *cap.* 4. ex quibus poſſunt etiam deduci, quæ ad hoc caput ſpectant, tum etiam ad Progreſſiones, Ingreſſus,& Tranſitus: nam ſi Sidera non efficiunt ad inuicem quotidianas familiaritates in Zodiaco,niſi perambulando per ſuam viam; vtiq; etiam infertur, quod eodem modo, & per eamdem viam efficiant Familiaritates in his omnibus motibus.

Tertia Concluſio. Prorogatores motu Directionis, Progreſſionis, Ingreſſus, & Tranſitus deambulant ſuper ſuam viam,quæcunq; ſit, vt Sol per Eclipticam, cæteri Planetæ vniuſquiſq; per viam ſuæ latitudinis, quæ ſingulis contingit diuerſa. *Probatur primò*. Motus Directionis, Proceſſus &c: ſunt motus reales, nã aliàs per ipſos non contingerẽt efficaces familiaritates: ergo per aliquã viam fiunt:ſed per aliam,quam per ſuam vniuſcuiuſq; quam luſtrant motu quotidiano, quem ſenſu percipimus, eſt impoſſibile fieri, ergo &c: minor probatur, non eſt poſſibilis actus, qui non fuerit prius in potentia; ſed nulla apparet potentia, qua Sidera motu Directionis, Progreſſionis &c:progrediantur per aliam viam, quam illam eamdem, quam luſtrant quotidiano motu, ergo &c:

Secundò probatur. Motus Directionis, Proceſſus &c: ſunt ijdem, qui fiunt quotidiè, & quos ſenſu percipimus, ergo Prorogatores in illius motibus deambulant ſinguli per eamdem ſuam viam, quam luſtrant quotidiano motu: antecedens patet in ſingulis capitibus; nam Directionis, & Proceſſus motus imprimuntur quidem in corpore Nati, ideſt in eo præordinãtur potentia per hos motus, effectus inde pendentes; motus tamen Siderum Directionis, & Pro-

ceſſus

cessus &c: non sunt diuersi, sed sunt ijdem, qui fiunt quotidiè, & quos sensu percipimus. Hæc de via motus Prorogatorum in genere dicta sint.

Cæterùm maior mihi difficultas occurrit de via motus Partis fortunæ, quæ quid sit, & quo fundamento constituatur in loco longitudinis dictum est *cap.* 17. *lib.* 1. in latum verò vbi constitui debeat, & super quam viam moueatur non constat, neq; reperitur Auctor, qui rem hanc tetigerit, vel in dubium reuocauerit.

Quarta Conclusio. Pars fortunæ definienda est in longum, & latum; *Probatur primò*. Quando Sol est in ortu, Luna describit locum Partis fortunæ in longum, & latum; itaut non sit latior virtus Partis fortunæ, quàm sit virtus ipsius Lunæ; nam aliàs effectus esset latior sua causa, & virtus causæ reperiretur extra spheram eius virtutis, quæ implicant: quod si Pars fortunæ definitur in longum, & latum in hoc casu; sequitur vt etiam semper, in longum, & latum definiri debeat, in quocunq; loco sint Luminaria.

Secundò, si Pars fortunæ non definiatur etiam in latum, sequitur, quod non possit accipi eius situs positionis, quia non potest sumi eius Declinatio, neq; Ascensio recta &c: hoc autem inconueniens est: fit enim vt non possit dirigi ad occursantes.

Quinta Conclusio. Pars fortunæ non subsistit sub via Solis, idest in Ecliptica. Probatur: hæc Pars non habet esse à Sole, ergo neq; imitatur motum eius: Antecedens probatur; definitur enim à Luna non à Sole.

Dices: Pars est reflexio lucis amborum luminum, verisimile autem est deambulare per viam perfectioris, & nobilioris. *Respondeo* negando consequens: quinimò verisimilius est deambulare per viam eius, à quo pendet in constitui: nam concurrunt quidem ambo luminaria tanquam duo termini ad eius definitionem: dum autem Sol, qui vnus terminus est, reperitur in ortu; Luna quæ est alter terminus, definit ipsam Partem.

Sexta Conclusio. Pars fortunæ consistit in via latitudinis Lunæ, seù in via, per quam in latum deambulat Luna, & super hanc viam perpetuo mouetur nō secùs ac si esset ipsa Luna. Iam ex dictis per inductionem patet hæc Conclusio: attamen

Probatur primò. Pars fortunæ definitur à Luna, secundum distantiam, quā habet à Sole, ergo in nouilunio, oriente Sole seruabit distantiam latitudinis Lunæ; nam aliàs non seruaret hanc distantiam, aut non definiretur à Luna: neq; enim maior ratio est, vt seruet distantiam hanc secundum lōgitudinem, & non secundum latitudinem; Quod si definitur a Luna secundum longum, consequens est, vt ab eadem definiatur etiam secundum latum. Eadem ratio valet vbicunq; sit Luna, oriente Sole; nam si Luna habet latitudinem, opus est, vt etiā hæc Pars eamdem habet latitudinem, vt verum sit quod à Luna constituatur; & quod similiter distet ab ortu, sicut Luna distat à Sole: & quod sicut Sol est in ortu exquisitè, ita Luna sit exquisitè cum Parte fortunæ.

Ex his ergo satis constat, quod Pars fortunæ constituatur sub via, quam seruat, & deambulat Luna per latitudinem; & quod super hanc perpetuo moueatur, tàm Directionis, quàm Progressionis, Transitus, Ingressus, & quotidianę vniuersalis lationis.

De

De Directione Conuersa.

CAPVT SEXTVM.

DIrectionem conuersam ad præcedentia loca plurimi negligunt omnino, adeoque vt sepofita ratione, & auctoritate *Ptholemæi* etiam damnent: Cum tamen si naturali metodo fiat, reperiatur effectibus optimè assentire, & nihilominus esse efficacem, quàm sit Directio directa; sicut supra ratione demonstratum est.

Duæ difficultates accidunt in hoc capite: Primò cuius generis familiaritates sint efficaces in hoc motu: Secundò de numero annorum, qui adijciendi, vel subtrahendi sunt in descensu Aphetæ ad occasum: qua de re Professores, qui motum hunc admittunt valdè dissentiunt inter se. Circa priorem difficultatem sit

Prima Conclusio. Prorogatores motu conuerso non efficiunt alias familiaritates, quam in Mundo acceptas. Hæc conclusio deducitur ex dictis: Nam hoc motu Prorogatores non mouentur motu directo super Signiferum; sed permanent immobiles in Signifero, & cum ipso mouentur motu conuerso circa Mundum: dum verò mouentur circa Mundum, impingunt in familiaritates cæterorum Siderum, quas in Mundo reperiunt: quia radij Siderum in Zodiaco præcedentes, non expectant Prorogatores in hoc motu; nam Prorogatores nō mouentur ad partes Zodiaci præcedentes, sed ad sequentes in Zodiaco quidē; mouentur autem ad præcedentes in Mundo constitutas sedes, siuè Siderum, siuè radiorum. Quoniam verò radij in Mundo constituuntur ab Astris immobiles ibidem, ideò dum circa Mundum mouentur Prorogatores impingunt in ipsos radios in Mundo acceptos.

Circa posteriorem difficultatem accidit dissensio inter Professores, propter hæc verba *Ptholemæi (Quot sunt enim fuerit horaria tempora interdiu diurna, nocturna noctu)* nam cum sint accipienda horaria tempora vniuscuisq; partis, siuè occursantis, siuè testificantis Astri, quæ inter occasum, & moderatorem fuerint inuentæ, opus non erat, vt *Ptholemæus* conditionem temporis diurnam, à nocturna secerneret: videtur ergo aliud innuere se velle.

Cardanus, quem sequutus est Naiboda, putat *Ptholemæum* loqui de Planetis aspicientibus: pro ijs enim, qui sub terram morantur tempora nocturna vult apposuisse: Ratione quidem ingeniosa; quippe fortiores proculdubio sunt radij remotiores, vt puta Diameter, inde Trigonus, Tetragonus, vltimò Sextilis; maiorem igitur annorum numerum addere, siuè detrahere poterunt Astra, quo remotiorem radium interijciunt, cum maior eis debeatur numerus horariorum temporum, quia sint Orienti proximiora: At ratio hæc subtilis quidem, non proinde tamen absoluta; corporalis enim præsentia, & occursus maximis proculdubio radiorum omnium est prædita viribus, minorem tamen præ omnibus Annorum numerum addendum, vel detrahendum exhiberet; quod rationi non videtur consentaneum.

Deinde

Deinde radij se habent tanquam instrumenta Siderum, atq; propterea ipsi radij proximè, & immediatè eliciunt opus; subiectis enim proximè incumbunt: At modus agendi, quo res procreantur penès agentem proximum; potissimè quod agendi tempus, & durationem eius, quæ non nisi ab immediatæ causæ applicatione pendent. Primum ex eo patet, quòd Sidera intuentia sunt remota, & aliud corpore, aliud radijs operantur, vt per directos occursus contingere solet. Secundum ex se patet; præterea non producuntur effectus ante applicationem causæ immediatè, cuius discessu desinit actio, adeoquod perseueret non nisi quandiù causa proxima fuerit applicata: Tandem *Ptholemaus* non venatur maiorem numerum addendum ex vi Siderum, aut radiorum; ex infirmitate minorem; sed ex proportione illa ab oriente, ad occidens; nihil igitur ad rem Astrorum intuentium, aut radiorũ robur, & ad ortũ propinquitas.

Maginus Can. 48. *suarum Tabularum Primi mob.* vbi, post quam *Cardani*, & *Naibodæ* modum intelligendi retulerat, subdit suam sententiam, & opinatur Ptholemæm sumi velle horaria tempora, nõ planetarum intuentium, sed interceptorum, siuè sint corpora, siuè radij; itaut quæ intersunt, siuè corpora, siuè radij agant, non quæ interijciunt radios: Horariorum verò temporum distributionem non exorditus ab oriente, sed ab ipso Prorogatore, vsq; ad occasum: & in fine eiusdem Canonis, vbi *Cardani*, & *Naibodæ* refellit sententiam, reddit rationem: nimirum quia interceptæ stellæ, siuè radij fouent Prorogatorem si beneficæ sint, sin minus officiunt: Quæ ratio, quàm leuis sit, facile est cognoscere: Nam in primis non euitat communem difficultatem, quod frustra *Ptholemæus* posuisset discrimen diurnum, & nocturnum, si de interiectis loquutus fuisset. Secundò, falso putat *Ptholemæi* fundamentum additionis, & diminutionis Annorum esse, quia lumen interceptum, siuè radijs, siuè corpore, felix quidem foueat Prorogatorem, infelix minuat eius vires, vnde addatur, ve minuatur annorum numerus: maior verò, vel minor prout cominùs, vel eminùs: Nam benè quidem procedit intra actiuitatis sphæram intercepti Sideris, siuè radij, intra quam successiuè informãtur gradus virtutis actiuæ, prout remouentur partes à Sidere, seù centro irradiationis: At extra prædictam sphæram emergit maxima difficultas; sibi enim ipsi pugnaret *Ptholemæus* eodem capite docens (*Iouem non vltra duodenas, Venerem non supra octonas*) agere posse: Deinde si tale fundamentum esset huius rei, oporteret etiam metiri, & pendere vires fouentium, aut insidentium Siderum, tum etiam radiorum, fines, & quicquid effectiuas qualitates habet: quod non præstans, aliud esse fundamentum insinuat *Ptholemæus*: Tertiò, contra *Ptholemæi* doctrinam opinantur, qui Planetam Solis radijs oppressum, nec ad seruandum, nec ad perdendum valere docet ibidem; in casu nostro autem maiorem numerum adderet, vel detraheret, quod rationi non assentitur. Quartò, *Ptholemæus* apertè, & clarè docet, itaut non sit locus dubitãdi, ab ortu debere fieri distributionẽ, & non ab Apheta. Quintò tandem, quod magis vrget: Si Planeta prope Aphetam, sit in pluribus tamen partibus, afficit ipsum, maximè si ponderosior sit, Aphetam expectans, eò quia iungatur; nihilominus cum non sit inter Aphetam, & occasum, nec addere, nec minuere poterit: Sibi itaq; ipsi pugnat *Maginus*.

Vt

Vt autem verborum *Ptholemæi* verum assequamur sensum, obseruandum nobis est primò, quòd Directio conuersa, est motus Primi mobilis ab ortu, ad meridiem, & occasum, quo Primum mobile rapit secum vniuersa sidera, & eorum radios: At verò, quia in Directione directa Prorogatores non mouentur motu raptus Primi mobilis, sed persistunt immobiles in situ suæ positionis, ob rationes alibi allatas; fit vt sidera, & eorum radij in Zodiaco, motu Primi mobilis ad moderatorum situm delata in ipsos moderatores impingunt, sicut supra dictum est: Quod fieri omninò non potest in Directione conuersa, in qua Primũ mobile rapit sidera, & radios in Zodiaco sumptos, & simul etiam ipsos moderatores, qui cum persistant immoti in ipso Primo mobile, impossibile omnino est, vt hoc motu radij siderum in Zodiaco sumpti, in moderatores impingant: Sed è contra accidit; nam moderatores dum Directione conuersa mouentur, impingunt in radios Astrorum, in Mundo tamen acceptos, sicut dictum est: Vnde patet, quam consona sit naturæ rerum *Ptholemæi* doctrina, cum ait, *Quòd non in locum Apheticum hæ impingant, sed contra*.

Secundò. Obseruandum est, quòd sidera, quæ vel corpore, vel radijs interijciuntur inter Prorogatorem, & occasum, dum rapiuntur motu Primi mobilis, præcurrunt, & afficiunt suis qualitatibus quoddam spacium à loco radij, vsq; ad occasum; in quod spacium Prorogator motu raptus impingit: Quibus sic stantibus, videtur hæc res admodum naturaliter se habere: Nam Astrum, siuè corpore, siuè radijs, siuè supra, siuè subtus terram, motu Primi mobilis raptum, lustrat spacium illud à loco radij interiecti supra occasum, vsq; ad ipsũ occasum, vbi in nihilum abire virtutem docet *Ptholemæus*: incipit verò momento natalis, & definit quando sidus respicit eodem radio ipsum occasum, aut illuc corpore peruenerit, si corpore interceptum est: lustrando deinde spaciũ illud afficit suis qualitatibus, ad quod descendens, & impingens Prorogator substinetur à felicibus Astris pro quantitate feliciter affecti spatij, deprimitur ab infelicibus pari ratione: adeò quòd tempus addendum, aut detrahendum à motu pendeat, prout ratio naturalis postulat, nimirum Prorogatoris per benè, vel malè affectum spacium.

Secunda Conclusio. Non sunt accipienda horaria tempora loci, seù partis radij interiecti; sed Sideris, aut intuentis, aut intercepti.

Probatur primò. Sidus non nisi progrediendo motu conuerso lustrat interceptum spacium à loco radij, vsq; ad occasum; itaut motus intercepti radij nõ nisi pendeat à motu intuentis Astri, quòd tanto tempore, & motu radijs lustrauit spacium illud: Vt Sidus, dum à quinta domo mouetur ad quartam, afficit quadrato radio spacium inter octauam, & occasum exquisitè; esto qualemcunq; habeat arcum seminocturnum, & quotcunq; horaria tempora, siuè plurima, siuè pauca: non est ergo spectandus locus radij, sed sidus intuens.

Secundò. Cùm accipi debeant, vt dictum est, intuitus in Mundo; opus est huiusmodi radios sumi proportione ad totum arcum conditionarium intuentis Astri, proportionali scilicet diuisione arcus, sicut alibi dixi, ergo &c: Benè igitur docuit *Ptholemæus* horaria tempora diurna de die, nocturna de nocte sumenda esse; quia contingere potest, vt sidera sint, vel supra terram, vel subtus.

Hæc autem horaria tempora dispertienda sunt, sicut docet *Ptholemæus* ab ortu ad occasum; Quòd hoc modo fieri debet, vt perquam exquisitè, quem desideramus annorum numerum nanciscamur: Dirige, siuè interpositum sidus ad occasum per descensiones obliquas, vel ascensiones oppositas; siuè interiectam irradiationem supputatam in Mundo; sic enim habebis quantitatem spacij à Planetis affectam inter situm Prorogatoris, & occasum: Inde habeas arcum conditionarium Astri, siuè interpositi, siuè testificantis, & horaria tempora, sicut præcipit *Ptholemæus*: Tandem per regulam auream, quære partem proportionalem horariorum temporum, congruentium arcui Directionis supra accepto, qui est spacium illud à Sidere perlustratum, inter situm moderatoris, vsq; ad occasum, sic: Si totus Sideris Arcus diurnus, vel nocturnus dat nobis tot horaria tempora, quotnam dabit Arcus Directionis Sideris, vel eius radij ad occasum iam supputatus? multiplica secundum, & tertium, & diuide per primum: quòd superest sunt partes addendæ, vel detrahendæ. Et mea in hoc capite sententia eò ampliùs mihi probatur, quo deducta ex meis primis principijs, & omnibus alijs rebus concinna.

De mensura in Directionibus.

CAPVT SEPTIMVM.

SVbductis motuum Directionis calculis, acceptisq; partibus, & minutis, quæ processerunt Æquatoris in Causarum congressibus, quæritur inter Doctores, quota pars Æquatoris cuiq; debeatur Anno.

Quidam cum Priscis opinantur partes Æquatoris æquales, Annorum esse mensuram, nituntur traditionibus maiorum tanquam per immemorabilia sæcula experientia ratis, atq; firmis; tum demum his *Ptholemæi* verbis *cap. de Vita lib. 3. Valetq; huiusmodi tempus vnam Solis conuersionem*, simpliciter acceptis. At verò

Cauendum, quòd perpendit *Naiboda*, *Ptholemæi* doctrinam semper, & vbiq; conuenienti Naturæ modo sumi debere, adeout ab arbitrarijs penitùs abstineamus: Cæterùm, cum Æquatoris diuisio in trecentum sexaginta partes æquales, hominum arbitrio ficta sit, ad opportuniorem, atq; expeditiorem vsum, in rerum Natura locum habere non potest, cum per ipsam numeris arbitrarijs, inquit *Ptholemæus*, nulla vis agendi sit inserta.

Alij censent addi debere septuagesimam secundam partem; accipiunt autē medium Solis motum in circulo recto. *Cardanus* id primùm docuit, quem postea sequuti sunt recentiorum plurimi etiam insignes, vt *Naiboda*, *Maginus*, qui tamen prius aliter sentiebat, atq; alij. Probat sententiam hanc *Naiboda*.

Æquatoris diuisio in partes æquales, hominum arbitrio cum sit facta cōmodi gratia, naturalis censeri non potest, nec inter naturales causas admitti, è contra, quæ Solis motu trecentis sexaginta quinq; diebus, & quadrante, cum fiat à causa naturali, naturalis censeri debet, & inter naturales causas assumi, vt

potè

potè quæ à naturalis causæ reali motu ducit ortum; naturalis igitur Anni mensura erit vna pars, è trecentis sexaginta quinque diebus, & quadrante totius Æquatoris circuli.

Animaduertit præterea *Naiboda*, in græco Codice *Ptholemæum* non simpliciter asseruisse, vnumquodq; Æquatoris tempus, efficere Annum solarem vnum, sed adito εἰκότως, hoc est bonis, & naturalibus, consentaneisq; rationibus, quas Mathematici prudentiæ relinquit, prout solet.

Cardanus quidem rem naturalem perquirebat; atq; benè probat *Naiboda* reijciendo gradus æquales, cum *Ptholemæi* auctoritate sententiam hanc: Attamen doctrina eorum sanè mihi plenè non probatur: Distinctionem partium Æquatoris realem non esse, nec naturalem, nisi motu Solis fiat, qui ad initium Arietis, à quo discesserat, redit trecentis sexaginta quinq; diebus cum quadrāte, clarè patet: Nihilominus tamen incidit *Cardanus* in quod euitare studuerat; motus enim Solis medius non est realis, neq; naturalis, tantùm ratione ponitur, nam Sol progreditur motu medio, nisi tantùm circa mediam elongationem ab Apogæo, quod non sufficit: Naturalis ergo censeri non potest hæc mensura.

Nonnulli rursus, vt hanc fortasse difficultatē effugerent, opinati sunt portionē Æquatoris illam esse sumendā, quā ascendit Sol in circulo recto, motu vnius diei, iuxta Prorogatoris locum Signiferi, quando per locum illum transit, licet Sol natalis momento procul inde absit; eo quòd taliter ibi moueri soleat, videtur enim Sol, motu dierum, inscribere, & constituere in Æquatore diuisionem partium sui motus diurni: Cessat hoc modo superioris sententiæ difficultas, assumitur enim diuisio Æquatoris illa, quam efficit Sol motu suo, quæ diuisio videtur realis, & naturalis, quia fit reali, & naturali motu diurno.

Appropinquat adhuc opinio hæc ad rem naturalē, quæ est diuisio in Æquatore constituta per Solis motum, qui æqualis non est: Cæterum apud Physicos causæ prout actu mouentur, & agunt, producunt suos effectus, & non prout potentia; motus verò Solis in quocunque loco, præter quem possidet Natalis tempore, actu non est tantùm potentia.

Quidam tandem propterea, censeo, ad motum Solis diei Natalis conuersi sunt, assumentes Æquatoris portionem illam, quam ascendit Sol in sphæra recta motu diei Natalis. Corruunt enim sic prædicatarum sententiarum difficultates omnes; assumitur quippe Solis motus realis, ac naturalis, non hominum arbitrio positus, in actu, non in potentia: At verò vtuntur huiusmodi mensufa pro omnibus, & singulis Annis totius vitæ: quòd mihi non probatur.

Prima Conclusio. Mensura Directionis ad primum Annum vitæ Nati, est portio illa Æquatoris, quam ascendit Sol in sphæra recta motu primæ post genesim diei.

Hæc Conclusio primò patet inductione, ex reprobatione supra positarum sententiarum; ex quarum falsitate euidenter deducitur, quòd hæc mea opinio sit naturalis, & vera. *Secundò*, patet ex dictis *cap. 3.* Tandem probatur non leui ratione. Effectus Directionis est effectus temporaneus; sed tempus in effectibus pendet à motu, ergo prioris Anni mensura pendere debet ab aliquo motu;

Ff 2 dictum

dictum est autem, quòd Directionis motus est motus Solis; ergo effectus Directionis, qui est annualis vita, pendet à motu Solis; quòd quidem alibi probatum est: duplex verò est motus Solis, annualis, & diurnus; motus annualis est causa præsentanea; ergo motus diurnus est causa, & mensura præordinans:& Confirmatur, nam sunt per omnia similes hæ lationes, sicut sæpius dictum est; inter causam verò, & effectum; siuè inter causam præordinantem, & præsentaneam est semper similitudo, quia eumdem effectum producunt.

Secunda Conclusio. Mensura pro secundo anno est portio illa Æquatoris, quam ascendit Sol in sphęra recta motu secundæ post genesim diei; pro quarto, quartæ &c.

Probatur primò. Quæuis mensura sumatur pro singulis annis, ita sumi debet, vt vna pars mensuræ metiatur vnam partem anni, altera alteram partem, adeout prior pars mensuræ correspondeat, & metiatur priorem anni partem, secunda secundam partem, vltima vltimam anni partem; in metiendo enim admouemus partes mensuræ ad partes rei, quam metimur, aut è contra: Deinde motus producit suum effectum successiuè: ergo si mensura prioris anni constituatur per motũ Solis primæ post genesim diei; procuIdubio à pari ducta ratione, mensura secundi anni constitui debet per motum Solis secundæ diei; & sic deinceps: probatur consequens; ita se habet prior pars motus Solis diei genesis ad priorem partem vnius anni Nati, sicut totus motus Solis illius diei ad totum annum Nati: sed prior pars motus Solis illius diei non resumitur, vt mẽsura, qua metiamur secundam anni partem, neq; tertiam &c: ergo neq; motus Solis primæ diei resumi debet, vt mensura ad secundum annum, neq; tertium, aut alium: Proportio negari non potest, fit enim de partibus ad totum.

Secundò. Prior anni pars pendet à priori parte motus Solis diei, mediæ à medijs, nouissima ab vltima motus Solis eiusdem diei, sicut dictum est; ergo prior pars subsequentis anni pendebit à priori parte motus Solis subsequentis diei: Consequens ex eo probatur, quòd motus Solis continuus est, & successiuus ad subsequentia semper loca, retrogressu ad præcedentia nunquam: Nam ex suppositione motus Solis diurnus metitur annum, vt supra etiam probatum est: cum verò Sol progressus fuerit motu vnius diei, iam non amplius idem spacium resumit traijciendũ secunda die, sed ingreditur subsequens, vt de se patet.

Tertiò. Metæ, seù termini mensuræ pro annis non possunt poni, nisi in ipso successiuo Directionis motu, quo occursantes de die in diem semper situbus moderatorum appropinquant: At motus Directionis efficiens annos est motus Primi mobilis, quòd semper ab oriente in occasum tendit, & nunquam regreditur, vt eumdem spacium iam semel transactum denuò transeat; si enim resumeret singulis annis idem spacium, nunquam transueheret loca planetarũ, seù occursantium ad Prorogatores, quæ cum Primi mobilis motu vehuntur; ergo Directionis termini, seù metæ pro annis poni semper debent ad succedentes partes, ad præcedentes non amplius. Quòd verò metæ, seù termini mensuræ pro annis non possint poni, nisi in ipso Directionis motu successiuo, ex eo probatur, quia, vt dictum est, priores partes motus Directionis indicant, & efficiunt primos annos, mediæ intermedios, nouissimæ vltimos annos; ergo

fines,

fines, seù metæ ad singulos annos poni debent successiuè semper ipso Directionis motu, nimirum in partibus semper subsequentibus ipsius motus Directionis.

Dices metæ ad annos ponuntur in ipso successiuo motu, sed tamen ab inuicē eam distantiam ad singulos annos seruant, quam efficit Sol natalis die, non autem sequentibus. *Contra est*, quia si Sol auctor est in Directionis motu mensuræ ad primum annum, motu primæ diei, eo quòd prior pars sui motus ea die metiatur priorem partem in Directionis motu ad priorē partem anni, reliquæ partes sui motus eiusdem diei metiatur reliquas partes motus ad aliquas partes anni; sequitur, vt par ratio sit de integris diebus, itaut motu subsequentium dierum metiatur motum Directionis ad subsequentes annos; paritas negari non potest.

Quartò. Non est maior ratio ducta à momento natalis, cur sumere debeamus magis motum Solis diei natalis pro mensura ad singulos annos, quam reliquorum etiam dierum; ergo aut non debet accipi Solis motus diei natalis, aut certè assumi debet etiam motus reliquorum dierum: probatur antecedens: ita se habet momentum natalis ad motum Solis vnius diei, sicut ad reliquos successiuos, quòd cum sit instantaneum, motus verò dierum successiuus, nullam refert similitudinem, aut proportionem: indiuisibile enim nullam similitudinē, aut proportionem habet, siuè ad maiorem, siuè ad minorem quantitatem: non debet igitur excludi Solis motus subsequentium dierum. Quòd si adsit peculiaris ratio, quare meta omnium annorū debeat esse Solis motus primæ diei assignetur, ego fateor ignorare.

Dices: Igitur annorum mensura nunquam erit eadem, sed semper diuersa, quòd inconueniens est; tempora enim, quæ metimur, nimirum anni, æquales sunt, ergo & mensura semper æqualis esse debet; aut certè, & tempora, quæ metimur inæqualia esse oportet. *Respondeo* primò, negando minorem; possunt namq; inæquales mensuræ res æquales metiri; vt in horologijs solaribus planis, inæquales linearum distantiæ metiuntur æquales Cœli motus, & distantias; atq; similia. *Secundò*, respondeo negando maiorem; annorum enim mensura sunt dies, vt dixi *cap.3.* dies autem naturales æquales sunt perfectione reditus Solis, à quo pendent annuæ animalis vitales nutritiones.

Quòd verò *Ptholemæi* quoq; fuerit sententia partes Æquatoris non æquales, sed ratione desumptas annorum esse mensuram, iam dixi in relatione sententiæ *Nabodæ*, qui in textu græco reperit particulam illam supra relatam, quam in multis alijs versionibus egomet obseruaui adesse.

Ex quibus de primo, ad vltimum clarè patet qualis sit annorum mensura in Directionis motu: Nam primi anni est portio Æquatoris illa, quam ascendit Sol in sphæra recta prima post genesim die integra, atq; completa, descripta non à Primo mobile, sed à Sole cum ad idem momentum æqualium horarum à quo discesserat, redierit; aut, quòd idem est, ad eamdem à meridiano distantiam rectam. *Secundi* verò anni est portio Æquatoris, quam ascendit Sol in sphæra recta secunda post genesim die; tertij anni, quam ascendit tertia die, & sic de reliquis à singulis diebus ad singulos annos: Quapropter ascensioni rectæ

Solis

Solis adde arcum Directionis, summam deinde hanc require in corpore Tabulæ ascensionum rectarum, à tergo cuius sume gradũ, & minutum signi Eclipticæ, ad quem gradum Sol motu dierum proprio quot diebus peruenit, tot annos demonstrat, & quot insuper binis horis æqualibus, tot menses.

De Directione Secundaria.

CAPVT OCTAVVM.

NOmine Directionis secundariæ intelligo omnem motum, quem Sidera liberè, sicut notantur in Ephemeridibus, efficiunt diebus illis post genituram, in quibus fit præordinatio vitalis caloris cum suis coeffectibus naturalibus.

Differt à primaria multipliciter, nam in primaria, tàm Prorogatores, quàm occursantes consistunt immobiles duobus locis, *sicut dixi lib. 1. cap. 17. & 18.* In Directione secundaria, nisi sint stationarij, nullo modo, aut loco consistunt immobiles, sed semper mouentur, & sub Primo mobile, & circa Mundum.

Secundò differunt, quia in primaria mouentur motu Primi mobilis regulari, aut secundum ascensiones, & descensiones signorum: in secundaria mouentur liberè, sicut notantur eorum motus in Ephemeridibus secundorum mobilium; quare non opus alijs Tabulis, sed sufficiunt Ephemerides.

Tertiò. Primaria Directio, sicut ait *Ptholemæus*, potior est ad decretum absoluendum, itaut, quamuis eius decretum possit ab alijs motibus nonnihil vel minui, vel augeri, absolutè tamen, neq; potest extingui, neq; sine ipsa aliud decretum ab alijs motibus fieri, sed tantùm vmbræ effectuum.

Quartò. In Directione primaria, Sidera ad quorum familiaritates applicant. Prorogatores, vocantur à *Ptholemæo* generales temporum arbitri: In Directione secundaria, vocantur annui: In Progressionibus, menstrui.

At quantum valeant hi motus secundarij, & familiaritates Astrorum per hos motus acquisitæ iam alias experimento demonstraui: Ratio verò naturalis, quæ motuum horum efficaciam mihi suadet hæc est. Post Natalem à Luminaribus fit præordinatio principiorum vitæ, sicut sæpius dixi, quæ sunt calor, & humiditas; hæc verò quoad coeffectus taliter præordinantur, qualiter Luminaria à quibus pendent, tunc afficiuntur ex familiaritatibus cæterorum Siderum: ergo prout tunc Luminaria acquirunt familiaritates cum cæteris Astris, præordinãt cum vitæ principijs coeffectus de eorumdem Siderũ natura.

In his autem motibus reperitur verum, naturale, & experientijs consonum fundamentum annorum climactericorum, seù dicamus criticorum: nam quia Luna singulis septem diebus ferè post Natalem ponitur in loco critico respectiuè ad suum locum radicalem, sequitur, vt singulis septem annis ferè per ipsã constituatur tempus criticum, seù climactericum. Quantum verò experientia assentiatur huic principio critico ne graueris respicere exempla, quæ *Maginus*, & *Argolus* posuerũt: nam decem reperies, in quibus contingunt anni climacterici

macterici ex huiusmodi positione Lunæ in loco critico; *Vrsinum, Franc. Medices, M. Antonium, & Philippum Columnas, Gypsium, Verospium, Borromæum, Cobellutium, Titundulam, Gasparem Taliacotium, in quo & in Borromæo bis contingit Millinum quoq; infra positum*; & possem centum, & amplius exempla proferre, in quibus correspondeant tempora, vsq; ad gradus loci Lunæ.

Sunt igitur obseruandæ familiaritates Astrorum ad Prorogatores, Solem, Lunam, cardines &c. maximè ad Solem, & quibus diebus contingunt respondent ad singulos annos secundum ordinem dierum, idest à prima die ad primum annum, à secunda ad secundum &c. & partes quoq; vniuscuiusq; diei ad partes annorum respondent primæ primis, mediæ medijs &c. sicut dictum est de mẽsura in Directionibus, etenim pari ratione, & modo procedunt, Nam quibus diebus luminaria, & potissimè Sol maleficarũ hostiles familiaritates substinet, malum minantur in eo genere præcipuè ad quod tunc Directiones primariæ inclinant, vt potè, quæ potiores sunt ad decretum attingendum. Et Luna, quibus diebus, & horis, vel quadratum, vel oppositionem, vel reditum habet ad suum locum natalis, sicut dixi constituit crisim, & tempus climactericum; quòd si tunc Luna infortunarum radijs sit obnoxia, adauget malum; si etiam Sol, amplius; si demum contingat Prorogatoris vitæ infelix Directio, manifestam mortem; familiaritates verò spectantur omnes, *de quibus dixi lib. 2.* itaut non sit opus denuò recensere.

De Progressionibus.

CAPVT NONVM.

HOC mihi sine dubio persuasum est, foreut nimirum Professores, vbi rem capitis huius cognouerint excandescant præ ira: & quòd in me non verebuntur acriter inuehi, qui rem omninò præter antiquorum, & recentiorum omnium, vt nemo dissenserit vnquam vsum & acceptionem; imò contra experientias ipsas, sicut illi dicunt, ego non ita, solùm quandam, sed vniuersas, firmam, atq; ratam hanc eorum methodum comprobantes, tradere, atq; rationibus demonstrare proposui. Et sanè veterum modos ab omnibus posteritatis in vsum receptos damnare non audeo, nec in huius capitis institutione nunc statim demoliri animo intendo, quæ per immemorabilia sæcula subsistunt; tantummodò ea referre, quæ rationem sequi videbuntur, ob eam quam alibi retuli causam, vt scilicet si quis in aduersum firmiores è physicis deductas rationes habeat, mihi, qui veritati summopere studeo impertiantur.

Progressionum vsitati modi non tantùm æquales, regulares, & vniformes finguntur, verum etiam æqualibus temporibus reuertentes, & ad idem locorum punctum, omnes statis temporum momentis, vt omninò nihil imparitatis, irregularitatis, aut cuiuscumq; generis inæqualitatis in semetipsis contineant; adeo quòd non parùm admirationis id mihi semper attulerit; cum maximè non appareant hi motus in Cœlo.

Prima

Prima Conclusio. Progressiones æquales in vsum communiter acceptæ naturales non sunt. *Probatur primò*, eadem ratione, qua *Naiboda* reiecit mensuram annorum in Directionis motu esse integras Æquatoris partes. Res quæcumq; sit quæ hominum arbitrio ponitur in Cœlo, naturalis dici non potest; sed huiusmodi Progressionum modi, ac mensuræ in Cœlo hominum arbitrio positæ sunt, ergo naturales dici non possunt: minor propositio patet, nam non apparet in Cœlo talis motus, imò sicut dicam infra repugnat dari posse: ergo hominum arbitrio Progressiones æquales fictæ sunt in Cœlo.

Secundò. Motus Progressionum, aut fit à Prorogatoribus, itaut hi moueantur, fixo persistente, & immoto Primo mobile, aut immotis Prorogatoribus mouetur Primum mobile cum omnibus suis Astris, & signis: primum dici non potest, nam finitor non mouetur, neq; meridianus; quod si persistas moueri, adhuc motus eorum per signa, æqualis, & vniformis esse non potest propter varias signiferi habitudines, tàm ad circulum rectum, quàm ad obliquum: Quòd si Progressionum motus fiat a Primo mobile fixis persistentibus quinque Prorogatorum locis, quæ sunt duo cardines, Lumina, & pars fortunæ, item æqualis, & vniformis esse non potest hic motus, ob signiferi varietatem ascensus, tàm in circulo recto, quàm obliquo: ergo &c:

Tertiò. Motus Progressionum transfert signa, & loca ab Astris quocunque modo affecta ad moderatorum situs in Mundo; sed signa, Astra, & loca, quæ ab Æquatore ad meridiem declinant persistunt in hemisphærio inferiori maiori tempore, quam quæ ad Boream, & è contra in superiori; quod causa est, vt citius, aut tardius ad finitoris cardines perueniant; ergo repugnat motus Progressionum esse æqualem.

Quartò. Auctoritate *Ptholemæi*, qui perpendit absq; discrimine siderum ingressus per loca ad quæ per Directionem, & Progressum deuenerint Prorogatores, *cap. de tẽporum diuisione* [*Respiciendum est ad ingressus in præcipua potissimum loca, neq; enim parum momenti habent in temporum decretis, maximè Saturni generalium, Iouis annuorum, Martis, Solis, Veneris, & Mercurij menstruorum, Lunæ diurnorum*]: Sed Directionis motum *Ptholemæus* non instituit æqualem, & vniformem sub signifero, ergo idem sentit de Progressionis motibus. Rursus *eodem capite*, paulò supra tradens Progressionis methodum, non ponit exquisitã mensuram; quòd sic facilè sibi fuisset, si voluisset æquales, vt vniformes esse Progressionum motus, vt nihil prorsus obstaret, quin ad vnguem eam definire potuisset, ad tollendam à lectoris mente omnem ambiguitatem; prout in alijs præstat, tum potissimè cum & firma, atq; inuariabilis vbiq; semper extitisset huiusmodi mensura: indicat ergo silendo, se non posse huiusmodi mensuram exquisitè definire, quia variabilis est, nec semper eadem persistit.

Quintò. Inter effectum, & causam intercedere omninò debet aliqualis similitudo, sed inter annualem nutritionem vitæ animalis, quæ est effectus, & motum vnius signi nulla apparet similitudo, ergo neq; referri poterunt ad modum causæ, & effectus; maior est communis opinio Philosophorũ: minor probatur: annualis nutritio, & vita hominis est circulatio integra, & perfecta, signum verò est tantum circuli pars; ergo nulla apparet inter eos similitudo. Quòd si adsit assignetur.

Dices.

Dices. Effectus, nimirum annua vitæ hominis duratio, non est circulatio integra, & perfecta, sed est pars puri temporis viuentis hominis, tempus autem est totum semper eiusdem rationis. *Respondeo*: Cum tempus sit tantùm numerus motus ex Aristotele, in durationibus rerum habet locum tantùm extrinsecæ mensuræ quantitatis ipsius durationis rerum; itaut tempus durationis rerum sit, quid consequens positiuam rerum consistentiam, vt alibi dixi; prior enim secundum naturam est existentia, seù conseruatio rei, siuè sit ens permanens, siuè successiuum, quam temporanea eiusdem duratio, & numeris dimensio: Nam causæ cælestes non influunt rebus tempus, vt effectum pro illarum cõseruatione, sed positiuas qualitates, quarum munus est manutenere, & conseruare res in suo esse per tempora: adeò quòd animantium vita non ex eo, quòd numeris numeratur a nobis in cælestibus motibus, sed ex eo, quòd qualitatibus à cælesti causa manuteneatur, prorogetur.

Dices adhuc. Annuæ nutritiones in homine distinguuntur ad inuicem, ab annuo Solis reditu, & cum sit vnaquæq; in se ipsa quippiam integrum, atq; completum, consentaneum est, Prorogatores singulis annis permanere in vna integra Signiferi parte, quæ est vnum è duodecim signis; itaut per signa tanquã per gradus deambulent Prorogatores in annis, & contingat eis manere singulis annis, in singulis signis per ordinem numericum, & distributionem singulorum signorum ad singulos annos. *Respondeo*. Annuam quidem distinctionem optimè esse assignatam, minimè verò Signiferi partem anno congruentem tanquam causam suo effectui: Nam aut conuenit Prorogatoribus manere per singulos annos, in singulis signis, secundum numerum continuum, aut secundum numerum discretum (numerus continuus fit ex partibus entium successiuorum, siuè continuorum merè assignatis; discretus, ex partibus ab inuicem realiter disiunctis, & separatis, omnem successionem excludentibus, etiam in se ipsis, vt puncta, instantia &c. quòd si partium successionem includant, vt lapides, dies &c. spectatæ sub ratione numerica discreta, nihil ad rem earum partium successio, & continuitas;) si dicas primum, itaut velis, quòd signa succedant locis Prorogatorum reali, & successiuo motu, de signo ad signum, & de partibus signi ad alias partes; sequitur huiusmodi motum æqualem esse non posse ob rationes supra allatas: si secundum, itaut velis, quòd Prorogatoribus contingat vnum signum post aliud per ordinem quidem, sed tamen sine successione motus continui, tantum successione numerica discreta: fictum omninò asseritur; adhuc enim Prorogatores per vnumquodq; signum successiuè censentur progredi à Professoribus, & sic de hoc motu rursus quæro an fiat æqualiter, nec ne: Deinde fictitium omninò videtur signa succedere, & contingere locis Prorogatorum secundum numerum discretum, in ipsis verò Prorogatores deãbulare secundum quantitatem continuam continuitate motus: eadem quippe ratio est de partibus, ac de toto.

Dices tandem in rebus tam remotis magis experientiæ credendum, quam rationi, & antiquorum magis traditionibus, quam nouis ratiocinationibus, & inuentis. *Respondeo*, Priscos quidem omninò venerandos esse, & rationes meas, atq; inuentiones in medium allatas esse volo, non vt duces, sed vt ad aures præ-

clarissimorum ingeniorum ductæ ad disserendum, & respondendum alliciant, tantum, vt è prauis hisce opinationibus eruar; discere quippe non docere egressus sum.

Sextò probatur Conclusio. Si Progressiones fiunt regulari, & æquali motu, sequitur necessariò, vt Anguli distantiam ab inuicem mutent; itaut verbi gratia Culmē ab Horoscopo, modò plus, modò minus quarta sphæræ parte distet; quòd non videtur possibile contingere posse, ergo &c: probatur sequela: si sit in Horoscopo ad latitudinem gr 43. prima pars Arietis, anno quarto a Natali, in eodem Horoscopo secundum Aduersarios erit pars prima Cancri: at si ponas in Horoscopo hanc partem primam Cancri, & dicas in Culmine reperiri primam partem Arietis, Culmen non erit in meridie, sed magis versus vndecimā domum: Siuè si dicas in meridie, idest in Culmine, seù decima domo, hoc quarto Anno, esse primam partem Arietis, eò quòd in Natali esset ibi prima pars Capricorni: prima pars Cancri, quæ in Horoscopo debet esse; exorta iam erit, & supra orientem eleuata plusquam 24. partibus; ergo si ipsa sit in Horoscopo, iam Horoscopus permutauit situm; atq; similia, quæ ex Domorum Tabulis manifesta sunt.

Ex quibus satis patet quàm inane sit Progressionum motus æquales, vniformes regulares, & pari ratione, ac tempore reuertentes fingere, vt mirum fieri non debeat Disciplinam hanc ab omnibus præclarissimis ingenijs reijci, & damnari.

Ego autem ab eodem naturali principio, a quo deduxi motum Directionis, deduco etiam motum Progressionum: Nam quemadmodum per Directionis motum præordinatur in potentia calor vitalis, cum suis coeffectibus; ita post motum Progressionis censeo, quòd præordinetur in potentia humiditas radicalis cum suis coeffectibus: Et sicut præordinatio caloris fit à Sole; ita præordinatio humiditatis fiat à Luna, propter rationes *lib*. 1. allatas: Sol enim, & Luna sicut ibidem probaui, causæ sunt primariæ distinctionis in genus masculinum, actiuum, & diurnum &c: & in genus fæmininum, passiuum, nocturnum &c: Partem verò actiuam, & partem passiuam reperiri in cunctis non modo corporibus, sed etiam actionibus, motibus, qualitatibus, & entibus quibuscunq; naturalibus, est communis Philosorum opinio.

Secunda Conclusio. Luna præordinat potentia in homine humiditatem radicalem lationibus suis circa Solem mensuris, immediatè sequentibus Natalem: itaut mensura in Progressionibus constituatur per singulos Lunæ reditus ad eamdem cum Sole faciem, & distantiam exquisitam, quam habuit in Natali.

Probatur primò. Præordinatio humiditatis radicalis cum suis coeffectibus naturalibus necessaria est, sicut dictum est de vitali calore, quæ vt præcurrat fieri debet latione breuiori, quàm sit annua; tandem opus est, vt sit similis, aliàs enim non posset educi ad actum à latione annua: sed latio Lunæ circa Solem est breuior, & similis, ergo præordinat hanc humiditatem, & dum præordinat instituit Progressionum motum: Similitudo autem inter has lationes patet, ex *Ptolemæi cap. de Siderum ad Solem configuratione lib*. 1.

Secundò, & est ferè idem argumentum. Sicut Sol actiui generis dispositor lationibus

lationibus diurnis post Natalem, metam imponit motui Directionis, eò quia ipse huiusmodi lationibus præordinet in Nato seminalem virtutem caloris vitalis ad annos; ita Luna domina generis passiui, lationibus erga Solem, metam imponere valebit motibus Progressionum; eò quia huiusmodi lationibus præordinet in Nato seminalem virtutem humiditatis radicalis ad annos.

Tertiò. Circuitus hic Lunæ erga Solem, ad viuum demonstrat anni circuitū; nam tempore, quo Luna post discessum à Sole, ad ipsum redit, & in quo Sol signum ferè perambulat, ascendunt in singulis Mundi Cardinibus tot signa, quot sunt anni dies ad vnguem; sed spacium ferè vnius signi demonstrat vnum diem, ergo latio Lunæ erga Solem demonstrat anni red tum: pulchra mihi videtur hæc ratio: Maior propositio ostendetur postea: minorem probo; Signum demonstrat annum, ob motum Progressionis Solis per vnum signum, ex communi suppositione, & de hoc non est quæstio, tantùm de modo, mensura, & ratione formali a priori: ergo demonstrat etiam diem ob motum vnius signi in angulis velocissimum; efficiens enim, & effectus similes sunt, vt sæpius dictum est, at dies efficit annum in Directionibus; ergo si signum ferè demonstrat annum per tardiorem motum, poterit etiam demonstrare diem per velociorē motum; nam quæ ad inuicem referuntur, & ad tertium quodlibet pariter se habent: Maiorem illam probo. Annus Lunaris est dierum 354. hos diuide per 12. lunationes, & remanent dies 29. cum dimidio, quibus Luna ad Solem redit, & est spacium mensis lunaris medium: Hos produc per 12. signa, quæ ascendunt singulis diebus in quouis Mundi Cardine, & fiunt signa 354. quæ ascendunt tempore vnius lunationis, quibus adde signum vnum, quod transiuit Sol, & consequenter etiam Cardines his diebus, & fiunt signa 355. Cauendum autem est, sicut non signum integrum, sed quid minus, spacium videlicet, quod progressus est Sol vna integra lunatione, indicat annum in Progressionibus; ita quoq; quid minus signo indicat diem; supersunt autem in fine anni de 12 lunationibus 11. ferè gradus, itaut de singulis lationibus signiferi circa Mundū, detractis 12. portionibus pro 12. Lunæ circuitibus, supersint adhuc 11 gradus: produc ergo 11. per 29. dies in quorum singulis ascendunt 12. signa, & fiunt gradus 319. quos reduc ad signia, & fiunt decem signia cum residuo, quæ iuncta superioribus fiunt 365. cum residuo. Supputemus aliter: mensis lunaris medius est dierum 29. cum dimidio ferè: hos produc per 360. gradus totius signiferi, & fiunt gradus 10620 quibus adde 29. quos Sol, & Anguli progressi sunt tempore circuitus Lunæ, & fiunt gradus 10649. qui ascendunt in singulis Cardinibus temporibus integri circuitus Lunæ erga Solem. Hos diuide per tot gradus, quot deambulat Sol medio motu tempore circuitus Lunæ, quos sic habebis: diuide per 12. lunationes omnes gradus, quos perambulat Sol tempore 12. lunationum, sunt autem gradus 349. & fiunt 29. gradus cum duodecima parte, per hanc igitur mensuram diuide summam illam omnium graduum ascendentium in Angulis tempore vnius lunationis, & remanent 366. ferè quot sunt videlicet dies anni, vt admiratione dignum sit: Quibus patet, quòd tot signa ascendunt in quolibet cardine tempore vnius integræ lunationis, quot sunt dies anni ad vnguem; ergo signum ferè habet relationem ad annum, &

ad diem: ergo circuitus Lunæ circa Solem in mense, ad viuum demonstrat circuitum anni.

Quartò. Præordinatio humiditatis radicalis in potentia, necessaria est, vt fieri possit actu per annum, sicut dictum est etiam de calore vitali; & fieri non potest, nisi à Lunæ lationibus: sed lunationes ante Natalem non sufficiunt, quia sunt ad summum decem, vel vndecim; ergo necesse est, vt hæc præordinatio fiat à lunationibus post Natalem.

Et hinc infertur, vt etiam vitalis calor præordinetur in potentia lationibus Solis, subsequentibus Natalem, *sicut lib. 1. dictum est*.

In Progressionibus autem supputandis seruandæ sunt latitudines omnium Planetarum, & omnes familiaritates, *de quibus lib. 2. dictum est*.

De Lationibus quotidianis.

CAPVT DECIMVM.

DIcunt vnanimes omnes, periti, & imperiti, Philosophi, & Theologi, ipsi Sancti Patres concedunt, quòd sidera lationibus suis iugiter semper, & nulla vnquam interposita mora agitent materiam hanc sublunarem, prima corpora, & quicquid ex illis mixtum est; attamen lationes Astrorum cum sint eædem, & eodem penè modo se habeant erga res omnes inferiores; quòd nihilominus diuersimodè, & diuersis temporibus agant in singula indiuidua, tum etiam in diuersas Mundi regiones, primo intuitu, & mirabile, videtur, & prorsus impossibile.

Huius diuersitatis agendi siderum in res inferiores duplicem solent Professores afferre causam. *Prima* est diuersitas dispositionis, & naturæ indiuiduorum, & Regionum. *Secunda* situs varietas: dicunt enim à Sole liquefieri pinguia, exsiccari lutum &c: à diuersis verò situbus terræ cum emergant diuersi Siderum respectus, & habitus, hinc diuersæ applicationes, & familiaritates, diuersi effectus, & diuersa tempora. Quæ quidem causæ licet semper concurrunt, *sicut dictum est lib.* 1. non sunt tamen sufficientes: nam indiuidua eiusdem speciei communicant in natura, attamen non omnia indiuidua vnius speciei afficiuntur ab aliqua vniuersali constellatione; Item si Sidera minantur alicui Ciuitati, vel Prouinciæ necem ex lue, bello, terremotu, igne, submersione, aut similibus, non omnes illius Prouinciæ, vel Ciuitatis intereunt; aliunde igitur quærenda est ratio huius diuersitatis.

Cauendum autem, quòd licet omnia indiuidua alicuius speciei, habeant naturam communem, quæ est à forma substantiali specifica, & à quibusdam etiã proprietatibus; attamen vnumquodq; indiuiduum differt ab alio, quoad intensionem qualitatum suæ dispositionis, tùm etiam quoad mixtionem primorum corporum: nam omnes homines differunt ab inuicem in gradu caloris vitalis, & humiditatis radicalis, tùm etiam in temperamento mixtionis, quòd experientia

tia ipsa demonstrat. Vnde & sequitur, vt qualitates eorum vitales etiam quando exeunt ad actum in vitæ decursu, differant inter se: vnusquisq; enim quantum potest manutenet, & conseruat gradum sibi connaturalem.

Igitur in homine duo sunt spectanda, quæ differunt inter se tanquam principium, & principiatum: primò, congenitum temperamentum membrorum, quibus insident vegetantes potentiæ; est autem corpus mixtum: Secundò, exercitium potentiarum, & sunt vitales functiones, seù qualitates vitales, dum exeunt ad actum cum suis coeffectibus naturalibus: illud pendet à constitutione Natalis, in qua Sidera consistunt immobilia, sicut alibi dictum est: Exercitium potentiarum pendet à motibus Directionis, & Progressionis, quibus præordinatæ sunt in potentia vitales functiones cum suis coeffectibus naturalibus.

Sidera lationibus vniuersalibus quotidianis attingunt vniuersos gradus qualitatum indiuiduorum, sicut dictum est *lib.* 1. Cum verò motus eorum sit continuus, sequitur, *vt ait Aristoteles*, quòd etiam sit continuus eorum influxus erga omnia indiuidua; qui tamen non est efficax noui notabilis effectus, nisi quando sidera attingunt eosdem gradus qualitatum, præexistentium in potentia proxima in indiuiduis ex motibus Directionis, & Processus; tunc enim eliciunt ad actum ipsos effectus, quos in potentia proxima reperiunt.

Quare lationes vniuersales quotidianæ duplicem habent respectum ad res nati, vnum ad Sidera Natalis, & pertinet ad congenitum temperamentum mixti: alterum ad loca Directionis, & Processus, & pertinet ad exercitium potentiarum, seù ad ipsos effectus præexistentes in potentia proxima: Hunc *Ptolemæus* vocat Ingressum, illum verò Transitum; de quibus seorsim dicendũ est: & deinde innotescet solutio difficultatis initio capitis propositæ.

Et caueas, quòd nomine lationis vniuersalis, & quotidianæ in hoc capite, & sequentibus non intelligo tantùm motum raptus Astrorum, ab ortu, ad occasum, cum Primo mobile; qui dicitur vniuersalis ad differentiam motus particularis vniuscuiusq; Sideris, qui fit ab occidentalioribus partibus ipsius Primi mobilis ad orientaliores eiusdem; sed intelligo omnem motum Siderum quotidianum, quibus Astra influunt in vniuersam sublunarem materiam; est autem latio, seù motus Astrorum quotidianus quicunq; sit: & voco vniuersalem ad differentiam motuum particularis Directionis, Progressionis &c: qui fiunt erga singula indiuidua. Quamuis re vera hi quoq; motus particulares Directionis &c: hauriantur ab vniuersalibus, itaut non differant, nisi tantùm ob varios respectus ad singula subiecta passibilia, sicut sæpius dictum est.

De Ingressibus.

CAPVT VNDECIMVM.

QVotidianas Astrorum vniuersales toti Mundo lationes *Ptolemæus* diuidit in Ingressum, & Transitum, & primò agens de Ingressu dicit fieri quando

Sidera

Sidera lationibus quotidianis vniuersalibus contrahunt familiaritates cum locis Directionis, & Processus Prorogatorum; nam beneficæ quidem semper prosunt, maximè de conuenienti familiaritate; maleficæ obsunt potissimè de inconuenienti: præcipuè tamen ingressus valent ad eliciendos ad actum illos effectus, qui sunt in potentia proxima, vel ad retardandos, vel minuendos; prout similes fuerint stellæ, vel dissimiles ipsis effectibus producendis.

Sunt autem Ingressus in duplici differentia, quidam sunt actiui, quidam passiui: Ingressus actiui sunt quando Sidera quæcunq; sint, quæ virtutem habent actiuam, motu vniuersali quotidiano ingrediuntur ex aliqua familiaritate loca Directionum, & Processuum Prorogatorum; tunc enim Sidera agunt in Prorogatores: Vt in 6. Exemplo è septem à me desumptis ex *Magino*, quòd est Cardinalis Ant. Mariæ de Saluiatis, Luna vitæ prorogatrix per Directionem anno 65. ætatis lustrabat partem 23. Leonis, in Decubitu, & decessu Saturnus ingressus est quadratum ad illum locum à grad. 23. Scorpionis: ergo Saturnus agebat per Ingressum ex inconuenienti radio in Lunam vitæ prorogatricem, in eius videlicet locum Directionis. Item Progressiones ad diem obitus eiusdem, sicut ibidem notaui, fiunt die 2. Maij 1 42. in qua erat Sol in parte 21. Tauri, & die obitus, quæ fuit 16. Aprilis 1602. erat Saturnus in oppositione exquisita à grad. 21. Scorpionis: Saturnus ergo per In...ressum ex oppositione agebat in Progressionem Solis.

Ingressus passiui sunt quando Prorogatores vniuersales toti Mundo, idest Sol, Luna, Horoscopus, Culmen, & Pars fortunæ, motu quotidiano ingrediuntur ad familiaritates locorum Directionis, & Processus Astrorum quæcũq; sint, quæ virtutem habent actiuam: tunc enim quodammodo, sicut dicam infra, Prorogatores vniuersales patiuntur ab illis Astris. Vt in eodem exemplo Saturnus per Processum die 2. Maij 1542. erat in parte 4. Scorpionis cum latitudine boreali part. 2. 55. cum qua latitudine obtinet Declinationis part. 10. hanc Declinationem exquisitè ingressi sunt Sol, & Luna die obitus 16. Aprilis 1602. itaut luminaria paterentur parallelum Saturni per Ingressum ad eius Declinationem, quam habet in Progressionibus.

Prima Conclusio. Ingressus actiui Siderum quando contingunt, si similes sint effectibus producendis, eliciunt ad actum præordinatos in potentia per motum Directionis, & Processus, effectus illos suæ naturæ, quos in potentia proxima reperiunt: si verò sint dissimiles, vel retardant effectus, vel diminuunt.

Probatur. Ingressus actiui sunt causæ efficientes præsentaneæ familiares, ergo si sint similis naturæ præordinatis in potentia effectibus, quos inueniunt in potentia proxima eliciunt ad actum; si sint dissimilis naturæ resistunt, vnde, vel diminuunt, vel postponunt effectus: Consequens patet, nam in physicis causa familiaris, seu applicata subiecto, in quo præexistat in potentia proxima effectus suæ naturæ, illum elicit ad actum, è contra resistit si sit dissimilis naturæ: antecedens negari non potest.

Hoc enim sanè certum est, quòd effectus aliquis præordinatus in potentia, vt educatur ad actum, indiget causa proxima applicata, & similis naturæ; quæ in Astris est causa præsentanea similis naturæ; siuè dicamus; quòd sint quotidianæ

dianæ lationes similium Astrorum. E contra certum est, quòd causæ proximæ dissimilis naturæ retardant: vel diminuunt effectus, si familiaritatem maximè hostilem contrahunt, cum subiecto actionis.

Rursus certum est, quòd Astra nouis quotidianis lationibus fiunt applicata locis Directionis, & Processus Prorogatorum, si ad illa loca contrahant aliquam familiaritatem, *ex dictis lib.* 2.

Secunda Conclusio. Ingressus passiui Prorogatorum vniuersalium toti Mundo, quos recensui, administrant alimonias ad refrigerationem, & conseruationem caloris vitalis, & humiditatis radicalis. *Probatur*, Sol, & Luna, & cæteri Prorogatores producunt in rebus inferioribus qualitates cælestes vitales cunctis viuentibus, sicut dictum est *lib.* 1. Sed animalia non nutriuntur, nisi his qualitatibus; nam pura elementa, & eorum qualitates, siuè simpliciter, siuè mixtim acceptæ non nutriunt, ergo &c: Dico autem huiusmodi Ingressus esse passiuos, & pati quodammodo Prorogatores vniuersales ab Astris Directionum, & Processuum, quia cum administrent alimenta, alimenta non nutriunt, nisi patiantur à potentijs vegetantibus animalis, itaut alterentur; alias enim in eius substantiam nunquam conuertentur.

Colligitur ex dictis *primò*; quòd, quia constellationes præsentaneæ non eliciunt præexistentes in potentia proxima effectus, nisi similes sint illis effectibus, seu constellationibus, quæ fuerunt causæ præordinationis illorum effectuum; euidenti ratione à præsentanea constellatione colligere possumus exitū rerum naturalium, vt à Decubitu exitum ægritudinis &c:

Secundò. Colligitur, quòd effectus felices ad valetudinem fient, si constellationes præsentaneæ primò reddant felices Solem, Lunam, & Cardinem ortus; & ipsi deinde simili felicitate affecti, familiaritatem contrahant cum locis Directionis, & Processus Prorogatoris, vbi tunc præexistat in potentia proxima talis effectus: ita re vera semper expertus sum. Nam Luminaria de præsenti feliciter affecta disponunt causas proximas vniuersales: familiaritates eorum ad loca Directionis &c: conciliant eas erga natum illum, & non alium. E contra effectus infelices non fiunt, nisi primo quidem de præsenti luminaria, & Cardines infelicia sint; deinde hostilem familiaritatem habeant ad loca Directionis, & Processus, vbi tunc præexistat in potentia proxima talis effectus. Quare tunc petenda sunt, vel auertenda mala, quando felices sunt præsentes constellationes erga luminaria, & Cardines: tunc cauenda mala, vel conuertenda; quando infelices sunt constellationes præsentes erga luminaria, & Cardines. Et hoc verissimum est, dictumq; sit notatu dignissimum ad vtilitatem ex hac arte capiendam.

De Transitibus.

CAPVT DVODECIMVM.

TRansitus *Ptolemæus* dicit esse familiaritates Astrorum motu vniuersali acquisitas ad loca Siderum Natalis; & beneficarum quidem Transitus pro-

prodesse, maximè de conuenienti radio, maleficarum autem obesse, præcipuè de inconuenienti &c:

Cum autem loca Siderum Natalis referant congenitum temperamentum mixtionis corporis, ficut sæpius dixi; euidenter consequitur, quòd Transitus Astrorum, quia sunt familiaritates ad illa loca, respiciant congenitum temperamentum mixtionis corporis, & ipsas potentias, seù principia naturalia omnium motuum, & operationum vitalium; adeout Sidera Transitibus prosint, vel obsint ipsis potentijs, & principijs naturalibus operationum vitalium.

Quemadmodum verò dixi de Ingressibus, ita similiter dico, quòd transitus, alij sunt actiui, alij passiui: Transitus actiui sunt familiaritates ex vniuersali motu Astrorum virtutem actiuam habentium ad Prorogatores Natalis: Transitus passiui sunt familiaritates Prorogatorum toti Mundo vniuersalium ad Sidera Natalis virtutem actiuam habentia.

Meminisse enim oportet eorum, quæ dixi *cap. 8. lib. 1.* Quòd nimirum in homine hæc omnia reperiuntur inter se diuersa. Calor vitalis; humiditas radicalis; organa quibus insident ipsæ potentiæ vegetantes, & sentientes; exercitium potentiarum, ipsa nimirum vegetatio, ipsæ sensationes; materia exercitij: Tandem omne corpus sublunare subijcitur perpetuò actioni Siderum, tùm ratione materiæ, tùm ratione primorum corporum, itaut Sidera quotidianis vniuersalibus lationibus iugiter semper, & nulla interposita mora agitent sublunaria corpora.

Calor vitalis, & humiditas radicalis pendent à Sole, & Luna, tàm in potentia, quàm in actu, organa, & eorum connaturales dispositiones pendent à constitutione Siderum Natalis; exercitium potentiarum à motibus Directionis, & Progressionis; materia exercitij à luminarium quotidiano vniuersali motu; patiuntur autem organa, tùm etiam calor vitalis, & humiditas radicalis ab Astrorum quotidianis lationibus, quando Sidera actiua contrahunt familiaritates cum locis Prorogatorum Natalis, maximè Solis, & Lunæ: Quare Sidera actiua quotidiano motu si respiciant Solem, & Lunam, & Prorogatores Natalis, agunt in organa, in calorem, & humiditatem, & in primum congenitum temperamentum, & hi respectus vocantur Transitus: si respiciant loca Directionis, & Progressionis agunt in exercitium potentiarum, & vocantur Ingressus: Prorogatores verò vniuersales conferunt alimonias vtroq; modo ad refrigerationem, & conseruationem; qui si contrahant familiaritates cum Astris Natalis virtutem actiuam habentibus, conferunt alimonias profuturas, vel è contra obfuturas pro natura illorum Siderum, & hi vocantur Transitus passiui, de quibus omnibus satis dictum sit. Vt in decubitu *Saluiati* Saturnus obtinuit Declinationem Solis natalis, & constituit Transitum actiuum ergà Solem: Luna verò perpessa est oppositionem Saturni natalis, id est Transitum à Saturno passiuum, quo alimonias Mundo vniuersales in atram bilem, erga natum conuertit.

Super vltima Ptolemæi *verba capitis diuisionis Temporum.*

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

IN exordio illius capitis *Ptolemæus* ea recenset, quæ tanquam vniuersalia, atq; superiora peruertere, siuè etiam immaturè peculiaria cuiq; Genesi stellarum decreta possunt; vt quæ ab antiquitate pendēt, moribus gentium, regionum, ac lege sancita; aut succrescentia nouis de causis, vt propter Eclipses, Cometas, atq; huiusmodi ab eodem *Ptolemæo lib.* 2. exposita; aut quæ singulis regionibus, & climatibus ex aeris temperie nascuntur, siuè tandem hominum ætati vnicuiq; peculiaria; quæ quidem omnia de se plana sunt, nec opus circa ea immorandum: & de his concludit sermonem *Ptolemæus*, verbis illis *sint igitur hæ temporum singulares inclinationes, iuxtà naturæ generalem, & communem statum in hunc modum expositæ*. Post hæc naturas quinq; principalium locorum Geniturae explanare aggreditur, dicens *Particulares verò ex genitura inquisitiones, quemadmodum priùs proposuimus: iterum ac summatìm à præcipuis progressionibus constituemus*, per particulares inquisitiones vult omne genus quæstionum, de quibus hucusq; egit toto 3. & 4. *lib. idq; ab omnibus, non veluti in vitæ spacio perquirendo, ab vna tantùm, sed ab Horoscopo pro ijs, quæ corpori eueniunt, & profectionibus &c*: ijs damnat sententiam eorum, qui nullo seruato discrimine, ab Ascendente, Sole, Luna, & parte Fortunæ, prorogationem rerum ineptè quærunt; contra quos sæpius coram disputaui; & miseratione sanè dignos censui, cum enim subsequutorum effectuum tempora recenti more, iuxtà methodum, & Tabulas *Regiomontani, Argoli*, & aliorum, à quibus primò disciplinam hanc acceperunt, per circulos videlicèt positionum inquirant, neq; rudi calculo consentientes temporibus numeros assequi mereantur, hinc inde migrant ab vno videlicet Prorogatore ad alterum requirentes tempora rerum; & penes quem inueniunt, quicunq; sit, siuè ad rē, siuè minus, ipsum tanquam illorum effectuum auctorem accipiunt; vnde quam ingens oriatur confusio, & à rerum veritate longinquitas, non erit difficile præclaris ingenijs cognoscere. Distinctionis autem suæ *Ptolemæus* rationem à posteriori ductam subinfert dicens, *hoc sanè pacto ijsdem temporibus, non idem erit beneficus horum dominus: cum multa ferè eueniant sub ijsdem temporibus contraria*. In singulis enim quæstionum generibus ratio diuersa: quod si ab vno horum locorum singula rerum capita disquiramus; pro quouis occursu aliquem omni ex parte felicem, aut infelicem futurum oportet esse; id tamen cum fit, quòd raro contingit, ab alia pendere causa scias, quæ est, *sed acciderit fortassè, & illud, quo tempore planè beati, aut calamitosi sumus, quando in omnibus, aut pluribus Aphæticis moderationibus conueniunt occursationes beneficorum omninò, aut cōtra maleficorum, id quod raro vsu venit, propter humanæ naturæ imbecillitatē ad extrema vtraq; perferenda; quam ita comparatā esse apparet, vt temperaturam postulet bonorū,*

& malorũ,cum id raro fiat.vt experiētia demonstrat, opus est etiã hæc à diuersis pendere causis,quæ raro cõueniant:*Loca igitur Aphetica ad hunc modum discernemus* hæc quoad Aphetica loca,*occursantes verò non solum interceptores, quemadmodum vbi de vitæ spacio quæritur, sed vniuersos accipere oportet, atq; ita non corpore tantùm, aut radijs oppositis quadrangulatibusue obuiantes, verum etiam trinis, ac sextilibus*. In vitæ spacio tantùm radij hostiles, aut corporei congressus maleficarum abscindunt; in cæteris capitum quæstionibus intuitus, & familiaritates omnes quæcunq; sint aliqualem producunt effectum: Et ratio est, quia astra in hæc inferiora agunt secundum præsuppositam materiam; cum verò vitæ bonũ largiantur in Genesi, non superest felices stellas nouum, quid boni circa ipsam vitam agere posse, nisi tantùm ab infelicibus præseruationem, vt dicitur *cap.* de vitæ Prorogatoribus: Quòd non accidit in rebus, quæ superueniunt. *Ac primum sanè tempus in singulis moderationibus illi dabitur, qui Apheticum locum corpore occupat, vel radijs*, hic attentè obseruare debemus *Ptolemæi* modum loquendi; nam moderationis titulo vult modum gubernandi Prorogatores, non tantùm quoad vitam, verùm & singulis rerũ generibus: Prorogator enim est veluti gubernator; modus verò quo suam regit prouinciam, pendet à natura, quam pro tempore induerit; eam verò naturam induit, quam intuentibus, aut præsentibus Astris, cum communicatione tamen, prout paulò post subdit, finium planetarum acceperit. *Quod si nullus fuerit, asciscemus proximè antecedentem ad eum vsq;* innuit hic Astrorũ cuiq; esse sphærã actiuitatis, intra quam, tam in partibus quibus applicat, quàm in quibus se separat, agere, prout dixerat *cap. moderandæ vitæ, qui proximè succedentē aspicit partē, deinde hoc vtemur, vsq; ad proximum, atq; in alijs similitèr, assumentes in gubernãdi communicationē terminorũ dominos planetas.* Hæc extat potissima ratio cur humanæ naturæ res perpetuò exagitentur motu, itaut nunquam in eodem permaneant statu; nouæ enim succedentes causæ, nouos edunt effectus; quæ causæ cum diuersæ sint naturæ, effectus etiã, qui consequuntur, nunc fœlices, nunc infœlices apparent; *Atq; iterum partibus interiectis annos tribuimus secundum eam, quæ ab ascendente sumitur moderationem, tot videlicet, quot sunt eius regionis ascensionum tempora. A cæli medio quot sunt tempora cæli culminationum, à reliquis verò pro ratione propinquitatis ad angulos* Propinquitas est passio mobilis, quam motu tantùm acquirit, nisi enim moueatur, appropinquare, & accedere non valet ad terminum motus; itaut velit *Ptolemæus* duo mobilia extra cardines tunc iuncta esse, cum parem propinquitatem tenuerint ad cardines, nimirum cum paribus temporaneis horis propinqua ad cardines inuenta fuerint. Loca autem, quæ immobilia sunt ad inuicem, vt positionum circuli, non possunt dici magis, vel minus propinqua, sed potius magis, vel minus absentia; neq; enim connotare possunt distantiam, quæ motu acquiritur, si non mouentur. Cæterùm quæ immota consistunt, ad se se referri non possunt, nisi numeri, & rationis vsu accipiantur, & comparentur partes interceptæ quantitatis. Quæ autem loco mouentur, absq; vlla intellectus operatione, discedunt a termino motus à quo, & iunguntur termino ad quē, ex qua iunctione resultat effectus; terminos autem motus ego deinde accipio, & ad inuicem confero, vt exoptatam quantitatis motus; & distantiæ, seù propinquitatis

pinquitatis

pinquitatis mobilium, & causarum cognitionem assequar ad accipienda futurarum rerum tempora, quæ à solo motu pendent; nam à distantia situum, quæ est pura quantitas, & extensio partium tempus emanare nunquam potest. *Ascensionum, aut descensionum, culminationumuè tempora accipimus, sicut cum de vitæ spacio ageremus definiuimus*, tempora proculdubio partes Æquatoris circuli vult esse, de quo circulo dixerat partes eius æqualiter transire apud finitorē, & meridianum. *Hunc igitur ad modum generales temporum arbitros creabimus*; generales temporum arbitros vocat, quos obuios, & occursantes per Directionis motum alibi nuncupauerat. *Annuos verò reijcientes, annorum multitudinem ab ineunte ætate à singulis Apheticis locis, iuxtà ordinem signorum singulorum, eum assumentes, qui signo dominatur, in quo subsistiteremus; idipsum in mensibus præstabimus abijcientes iterum à mense natali præteritorum mensium numerum à locis annui dominij, secundum ordinem signorum dies viginti octo; Ita dies etiam à natali abijciemus à menstruis locis pro vno signo dies duos, & trientem*. Instituit nunc *Ptolemæus* progressiones annuas mensurnas, & diurnas; modumq; demonstrat, quo genituris conferant: Cæterùm non assignat exquisitum tempus, & mensuram earum: inquit enim de mensurnis quidem, dies viginti octo, de diurnis verò duos, & trientem; cum tamen constet apud Auctores, qui Progressiones vniformes, regulares, atq; æquales efficiunt, mensurnas perfici diebus viginti octo, horis duabus, & minutis 18. Diurnas, diebus duobus, horis 3. & min. 52. quarum supputationum inter se differentiæ plurimum important processū temporis: Cum facillimum extitisset *Ptolemæo* Progressionum tempora adamussim diffinire, si regulariter, vniformiter, & æqualiter fieri voluisset; maximè verò cum definita perpetuò firma, atq; inuariabilia permansissent; id nihilominus non præstans, aliud insinuare se velle demonstrat, quòd mathematici prudentiæ relinquit, sicut solet, & efficit in fine huius capitis; vult autem, censeo, Progressionum motus non debere fieri æqualiter, & vniformiter, quia sic non sunt naturales, sed arbitrarij: at de his ex professo dictum est suo loco. Assumit verò, vt dispositorem ad bonum, vel malum dominum signi, ad quod Progressio deuoluta fuerit: per dominum signi puto quòd intelligat omnem familiarem Planetam, & stellam, & non dominos signorum tantum: *Respiciendum etiam est ad ingressus in præcipua potissimum loca*, præcipua loca iam assignauit supra, & sunt loca Prorogatoria ad minus numero quinq; possunt autē esse plura, si quis cæterorum Planetarum hylegialem sit adeptus potestatem; *Cardanus* addit etiam Mercurium ad cognoscendos animi morbos. Ingressuum verò nomine intelligit familiaritates Astrorum ex quotidianis inambulationibus, ad loca Directionis, & Progressionis; qua verò ratione perpendi debeant hæ familiaritates quotidianæ, paulò post subinfert. *Neq; enim parum momenti habent in temporum decretis* inanes non euadunt siderum ingressus; nam nulla causa otiosa in rerum natura, si debito modo sit applicata; quid autem efficiāt exponit paulò infrà, *Maximè Saturni generalium, Iouis annuorum, Martis, & Solis, Veneris, & Mercurij menstruorum, Lunæ diurnorum*, quodlibet Sidus quandocumq; ingreditur ex aliqua familiaritate locum motus, vel Directionis, vel Progressionis Prorogatoris, semper illum afficit qualitatibus suis; magis tamē,

vel minus, prout magis, vel minus perseuerauerit familiaritas illius Astri, cum Prorogatore: diutius autem perseuerat si motus Planetæ similis sit motui, vel Directionis, vel Progressionis Prorogatoris; tunc enim diù simul progrediuntur; & fit vt Sidus diù familiare Prorogatori, illum magis afficiat suis qualitatibus: Quamobrem Planetam illum, *Ptolemæus* Prorogatoris motibus iungit, cuius motus medius similis sit velocitati motuum Prorogatoris; sic enim diù simul progrediendo Prorogator, quàm validè afficitur qualitatibus concomitantis astri, & tandiù disponitur quousq; tandem in eo nouus producatur effectus. Cæterum doctrina hæc *Ptolemæi* de septem erraticis vniuersalis est, & ex particula illa, *maximè*, cognosci potest: ijs autem insinuare nobis voluit perpendẽdũ esse quemlibet Planetam incidenter iunctum, & familiarem singulis Prorogatorum Directionibus, & Progressionibus, maximè tamen illum, cuius motus sit æqualis velocitatis motus Prorogatorum, licet per accidens talis sit eius motus; quòd contingere potest propter varias in Epicyclo lationes, cuius causa nunc velox, nunc tardus incedit, modo stat, modo regreditur. *Ac quemadmodum generalium temporum arbitri potiores sunt ad decretum absoluendum*, generalium temporum arbitri potiores existunt ad attingendum decretum, quam particularium: Directionis enim motus à Solis motu pendet, Progressionum à Lunæ motu: At longè maior est Solis vis in hæc inferiora, quam Lunæ, & propterea causarum applicationes, quæ ab eius motu pendent robustiores, & efficaciores esse necesse est; itaut effectum præordinatum à causis motu Solis applicatis, quæ eò dictæ sunt arbitri generales, quia & Sol, cuius sequuntur motum, sit temporum primus, & generalis arbiter; particularium temporum arbitri, vt potè Lunæ motum sequuti, quæ longè inferior est virtute ipso Sole, quoad totum euertere minimè possint: Vnde subdit, *ita particularium conducũt, aut reluctantur pro conuenientia, & aduersitate naturæ suæ*, tantùm enim conferunt, aut reluctantur operibus arbitrorum generalium temporum: ex quibus etiam colligi licet particularium temporum arbitros, nihil aut parum ex se efficere posse, sed tantùm assensum præbere, vt inferiùs dicetur, *transitus verò augmenta, & decrementa euentum adducunt*, Transituum nomine accipit quotidianas Astrorum familiaritates cum locis radicis, seu natalis; quæ ob velocitatem quotidianæ lationis cito pertranseunt, & separantur. Primò enim *Ptolemæus* vim demonstrat arbitrorum generalium temporum, idest Directionum, inde arbitrorum particularium, idest Progressionum, postea Ingressuum Siderum, tandem vim Transituum, quorum tantummodò vis est augmenta, & decrementa circa tempus euentuum afferre. *Nam summariam qualitatis rationem, & temporum prorogationem Apheticus locus, & generalium temporum arbiter, vnà cum finium domino designat, eo quòd familiare est vnumquodq; Sidus ijs in genitura locis, quorum ab initio gubernationem sortitum est*, rationem affert nunc prædictorũ, genus enim effectus, & tempus dilationis eius ab Aphetico loco, ab occursante, & finium domino loci occursus demonstrantur, ita tamen, vt etiam à familiaritate Siderum disponentium in Natali. (Sed bono ne sint an malo) genus euentum ex prædictis venandum præcipit *Ptolemæus*; an verò deinde cum felicitate, an non. *Ex eorum, qui temporibus præsunt naturali, & mixta propensione*

ad

ad benè, maleue faciendum colligitur, naturalis propensio ea est, quæ perpetuò remanet penes ipsa Sidera: mixta, quæ per accidens fit pro statu, erga Mundum, figniferum, Solem, Lunam, cæterasq; erraticas, de quibus *Ptolemæus* lib. 1. *& eorum familiaritate, aut inimicitia, quam ab initio susceperant*, nam licet Sideris occursantis potentia, tàm ex naturali propensione, quàm ex mixta ad benè agendum tendat; bonum adhuc, vt inimicus Aphetæ natalis elicere minimè potest; de teagono, & diametro citò malum; de trigono, & sextili, & congressu non bonum, vel leue, *Quibus verò temporibus magis elucescet decreti vis*, summæ nunc intensionis decretorum tempora inquirit, dicens *Significatur ab annuorum, & menstruorum signorum, cum obnoxijs locis configuratione*, per obnoxia loca vult infortunarum loca natalis, earumq; radios hostiles; siuè etiam loca Siderum quorumcumq; qualitatem actiuam habentium. *Et secundum ingressus Astrorum, & Solis, Lunæq; radiationes ad annua, & menstrua signa* perpendit hic ingressus Astrorum, de quibus supra dixerat; si enim congrediantur Sidera diurno motu cum Progressionibus Prorogatorum, itaut incedant ex aliqua familiaritate, supereminet effectus intra potentiam Prorogatorum detentus, quod si & luminaria ijsdem progressionibus iungantur, tum potissimè si nouilunia, & plenilunia fiant in huiusmodi configuratione, eoq; magis si desuper eadem Signa Directionum, & processuum, aut exaduerso in malis, non immoratur effectus: ad bonum, an verò malum hæc conducant subdit, *Nam si conuenienter se habent cum locis affectis ab initio in genitura accepto, & secundum inambulationes conueniuntur illis configuranter, pro re proposita bonum*, Sidera si per inambulationem, idest lationem quotidianam, conuenienter configurantur, cum locis Prorogatorum natalis bonum, arguit pro re proposita ex genere affecti Prorogatoris: Conuenientia est familiaritas de sextili, & trigono, sicut dixerat, *cap. de configurationibus lib. 1.* igitur ex conuenientia colligit bonum, etiamsi de malo agatur propter malam Directionem pendentem; conuenientia namq; suspendit malitiam, *Si inconuenienter, & præter conditionem opposita quidem, aut quadrangula figura in transitibus malorum auctores sunt*, alterum membrum declarat ad infortunium tendens ex inconuenientia, quæ per hostiles fit intuitus, resultans *aliter verò configurata non ita* ex quibusuis alijs configurationibus malum non est opus prouenire semper, licet quandoq; proueniat, vt si per æquipollentiam contrahant familiaritatem Prorogatores cum malis, iuxtà trigonum, vel sextilem, vel simili alio modo, prout dixerat *Ptolemæus, capite de vita*, sequitur hic. *Ac si ijdem, & temporum, & introituum domini fuerint planetæ, illustris fit, & minimè mediocris decreti natura, siuè illud bono, siuè malo fuerit, multò verò magis, cum non solùm temporis, quòd gubernant nomine causarum generi præsunt, verum etiam ab initio secundum genituram* verbo, *illustris*, non intelligit magnitudinem decreti, de qua fusius alibi loquutus est; sed intelligit modum productionis decreti liberum, absq; renitentia, de qua dixerat paulo supra verbis illis, *conducunt, aut reluctantur pro conuenientia, & aduersitate naturæ suæ*, eoq; magis si non modò eadem Astra præsint locis omnibus temporum, verum quoq; in genitura ipsa; tunc enim effectus absoluti, ac liberi a suis causis exeunt suntq; in suo magnitudinis gradu nitidi, ac illustres. Quibus habemus,

bemus, ex mente *Ptolemæi*, qualem vim habeant Directiones, Progressiones, Ingressus, & Transitus, tàm de conuenienti, quàm inconuenienti configuratione &c:

Praxis arithmetica motus Directionis ad familiaritates in Zodiaco, seù in Primo Mobile.

CAPVT QVARTVMDECIMVM.

Hvcusq; disputādo meam, de influxu familiaritatibus, & motibus cœlestium causarum prodidi sententiam, quam censeo, tum ratione, tum etiam auctoritatibus summorum in Phisicis, & Mathematicis Doctorum satis euidenter comprobatam; vt qui res Astrorum per causas, & principia cognoscere cupiunt, voti compotes fieri possint: at si futuri sint, qui rebus meis fidem lubenter impertiantur, & nolint absumere tempus in controuersijs: cum ex dictis in toto opere non tam facile fuerit methodum supputationum singulorum motuum colligere, in hoc, & sequenti capite breues Canones ad vniuersam Praxim instituo.

Quoniam verò meæ Tabulæ nondum absolutæ sunt, poterit quis vti omnibus Tabulis aliorum Auctorum, quæ saltem contineant ascensiones rectas, declinationes etiam secundum latitudines, & differentias ascensionales ad eleuationes polares illarum regionum, in quibus velit Directiones supputare: Quòd si adsint etiam ascensiones obliquæ, & secundum latitudines, ad eleuationes polares earumdem regionum, & Tabula horariorum temporum, maius commodum. Non trado nunc modum accipiendi ascensionem rectam, obliquam, Declinationem, horaria tempora, arcum semidiurnum, & seminocturnum, quia docent omnes Auctores, qui Tabulas condiderunt, vt *Regiomontanus, Maginus, Argolus*, & alij: ponam autem cum Tabulis.

Cum duo sint motus, quibus Astra influunt in hæc inferiora, sicut dixi, vnus in Primo mobile, alter circa Mundum; vnde duo genera familiaritatum Siderum oriuntur; vt numerorum acceptionem in singulis faciliorem reddam, operæ pretium existimaui, seorsim tradere supputationes motuum ad familiaritates in Primo mobile, & motuum ad familiaritates in Mundo: de illis, *in hoc priori Capite*, sermonem faciam, de cæteris *in subsequenti*: Quapropter caue ne decipiaris, benigne Lector, quòd in omnibus titulis Canonum huius capitis intelligo familiaritates in Primo mobile, quòd ne idipsum repetam in omnibus titulis Canonum, satis sit in titulo capitis huius expressum esse.

Memineris etiam eorum quæ dixi de coniunctione Siderum in Zodiaco, quā præsentialem voco in *Quæstionibus*: nam tunc Sidera sunt iuncta in Zodiaco, quando sunt in eadem exquisita longitudine, licet distent secundum latitudinē, non vltra tamen quam sit eorum sphæra virtutis; quia illa Sidera, quæ ab inuicem magis distant secundum latitudinem, quam sit eorum sphæra actiuitatis, non efficiunt coniunctionem præsentialem, idest in Zodiaco. Vt Venus si habeat

beat 9. gradus latitudinis non efficit coniunctionem in Zodiaco cum Sole, aut alijs Astris, vel nullam habentibus latitudinem, vel contrariam. Et similiter eadem est ratio de oppositione. Quæ verò Sidera non efficiunt coniunctionem hanc in Zodiaco, neq; cæteros radios efficere possunt ibidem.

CANONES
Ad Primariam Directionem.

NOmine Primariæ Directionis intelligo Directionem Prorogatorum ad Occursantes secundum communem apud Auctores acceptionem, quamuis nonnihil differant inter se de modis supputandi, & ego quoq; ab ipsis. Primariam ergo Directionem puto esse duos illos motus, quorum altero Prorogator dum consistit immobilis in Mundi situ, idest in circulo horario, mouetur ad partes orientaliores Primi mobilis, fixis manentibus sub ipso Primo mobile cæteris Astris, quæ ab ipso rapiuntur ad situm Prorogatoris. Altero motu consistit immobilis sub Primo mobile, rapitur tamen ab ipso versus partes occidentaliores Mundi ad situs cæterorum Siderum. Nam, sicut demonstraui *lib.* 1. *cap.* 17. Prorogatores duobus motibus mouentur, idest sub Primo mobile, & circa Mundum: duobus item locis consistunt immobiles, idest in Mundo, seù in circulis horarijs, & sub Primo mobile. Occursantes verò, sicut ostendi ibidem *cap.* 18. duobus locis consistunt immobiles, in Mundo, & sub Primo mobile; mouentur autem vno tantùm, idest raptus, seù horario ad circulos Prorogatorum. At verò nomine secundariæ Directionis, quid intelligã, *iam dixi supra cap.* 8. & constabit etiam infra *Can.* 10. vbi supputationem eius tradam.

CANON I.
Solem constitutum in Angulo recto, ad congressus, & radios Astrorum dirigere.

SI Sol reperiatur in Culmine, vel Imo, sit tamen circa centrum, seù cuspidē, & siuè citra, siuè vltra non magis distet, quàm per 5 aut 6. gr. quòd si magis distet, tunc supputatio fit secundum infrapositũ *Canonem* 4. Sume ascensionem rectam Solis, & ascensionem rectam longitudinis Eclypticæ loci occurrentis, siuè sit coniunctio, siuè radius, & siuè stella habeat latitudinem, siuè non; semper in hoc casu accipies ascensionem rectam neglecta latitudine: deinde subtrahe ascensionem rectam Solis, ab ascensione recta longitudinis loci occurrentis; & habebis arcum Directionis. Quòd si Sol sit circa finem ascensionum rectarum, & locus occurrens in principio; ascensioni rectæ loci occurrentis adde integrum circulum p. 360. & à summa detrahe ascensionem rectam Solis, sicut docent omnes Auctores. *Vt in tertio exemplo*, ascensio recta Solis est p. 269. 54. ascensio recta Veneris accepta sine latitudine est p. 290. 55. a qua dempta ascẽsione recta Solis, remanet arcus Directionis Solis ad coniunctionem Veneris in Zodiaco p. 21. 1. Item ascensio recta oppositi Saturni, absq; latitudine est p. 297. 13. à qua detracta ascensione recta Solis remanet arcus Directionis Solis ad oppositum Saturni in Zodiaco p. 27. 19. atq; similiter in omnibus.

Omnis

Omnis deinde arcus Directionis ad habendos annos, & menses rerum futurarum, æquari debet, sicut dicam infra *Can. 9.*

Radij, seù proportionales distantiæ efficaces, sunt septem; Sextilis, qui constat partibus 60. Quintilis p. 72. Quadratus p. 90. Trinus p. 120. Sesquiquadrans p. 135. Biquintilis p. 144. Oppositio p. 180. Sextilis, Quintilis, Trinus, & Biquintilis felices sunt, reliqui hostiles.

CANON II.

Solem in Angulo recto, ad Antiscia, seù Parallelos dirigere.

SVpputatio fit sicut supra, nisi quòd oportet definire locum Antiscij, seù paralleli in Ecliptica: Nam si Sidus proijciens parallelum non habeat latitudinem, & sit in Ecliptica; loca Antisciorum, seù parallelorum accipiuntur more consueto: *Vt* gradus 10. Leonis habet Antiscium, seù parallelum primarium, & intuentem cum gr. 20. Tauri: secundarium, & imperantem ad gr. 20. Scorpionis &c: Quòd si Sidus proijciens parallelum non sit Ecliptica, sed habeat latitudinem; ingredere Tabulam Declinationum, & accipe Declinationem illius Astri, vsq; ad minuta; deinde in eadem Tabula require hanc Declinationem illius Astri, in columna Declinationis Eclipticæ: itaut inuenias quis gradus Eclipticæ, vsq; ad minuta sit eiusdem Declinationis, quam habet illud Sidus: nam in illo gradu, & minuto adest parallelus, seù Antiscium illius Astri. Sume igitur ascensionem rectam illius loci Eclipticæ, à qua detrahe Ascensionem rectam Solis, & habebis Directionis arcum.

Declinationes verò Meridionales sunt paralleli obedientes; Boreales imperantes: eiusdem nominis, sunt intuentes, & eiusdem potentiæ. *Vt in vndecimo Exemplo:* Iouis Declinatio sumpta secundum latitudinem eius est p. 5. 32. meridiana: hanc Declinationem requiro in columna Eclipticæ eiusdem Tabulæ, & inuenio a tergo gradus 16.0. Piscium: Dico igitur ibi adesse parallelum Iouis intuentem, quia Declinatio Iouis, & huius loci vtraq; est meridiana. Et accepta ascensione recta huius gr. 16. 0. Piscium, quæ est p. 347. 7. ab ipsa detraho ascensionem rectam Solis, quæ est p. 305. 9. & efficio arcum Directionis Solis ad parallelum Iouis intuentem p. 41. 58. Locus autem paralleli, cui obedit Iuppiter est p. 16. Virginis.

Quoniam verò paralleli vniuscuiusque Sideris, sunt duo circuli pariter ab Æquatore distantes, quorum vterq; secat Eclipticam in duobus locis, *sicut in quæstionibus dixi*: sequitur vt omne Sidus extra Eclipticam repertum, constituat in ipsa Ecliptica quatuor loca parallelorum; duo sunt sicut supra dixi; alia duo sunt circa corpus, & circa oppositionem Sideris, quæ quando Sidus est in Ecliptica euadunt partili coniunctio, & oppositio cum Ecliptica; & ideo hæ familiaritates tunc robustiores sunt. *Vt in eodem Exemplo*, alio duo loca paralleli Iouis sunt in p. 14. Arietis, & Libræ; nam hæ partes horum Signorum habent eamdem Declinationem Iouis; ergo si accipias ascẽsionem rectam partis 14. Arietis & ab ipsa detrahas ascensionem rectam Solis efficies Directionem Solis ad parallelum Ioui imperantem, quia Aries declinat ad Boream, Iuppiter ad Austrum.

Tandem

Tandem caueas, quòd paralleli, seù Antiscia, quia sunt circuli permanentes semper in eodem positionis habitu, erga Cardines, & Domus, idest in Mundo; non possunt efficere familiaritatem efficacem, cum ipsis Cardinibus, & Domibus, sed tantùm cum Astris, quæ ex accessu, & recessu à Polis Mundi variant Declinationem: Quare Cardines non diriguntur ad parallelos, siuè dicam ad Antiscia secundum meam sententiam.

CANON III.

Solem in Angulo obliquo ad omnes familiaritates dirigere.

SI Sol sit in ortu, accipe ascensionem obliquam Solis ad finitorem Regionis, sicut docent omnes Auctores: deinde ascensionem obliquam longitudinis in Ecliptica loci occurrentis, siuè sit coniunctio, siuè alius radius, absq; latitudine semper: & detrahe ascensionem obliquam Solis, ab ascensione obliqua loci occurrentis; & quod superest est Directionis arcus. Ad parallelos verò; prius definias locum paralleli in Ecliptica sicut supra dixi; deinde accipe illius loci Eclipticæ ascensionem obliquam, à qua detrahe ascensionem obliquam Solis &c. Si verò Sol sit in occasu, perficies Directiones cum locis oppositis in Ecliptica semper, vel cum descensionibus obliquis, acceptis item semper absque latititudine. *Vt in nono Exemplo*, si Sol esset in ortu, eius ascensio obliqua esset p. 111. 56. Si dirigeremus illum ad coniunctionem Veneris, cuius ibidem ascensio obliqua sumpta, absq; latitudine est p. 171. 56. à qua, si detrahamus ascensionem obliquam Solis, efficimus arcum Directionis p. 60. atque similiter de cæteris.

CANON IV.

Solem supra terram extra Cardines ad omnes Astrorum familiaritates dirigere.

ACcipe horaria tempora diurna Solis, & eiusdem distantiam à circulo recto, qui est meridionalis: Deinde horaria tempora diurna loci occurrentis in Ecliptica semper, sicut dictum est, siuè sit congressus, siuè radius, & siuè parallelus, qui tamen definiatur in Ecliptica modo *Can. 2.* exposito; & eiusdem loci occurrentis distantiam à culmine, seù meridiano; quam primariam voco: Tandem per Regulam auream quære, si horaria tempora Solis dant eius distantiam a culmine, quam distantiam dabunt horaria tempora loci occurrẽtis? produc secundum, & tertium numerum, & productum diuide per primũ, & quòd prouenit est distantia secundaria à culmine loci occurrentis: hanc distantiam secundariam loci occurrentis, quando Sol est in quarta orientali detrahe à distantia primaria eiusdem loci occurrentis: quando Sol est in quarta occidentali, si etiam locus occurrens in natali sit in eadem quarta occidentali, detrahe primariam distantiam à secundaria: tandem si Sol sit in quarta occidentali, & locus occurrens in quarta orientali, iunge ambas distantias primariam scilicet, & secundariam ipsius loci occurrentis, & siue residuum, ex detractione, siuè summa ex additione, est arcus Directionis quæsitus.

Quartæ orientales sunt ab ortu ad culmen, & ab occasu ad imum: occidentales sunt à culmine ad occasum, & ab imo ad ortum.

Et caue, quod vice horariorum temporum poteris vti arcu semidiurno, & siuè sumpto in horis, & minutis, siuè in gradibus, & minutis Æquatoris, prou-

ut placuerit, & fuerit opportunum.

Vt in duodecimo Exemplo sit dirigendus Sol ad coniunctionem Mercurij in Zodiaco.

Solis.	
Ascensio recta	p. 181. 50.
Horaria temp.	p. 14. 53.
Distantia à Culmine	p. 45. 35.
Mercurij sine latitudine.	
Ascensio recta	p. 202. 14.
Horaria tempor.	p. 13. 32.
Distantia à Culm.	p. 65. 59.

sume arcum semid. et multiplica illum per mid. 150 et par. ... diuide per horim. ... et uenient tem... hora horaria. ... planeta fuerit ... sub terra sume arcum seminoct.

Quæro igitur si horaria tempora Solis p. 14. 53. dant distantiam eiusdem à culmine p.45.35.quam distantiam dabunt horaria tempora Mercurij p.13.32? multiplico secundum, & tertium numerum, & productum diuido per primum: & prouenit distantia secundaria Mercurij p.41.27. quam detraho ab eiusdem primaria,quia Sol est in quarta oriẽtali,& remanet arcus Directionis p.24.32.

CANON V.

Solem in spacijs Crepusculorum constitutum ad omnes familiaritates dirigere.

QVoniam Sol in spacijs Crepusculorum repertus agit in nos secundum gradus lucis, quam iugiter successiue semper magis intendit in spacio Crepusculi orientalis prout magis ad ortum appropinquat; è contra post occasum remittit; & non agit secundum distantiam a Cardinibus, sicut ex dictis in quæstionibus euidentissimum est; sequitur, vt Sol in Crepusculis consistens, non sit dirigendus in circulis horarijs,in quibus fiunt proportionales à Cardinibus distantiæ, sed in circulis parallelis ad finitorem, in quibus Sol quamcunq; Declinationem habeat, conseruat erga nos eundem semper gradum intentionis lucis. Ad hanc ergo rem desiderantur quidem Tabulæ ascensionum, & descensionum obliquarum in circulis Crepusculinis: Sed quoniam ad condendas huiusmodi Tabulas opus esset plurimũ temporis, & laboris, quæ sanè frustra contererentur, fieretq; in vanum ingens volumen, si per multo pauciora,& promptiora idpsum, quòd optamus, præstare possimus. Hinc excogitaui modum breuissimum in infra posita Tabella expositum, quæ continet quantitatẽ Crepusculi ad plures eleuationes polares, & ipsam quantitatem Crepusculi sectam in sex circulis parallelis ad finitorem pro singulis, nimirum ternis gradibus depressionis sub Horizonte, ex quibus diuisionibus cum colligatur distantia Solis ab Horoscopo, a singulis parallelis pro omni gradu Eclipticæ, facile etiã erit, & pluribus modis colligere arcum Directionis; vnum ergo modum præ cæteris faciliorem exponam; qui talis est.

In capite, & pede Tabellæ posita sunt signa, & eorum gradus nullus, quintusdecimus, & trigesimus, idest initium signorum, medium, & finis: a tergo, in prima columna eleuationes polares, in secunda gradus depressionis sex parallelorum,qui sunt 3.6.9.12.15. & 18. In hoc vltimo adest tota quantitas Crepusculi:nam quando Sol tãgit hunc parallelum depressionis gr 18.ante ortum, incipit Crepusculum, post occasum desinit; nisi sit circa tropicum Cancri tota

nox

nox luce Crepuſculi perfuſa: ſicut accidit in altitudine poli gr. 50. & ſequentibus maioribus.

Si Sol ſit in ortu: *Primò* cum Tabulis Domorum accipe diſtantiam Solis ab ortu, detrahendo tempus pomeridianum, ſiuè dicam à meridie partis Eclipticæ in Horoſcopo inuentæ à tempore pomeridiano Solis in Horoſcopo conſtituti: Quæ diſtantia ſi maior ſit, quam tota quantitas Crepuſculi poſita in primo parallelo, qui eſt depreſſionis gr. 18. nondum Sol ingreſſus eſt ſpacium Crepuſculi; ſi æqualis, incipit; ſi ſit minor, ingreſſus eſt, & tunc cum hac diſtantia ingredere Tabellam Crepuſculorum in columna ſigni, & gradus Solis ad eleuationem tui poli: & vbi Solis diſtantiam hanc ab ortu inueneris, ipſe eſt parallelus Crepuſculinus, cui inheret Sol, & permanet ſemper in omnibus Directionibus, de quibus nunc loquimur.

Secundò, ſupputabis ſingulas Directiones Solis, ſecundum aſcenſiones Horoſcopi, ſupponendo Solem reperiri in centro Horoſcopi, licet diſtet: quas Directiones poteris optimè, & exquiſitè ſupputare cũ Tabulis Domorum, detrahendo tempus pomeridianum Solis in Horoſcopo poſiti, à tẽpore pomeridiano ſingulorum locorum occurrentium per Directionem, accepto quando ſunt in Horoſcopo: nam vna hora valet 15. gradus Æquatoris &c: ſicut docent etiam alij Profeſſores. Quòd ſi tibi magis placuerit ſupputare cum Tabulis aſcenſionum obliquarum per Æquatoris tempora, nihil refert; quia idem eſt.

Tertiò, ſupputatis Directionibus in Horoſcopo, neceſſe eſt ad ſingulos arcus Directionis addere, vel ab ipſis detrahere differentiam ortiuam, quæ contingit in circulo Crepuſculino Solis tali modo. In corpore Tabellæ Crepuſculorũ in eodem circulo parallelo, cui inhæret Sol, require ſectionem Crepuſculi, ideſt diſtantiam ab Horoſcopo ſingulorum Eclipticæ locorum occurrentium per Directionem: quæ diſtantia ſi ſit eadem, quæ eſt Solis, habes arcum Directionis, eſt enim ille, quem ſupra ſupputaſti: ſi differant, detrahe ſemper minorem a maiori, & reſiduum differentiam ortiuam voco: Deinde ſi diſtantia loci occurrentis ſit minor, diſtantia verò Solis maior; adde differentiam ortiuam ad arcum Directionis iam ſupputatum; Si verò è contra illa maior ſit, Solis verò minor, detrahe differentiam ortiuam ab arcu Directionis; & quod prouenit eſt arcus Directionis ſupputatus in circulo parallelo Crepuſculino, cui ipſe Sol inhæret.

Sit Exemplum *in Sereniſſimo Rainutio Farneſio Parmæ Duce*, cuius Geneſim ponit *Argolus in opere de diebus criticis lib. 2. pag.* 55. & dicit natum eſſe anno 1569. Martij die 26. hor 16. min. 24. P.M. oriente gr. 13 Piſcium ad lat. pol. 44. *In primis* accipio diſtantiam Solis ab ortu ſic. Tempus a meridie gradus 13. Piſcium in Horoſcopo eſt hor. 17. min. 24. Tempus a meridie Solis in Horoſcopo poſiti eſt hor. 18. min. 34. à quibus detraho horas 17. 24. & remanet diſtantia Solis ab ortu hor. 1. 10. Hanc diſtantiam requiro in Tabella Crepuſculorum ſub columna gr. 15. Arietis quem poſſidet Sol, ad polum gr. 44. & inuenio in circulo Crepuſc. depreſſionis gr. 12. Igitur huic circulo inhæret Sol.

Secundò. Volo ſupputare Directionem Solis ad quadratum Martis in Zodiaco: & primò ſupputo in Horoſcopo: Tempus a meridie Solis in Horoſcopo poſiti hor. 18. 34. At verò tempus a meridie gr. 0. Cancri in Horoſcopo po-

fiti est horarum 22. 20. à quibus detraho horas 18. 34. & remanet arcus Directionis hor. 3. min. 46. in Horoscopo supputatus.

Tertiò. In circulo Crepusculino gr. 12. sub columna gr. o. Cancri reperio horas 1. min. 30. a quibus detraho distantiam Solis ab Horoscopo, quæ est hor. 1. min. 10. & remanet differentia ortiua min. 20. Quam differentiam ortiuam, (quia distantia loci occurrentis est maior, & distantia Solis minor) detraho ab arcu Directionis, & remanet arcus Directionis hor. 3. min. 26. qui valet gradus 51. min. 30. Æquatoris, & adæquatus ex dicendis *Can.* 9. dat annos 53. quibus Dux ille obijt: nam alias nulla tunc apparet Directio Solis, qui ibi est vitæ Prorogator validissimus, quia in Horoscopo. *Argolus* dirigit Horoscopũ ad trinum Saturni, qui est longissimè ascensionis, sed inaniter.

At verò si distantiam Solis ab ortu non inueneris exquisitam in Tabella; neq; Solis gradum in Signo; sume partem proportionalem; ex qua cognosces verum circulum Crepusculinum depressionis Solis sub Horizonte, ad quem circulum oportet sumere etiam distantiã ab Horoscopo loci occurrẽtis, sicut dixi.

Sit aliud Exemplum *in Gustauo Adolpho Suetiæ Rege*, cuius Genesim ponit ibidem *Argolus pag.* 39. ex qua magis comprobatur mea de Crepusculis sententia: cuius exempli supputationem non exposui inter quadraginta, quia nondum confeceram inferiorem Tabellam: neq; erat mihi Planisphaerium ad eleuationem poli gr. 59. Natus est *Gustauus* anno 1594. die 19. Decembris hor. 7. min. 28. matutina, ascendente gr. 4. 32. Sagitt. sicut ponit *Argolus* sub altit. poli 59. In qua Genesi cauendus est error in Sole, qui secundum *Tychonis* calculum poni debet in gr. 28. 13. Sagitt. & non in gr. 27. 13. sicut ponitur ab *Argolo*; quare etiam supputatio Directionis ab eodem ibi exposita necessariò correctionem postulat.

Sol distat ab ortu horis 2. o. cum quibus ingredior Tabellam Crepusculorum, & sub columna gr. 30. Sagittarij, quia Sol habet maximam declinationem, inuenio in circulo Crepusculino depressionis gr. 12. ad polum gr. 59. horas 1. min. 59. itaut desit vnum tantum minutum.

Supputemus autem Directionem Solis ad quadratum Martis in Zodiaco; ibi enim incidit etiam oppositio Saturni, propter eius latitudinem borealem. Ascẽsio obliqua Solis correcti, ad polum gr. 59. est gr. 314. 29. ascensio obliqua gr. 25. 2. Aquarij est 350. 25. vnde remanet arcus Directionis in Horoscopo supputatus p. 35. 54.

In Tabella Crepusc. sub columna gr. 15. Aquarij in circulo Crepusculino Solis gr. 12. est distantia hor. 1. min. 42. in gr. 30. Aquar. est distantia hor. 1. min. 36. ex quibus sumendo partem proportionalem pro gr. 25. Aquar. fit distantia hor. 1. min. 38. quibus addo vnum minutum, quia deest ibidem in distantia Solis; itaut fiat vera distantia loci occurrentis hor. 1. min. 39. hanc detraho a distantia Solis, & superest differentia ortiua minutorum 21. quæ (quia minor est distantia loci occurrentis, & maior distantia Solis) addenda est ad arcum Directionis supra supputatum; cum verò sit supputatus in gradibus Æquatoris, oportet reducere differentiam ortiuam ad gradus Æquatoris: minuta horaria 21. sicut docent omnes Auctores dant gradus 5. & min. 15. Æquatoris, qui additi ad arcum Directionis supra in Horoscopo supputatum, effi-

ecre

ciunt verum arcũ Directionis gr.41.9. ſupputatũ in Circulo Crepuſculino Solis.

Ad accipiendos annos pro æquatione addo hunc arcum ad Aſcẽſionem rectam Solis, quæ eſt gr. 268. 3. & efficio aggregatum p. 309. 12. reſpondens ad gr. 6. & min. 47. Aquarij; ad quem Sol ab hora natalis peruenit diebus 37. & tribus quartis, qui tot annos indicant, quos vixit Guſtauus.

Si verò Sol ſit in Crepuſculo veſpertino poſt occaſum, *Primò* cum Tabulis domorum ſume diſtantiam Solis ab occaſu, qua cognoſces parallelum Crepuſculinum, cui inhæret Sol. *Secundò*, ſupputabis Directionem Solis tanquam ſi eſſet in centro occaſus, ſiuè per deſcenſiones Solis, & locorum occurrentium, ſiuè per aſcenſiones locorum oppoſitorum ad eleuationem poli regionis. *Tertiò*, ſub eodem circulo Crepuſculino Solis quære diſtantiam, quam ab occaſu habet locus occurrrens, ideſt quam ſectionem Crepuſculi, quæ ſit eadem, quæ Solis, habes Directionem, eſt enim illa, quam ſupra in finitore ſupputaſti; ſi ſit diuerſa, detrahe minorem à maiori, & reſiduum voco differẽtiam deſcenſiuã: deinde ſi diſtantia loci occurrentis, ideſt ſectio Crepuſculi ſit minor, diſtantia verò Solis maior, detrahe differentiam deſcenſiuam ab arcu Directionis; ſi verò è contra illa maior ſit, Solis autem minor adde, differentiam deſcenſiuam ad arcum Directionis, & quod prouenit eſt Arcus Directionis ſupputatus in parallelo Crepuſculino, cui Sol inhæret: nam ſupputationes in occaſu è contrario fiunt à ſupputationibus in ortu. Sequitur Tabella Crepuſculorum.

TABELLA CREPVSCVLORVM

Quæ continet ſectiones Crepuſculi in ſex Parallelis ad eleuationes Poli in prima columna poſitas.

Eleuation. Poli gr.	Parall. Crepul. gr.	♋		♌		♍		♎		♏		♐		
		gr. 0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	30
		h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.
	3 6	0 18 0 37	0 18 0 37	0 18 0 36	0 17 0 34	0 16 0 32	0 16 0 31	0 16 0 30	0 16 0 30	0 17 0 31	0 17 0 32	0 17 0 33	0 18 0 34	0 18 0 35
38	9 12	0 59 1 17	0 55 1 16	0 53 1 13	0 49 1 8	0 49 1 5	0 48 1 3	0 47 1 2	0 46 1 1	0 48 1 3	0 49 1 4	0 50 1 5	0 51 1 7	0 52 1 8
	15 18	1 37 2 2	1 36 1 59	1 33 1 53	1 26 1 46	1 22 1 40	1 19 1 35	1 17 1 33	1 16 1 32	1 18 1 33	1 19 1 34	1 20 1 37	1 22 1 39	1 24 1 40
	3 6	0 19 0 38	0 18 0 37	0 18 0 36	0 17 0 35	0 17 0 33	0 17 0 32	0 16 0 31	0 16 0 31	0 16 0 32	0 17 0 33	0 18 0 34	0 19 0 35	0 19 0 36
39	9 12	0 58 1 19	0 56 1 17	0 54 1 16	0 51 1 10	0 50 1 6	0 49 1 4	0 48 1 3	0 47 1 2	0 48 1 4	0 50 1 5	0 51 1 7	0 52 1 8	0 52 1 8
	15 18	1 39 2 5	1 38 2 3	1 34 1 56	1 28 1 49	1 24 1 42	1 20 1 37	1 18 1 35	1 17 1 34	1 19 1 35	1 20 1 36	1 22 1 39	1 25 1 41	1 26 1 42
		30.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.
				♊		♉		♈		♓		♒		♑

TABELLA CREPVSCVLORVM,

Quæ continet ſectiones Crepuſculi in ſex Parallelis ad eleuationes Poli in prima columna poſitas.

Eleuationes Poli gr.	Parallel. Crepuſc. gr.	♋		♌		♍		♎		♏		♐		
		0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	30.
		h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.
	3	0 19	0 18	0 18	0 17	0 17	0 17	0 16	0 16	0 17	0 18	0 18	0 19	0 19
	6	0 39	0 37	0 36	0 35	0 34	0 33	0 32	0 32	0 32	0 34	0 35	0 36	0 36
	9	1 0	0 57	0 55	0 53	0 50	0 49	0 48	0 48	0 48	0 50	0 52	0 53	0 53
40	12	1 20	0 18	1 15	1 12	1 8	1 5	1 4	1 3	1 4	1 6	1 9	1 10	1 10
	15	1 43	1 40	1 35	1 30	1 25	1 21	1 20	1 19	1 20	1 22	1 24	1 27	1 28
	18	2 9	2 6	1 59	1 51	1 43	1 38	1 36	1 35	1 36	1 38	1 41	1 42	1 43
	3	0 20	0 19	0 19	0 18	0 17	0 17	0 17	0 17	0 17	0 18	0 19	0 19	0 20
	6	0 40	0 38	0 37	0 36	0 35	0 34	0 33	0 32	0 33	0 34	0 36	0 37	0 37
41	9	1 1	0 59	0 57	0 55	0 51	0 50	0 49	0 49	0 49	0 51	0 53	0 54	0 54
	12	1 22	1 20	1 17	1 13	1 10	1 6	1 5	1 4	1 5	1 7	1 10	1 11	1 12
	15	1 46	1 43	1 38	1 33	1 27	1 23	1 21	1 20	1 21	1 23	1 25	1 28	1 29
	18	2 14	2 11	2 3	1 53	1 46	1 40	1 37	1 36	1 37	1 40	1 43	1 44	1 45
	3	0 20	0 19	0 19	0 18	0 17	0 17	0 17	0 17	0 17	0 18	0 19	0 19	0 20
	6	0 40	0 39	0 38	0 36	0 35	0 34	0 33	0 32	0 33	0 34	0 37	0 37	0 37
42	9	1 2	1 1	0 58	0 56	0 52	0 51	0 50	0 49	0 50	0 52	0 54	0 55	0 56
	12	1 24	1 22	1 19	1 14	1 11	1 7	1 5	1 4	1 6	1 8	1 10	1 12	1 13
	15	1 50	1 47	1 41	1 35	1 30	1 25	1 22	1 21	1 22	1 25	1 27	1 29	1 30
	18	2 18	2 15	2 6	1 56	1 48	1 42	1 38	1 37	1 38	1 41	1 44	1 46	1 47
	3	0 21	0 20	0 20	0 19	0 18	0 18	0 18	0 17	0 18	0 18	0 19	0 20	0 20
	6	0 42	0 41	0 39	0 38	0 36	0 35	0 34	0 33	0 34	0 35	0 37	0 38	0 38
43	9	1 4	1 3	1 0	0 57	0 53	0 52	0 51	0 50	0 51	0 53	0 55	0 56	0 57
	12	1 27	1 26	1 21	1 16	1 12	1 9	1 7	1 6	1 7	1 10	1 12	1 14	1 15
	15	1 54	1 51	1 44	1 37	1 31	1 27	1 24	1 23	1 24	1 27	1 29	1 30	1 32
	18	2 24	2 20	2 11	1 59	1 50	1 44	1 40	1 39	1 40	1 43	1 46	1 48	1 49
		30.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.
				♊		♉		♈		♓		♒		♑

TABELLA CREPVSCVLORVM,

Quæ continet ſectiones Crepuſculi in ſex Parallelis ad eleuationes Poli in prima columna poſitas.

Eleuationes Poli gr.	Parallel. Crepusc. gr.	♋		♌		♍		♎		♏		♐		
		0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	30.
		h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.
44	3	0 21	0 21	0 20	0 19	0 18	0 18	0 18	0 17	0 18	0 18	0 19	0 20	0 20
	6	0 43	0 42	0 40	0 37	0 36	0 35	0 34	0 33	0 35	0 36	0 37	0 38	0 39
	9	1 5	1 5	1 2	0 57	0 53	0 52	0 51	0 51	0 52	0 54	0 56	0 57	0 58
	12	1 30	1 29	1 22	1 17	1 15	1 10	1 8	1 7	1 8	1 11	1 13	1 15	1 16
	15	1 58	1 55	1 47	1 38	1 32	1 28	1 25	1 24	1 25	1 28	1 30	1 31	1 33
	18	2 32	2 27	2 15	2 2	1 52	1 46	[illegible]	1 41	1 42	1 45	1 48	1 50	1 51
45	3	0 22	0 22	0 21	0 20	0 19	0 18	0 18	0 18	0 18	0 19	0 20	0 21	0 21
	6	0 44	0 43	0 41	0 38	0 36	0 35	0 34	0 34	0 35	0 36	0 38	0 39	0 40
	9	1 7	1 6	1 3	0 59	0 55	0 53	0 52	0 51	0 52	0 54	0 57	0 58	0 59
	12	1 34	1 32	1 25	1 19	1 14	1 11	1 9	1 8	1 9	1 12	1 14	1 16	1 17
	15	2 3	2 0	1 50	1 41	1 34	1 29	1 26	1 25	1 27	1 29	1 32	1 34	1 35
	18	2 39	2 34	2 29	2 5	1 55	1 45	1 44	1 42	1 43	1 46	1 50	1 53	1 54
46	3	0 22	0 22	0 21	0 20	0 19	0 18	0 18	0 18	0 18	0 19	0 20	0 21	0 21
	6	0 45	0 44	0 42	0 40	0 37	0 36	0 35	0 35	0 36	0 37	0 39	0 40	0 41
	9	1 9	1 8	1 4	1 1	0 57	0 55	0 53	0 52	0 53	0 55	0 58	1 0	1 0
	12	1 37	1 35	1 28	1 22	1 16	1 12	1 10	1 9	1 11	1 13	1 16	1 18	1 19
	15	2 9	2 6	1 54	1 45	1 37	1 31	1 28	1 26	1 28	1 30	1 34	1 37	1 38
	18	2 49	2 41	2 26	2 10	1 58	1 51	1 46	1 44	1 45	1 48	1 52	1 55	1 56
47	3	0 23	0 23	0 22	0 21	0 20	0 19	0 19	0 18	0 18	0 19	0 21	0 22	0 22
	6	0 46	0 45	0 43	0 41	0 38	0 37	0 36	0 36	0 37	0 38	0 40	0 42	0 42
	9	1 11	1 10	1 6	1 2	0 58	0 56	0 54	0 53	0 54	0 56	0 59	1 1	1 2
	12	1 40	1 38	1 31	1 24	1 18	1 13	1 11	1 10	1 12	1 14	1 7	1 20	1 21
	5	2 15	2 11	1 58	1 48	1 39	1 33	1 30	1 28	1 29	1 32	1 36	1 39	1 40
	8	3 4	2 52	2 32	2 14	2 1	1 53	1 48	1 46	1 47	1 49	1 53	1 56	1 58
		30.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.
				♊		♉		♈		♓		♒		♑

Tabella

TABELLA CREPVSCVLORVM,

Quæ continet sectiones Crepusculi in sex Parallelis ad eleuationes Poli in prima columna positas.

Eleuationes Poli gr.	Parallel. Crepusc. gr.	♋		♌		♍		♎		♏		♐		
		0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	30.
		h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.
	3	0 23	0 23	0 22	0 21	0 20	0 19	0 19	0 18	0 19	0 20	0 22	0 23	0 23
	6	0 47	0 46	0 43	0 42	0 39	0 38	0 37	0 36	0 37	0 38	0 41	0 43	0 43
48	9	1 14	1 13	1 8	1 4	0 59	0 57	0 55	0 54	0 55	0 57	1 1	1 13	1 3
	12	1 44	1 42	1 34	1 26	1 20	1 15	1 13	1 12	1 13	1 16	1 19	1 22	1 23
	15	2 23	2 17	2 3	1 52	1 42	1 35	1 32	1 30	1 31	1 34	1 38	1 41	1 42
	18	3 30	3 8	2 40	2 20	2 4	1 56	1 52	1 48	1 49	1 52	1 56	2 0	2 1
	3	0 24	0 24	0 23	0 22	0 21	0 20	0 19	0 19	0 20	0 21	0 23	0 24	0 24
	6	0 49	0 48	0 45	0 43	0 40	0 39	0 38	0 37	0 38	0 39	0 42	0 44	0 45
49	9	1 18	1 17	1 11	1 6	1 0	0 58	0 56	0 55	0 57	0 59	1 2	1 4	1 5
	12	1 53	1 47	1 37	1 28	1 21	1 17	1 14	1 13	1 15	1 18	1 21	1 24	1 25
	15	2 33	2 24	2 10	1 55	1 44	1 37	1 34	1 32	1 34	1 36	1 40	1 43	1 44
	18	4 0	3 35	2 50	2 25	2 8	1 58	1 52	1 50	1 51	1 74	1 58	2 2	2 3
	3	0 25	0 25	0 23	0 22	0 21	0 20	0 19	0 19	0 20	0 21	0 23	0 24	0 24
	6	0 51	0 50	0 48	0 45	0 42	0 39	0 38	0 38	0 39	0 40	0 42	0 44	0 45
50	9	1 22	1 20	1 14	1 8	1 2	0 59	0 57	0 57	0 59	1 1	1 4	1 6	1 7
	12	1 59	1 54	1 42	1 32	1 23	1 19	1 16	1 15	1 17	1 20	1 23	1 26	1 27
	15	2 46	2 37	2 18	2 0	1 46	1 39	1 36	1 34	1 36	1 38	1 42	2 45	1 47
	18			3 6	2 32	2 12	2 2	1 56	1 53	1 55	1 57	2 0	2 5	2 7
	3	0 26	0 26	0 24	0 23	0 21	0 20	0 20	0 21	0 21	0 22	0 23	0 25	0 25
	6	0 54	0 52	0 49	0 46	0 43	0 39	0 39	0 39	0 40	0 4	0 43	0 46	0 57
51	9	1 25	1 23	1 17	1 10	1 4	1 0	0 58	0 59	1 0	1 2	1 5	1 8	1 9
	12	2 6	2 0	1 47	1 35	1 26	1 20	1 17	1 16	1 18	1 21	2 25	1 29	1 30
	15	3 13	2 50	2 24	2 4	1 49	1 41	1 38	1 36	1 37	1 40	1 45	1 48	1 50
	18			3 23	2 39	2 17	2 4	1 58	1 55	1 56	1 59	2 4	2 8	2 10
		30.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.
				♊		♉		♈		♓		♒		♑

Tabella

TABELLA CREPVSCVLORVM,

Quæ continet ſectiones Crepuſculi in ſex Parallelis ad eleuationes Poli in prima columna poſitas.

Eleuationes Poli gr.	Parallel. Crepuſc. gr.	♋		♌		♍		♎		♏		♐		
		0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	30.
		h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.
52	3 6	0 27 1 0	0 27 0 54	0 25 0 51	0 23 0 47	0 21 0 43	0 21 0 39	0 20 0 40	0 21 0 39	0 21 0 40	0 22 0 42	0 24 0 45	0 26 0 49	0 27 0 49
	9 12	1 32 2 4	1 27 2 7	1 20 1 53	1 12 1 39	1 6 1 29	1 1 1 22	1 0 1 19	0 59 1 18	1 1 1 20	1 3 1 23	1 6 1 27	1 11 1 32	1 12 1 33
	15 18		3 19	2 35	2 10 2 49	1 54 2 22	1 44 2 8	1 40 2 1	1 38 1 58	1 39 1 59	1 42 2 2	1 48 2 7	1 51 2 13	1 54 2 15
53	3 6	0 28 1 1	0 28 0 57	0 26 0 53	0 24 0 48	0 22 0 44	0 21 0 41	0 21 0 41	0 22 0 40	0 22 0 41	0 23 0 43	0 25 0 47	0 26 0 50	0 28 0 51
	9 12	1 36 2 29	1 32 2 17	1 23 2 0	1 14 1 42	1 8 1 32	1 2 1 24	1 1 1 22	1 1 1 20	1 2 1 22	1 5 1 25	1 9 1 30	1 13 1 34	1 14 1 36
	15 18		3 28	2 48	2 16 3 0	1 57 2 27	1 47 2 11	1 42 2 4	1 40 2 1	1 41 2 2	1 45 2 5	1 51 2 10	1 54 2 15	1 58 2 19
54	3 6	0 29 1 2	0 29 1 0	0 28 0 55	0 25 0 50	0 22 0 45	0 21 0 43	0 21 0 42	0 22 0 42	0 22 0 43	0 23 0 45	0 26 0 49	0 27 0 51	0 29 0 53
	9 12	1 44 2 54	1 39 2 31	1 28 2 7	1 18 1 47	1 10 1 35	1 4 1 26	1 3 1 24	1 3 1 23	1 4 1 24	1 7 1 28	1 12 1 33	1 15 1 37	1 17 1 40
	15 18			3 10	2 24 3 15	2 2 2 33	1 50 2 14	1 45 2 8	1 43 2 4	1 44 2 5	1 48 2 8	1 54 2 15	1 58 2 18	2 2 2 23
55	3 6	0 31 1 5	0 30 1 3	0 29 0 58	0 26 0 51	0 23 0 47	0 22 0 44	0 22 0 43	0 22 0 43	0 23 0 44	0 24 0 46	0 27 0 50	0 29 0 53	0 30 0 55
	9 12	1 55	1 47 3 0	1 33 2 17	1 20 1 52	1 12 1 38	1 6 1 28	1 4 1 26	1 4 1 24	1 5 1 26	1 9 1 30	1 14 1 35	1 18 1 40	1 20 1 43
	15 8			3 53	2 32 3 41	2 17 2 41	1 54 2 19	1 47 2 11	1 45 2 6	1 47 2 8	1 51 2 12	1 57 2 18	2 2 2 24	2 5 2 27
		30.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.
				♊		♉		♈		♓		♒		♑

TABELLA CREPVSCVLORVM,

Quæ continet ſectiones Crepuſculi in ſex Parallelis ad eleuationes Poli in prima columna poſitas.

Eleuationes Poli gr.	Parallel. Crepuſc. gr.	♋		♌		♍		♎		♏		♐		
		0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	30.
		h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.	h.m.
56	3	0 33	0 32	0 29	0 26	0 24	0 23	0 22	0 22	0 23	0 26	0 28	0 30	0 31
	6	1 11	1 9	1 1	0 53	0 49	0 45	0 44	0 43	0 45	0 48	0 52	0 56	0 57
	9	2 6	1 57	1 39	1 23	1 16	1 9	1 6	1 5	1 7	1 11	1 16	1 22	1 24
	12			2 30	1 59	1 42	1 33	1 28	1 26	1 28	1 33	1 39	1 45	1 47
	15				2 43	2 13	1 58	1 51	1 48	1 50	1 55	2 0	2 8	2 9
	18					2 50	2 26	2 15	2 9	2 12	2 17	2 23	2 31	2 32
57	3	0 35	0 34	0 30	0 27	0 25	0 24	0 23	0 23	0 24	0 27	0 29	0 31	0 32
	6	1 19	1 14	1 4	0 55	0 50	0 46	0 45	0 44	0 46	0 50	0 54	0 58	0 59
	9	2 33	2 13	1 46	1 28	1 18	1 11	1 8	1 7	1 9	1 13	1 19	1 24	1 26
	12			2 53	2 6	1 46	1 35	1 30	1 28	1 31	1 36	1 42	1 48	1 50
	15				2 59	2 18	2 1	1 54	1 51	1 53	1 58	2 4	2 12	2 13
	18					3 0	2 31	2 19	2 13	2 15	2 20	2 27	2 35	2 37
58	3	0 39	0 37	0 32	0 28	0 25	0 24	0 24	0 23	0 25	0 27	0 29	0 31	0 32
	6	1 27	1 21	1 8	0 58	0 51	0 48	0 46	0 46	0 48	0 52	0 56	1 0	1 1
	9		2 39	1 55	1 34	1 20	1 13	1 10	1 9	1 12	1 16	1 22	1 27	1 29
	12				2 15	1 50	1 38	1 33	1 31	1 34	1 39	1 46	1 52	1 54
	15					2 25	2 4	1 58	1 54	1 56	2 2	2 9	2 16	2 19
	18					3 11	2 37	2 24	2 18	2 19	2 25	2 33	2 40	2 44
59	3	0 43	0 40	0 33	0 30	0 26	0 25	0 24	0 24	0 26	0 29	0 32	0 33	0 34
	6	1 37	1 29	1 13	1 1	0 55	0 50	0 48	0 47	0 49	0 54	1 0	1 3	1 3
	9			2 9	1 39	1 24	1 16	1 12	1 11	1 14	1 19	1 26	1 31	1 33
	12				2 25	1 56	1 43	1 36	1 33	1 36	1 42	1 51	1 57	1 59
	15					2 34	2 11	2 1	1 57	2 0	2 6	2 15	2 21	2 24
	18					3 32	2 44	2 29	2 21	2 23	2 30	2 39	2 46	2 50
		30.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.	15.	0.
				♊		♉		♈		♓		♒		♑

CANON. VI.

Solem in spacio noctis obscuro repertum ad familiaritates omnes dirigere.

SI Sol non distat ab imo plus, quàm, 5. partibus circiter, siuè vltra, siuè citra, supputatio fit sicut supra *Canone I.* Si verò distat magis; primo subtrahe arcum Crepusculi Solis ab eius arcu seminocturno, & remanebit eiusdem arcus seminocturnus obscurus; & sume distantiam Solis ab imo. Deinde subtrahe arcum Crepusculi loci occurrentis, ab eius arcu seminocturno; acceptis arcubus in Ecliptica semper absq; latitudine, siuè sit in coniunctio, siuè radius, & siuè Parallelus, definitus tamen in Ecliptica modo supradicto; & remanebit arcus seminocturnus obscurus loci occurrentis, item eiusdem loci sume distantiam ab imo, quam primariam voco. Tandem quære, si arcus obscurus Solis dat eius distantiam ab imo, quam distantiam dabit arcus obscurus loci occurrentis? Produc secundum, & tertium numerum, & productum diuide per primum; & quod prouenit est distantia secundaria loci occurrentis, quam detrahe à primaria quando Sol est in quarta orientali &c: sicut supra dictum est. Vt *in sexto Exemplo*, sit dirigendus Sol ad sextilē Martis in Zodiaco.

Solis.		
Ascensio recta	p.	348. 39.
Distantia ab imo	p.	63. 48.
Arcus seminoctur.	hor.	6. 17.
Arcus Crepusculi	hor.	1. 37.
Et remanet arc. obscurus	hor.	4. 40.
Partis 18. 28. Arietis.		
Ascensio recta	p.	17. 3.
Distantia ab imo prim.	p.	92. 12.
Arcus seminocturnus	hor.	9. 34.
Arcus Crepusculi	hor.	1. 36.
Arcus obscurus	hor.	3. 58.

Quæro nunc si arcus obscurus Solis hor. 4 40. dat eius distantiam ab imo p. 63. 48. quam distantiam dabit arcus obscurus loci occurrentis, qui est hor. 3. 58? multiplico secundum, & tertium numerum, & productum diuido per primum, & emergit distantia secundaria loci occurrentis p 54. 14. Cum verò Sol sit in quarta orientali, detraho hanc distantiam à primaria, & remanet arcus Directionis p. 37. 58.

CANON. VII.

Prorogatorem quemlibet ex Astris cum latitudine incedentem, vbicunq; reperiatur ad congressum, & radios dirigere.

SOl perpetuò deambulat per Eclipticam, ideò ipsum super eam dirigo: cætera verò Sidera remouentur ab Ecliptica, & modò magis, modò minus: Quare vnumquodq; super suam veram, & realem viam, quæcunq; sit dirigo. Duo igitur postulat hic *Canon.* 1. definire locum occursus secundum longum,

& latum; deinde supputare motum ad familiaritates: hoc posterius fit sicut dictum est de Sole: nam in angulis rectis per ascensiones rectas, in obliquis per obliquas, in alijs locis per horaria tempora, vel arcus semidiurnos, & seminocturnos &c: eodem prorsus modo, in omnibus locis, sicut de Sole dixi: Nisi quod sub terra non obseruantur Crepuscula, neq; arcus obscuri, sed tantùm arcus seminocturni, siuè horaria tempora &c: Nam præter Solem nemo affert lucem Crepusculi, nisi fortè Luna, sed exiguam, & quæ nullam, vel omninò modicam differentiam in supputationibus afferre potest.

Locum occursus ita definies: secundum longum nihil variat à consuetis radijs, nisi velis obseruare modicam illam differẽtiam à *Regiomontano* positam, quæ penè insensibilis est, & potest absolutè negligi: secundum verò latum sic; quære latitudinem, quam obtinet Prorogator in loco longitudinis occurrentis; & habebis locum occursus definitum in longum, & latum: Et caue quòd omne Sidus, præter Solem, variat successiuè semper latitudinem, prout mouetur per longũ, volo autem, vt sumatur latitudo illa, quam acquirit Prorogator ex reali motu. Vt *in vndecimo Exemplo* Luna dum vadit ad oppositionem Martis, quando est in p. 15.58. Virginis obtinet latitudinem borealem p. 2. 41. ibi enim distat à capite Draconis à quo discedit gr. 32. 35. In trino Solis iuxtà p. 2. 50. Libræ habet lat. p. 3. 48. In coniunctione Iouis p. 4. 31. borealem semper &c: Horum igitur locorum secundum longum, & latum accipiendæ sunt ascensiones rectæ, vel obliquæ, distantiæ à circulo recto, horaria tempora, vel arcus semidiurni, & seminocturni &c: Directiones autem supputantur sicut dictum est supra, & exemplis ostensum. Et sicut exemplum dedi Lunæ, ita contingit de cæteris Astris, & parte Fortunæ, quæ latitudinem seruat, prout distat à capite, & cauda Draconis, tanquam si esset ipsa Luna.

Ad proprios radios in singulis casibus Prorogatores diriguntur sicut si locus Prorogatoris esset Promissor: etenim tunc euadit Promissor.

CANON VIII.

Prorogatorem cum latitudine incedentem vbicunq; reperiatur ad Parallelos dirigere.

DVo hic quoq; *Canon* postulat, primum definire locum occursus secundum longum, & latum; Deinde supputationem motus: Supputatio eisdem prorsus modis fit sicut supra: locus verò sic definitur: Et in primis ad calcem cuiuuis natalitij Thematis poni debent Declinationes omnium Planetarum; etenim Paralleli sunt ipsæ Declinationes. *Secundò*, obseruandi sunt Prorogatores an augeant, an minuant Declinationem, si augent impingunt in Parallelos maiorem Declinationem habentium; si minuunt in habentium minorem: tunc ingredere corpus Tabulæ Declinationum, & incipiens à Declinatione Prorogatoris à loco eius longitudinis, & latitudinis progredere secundum verũ motum Prorogatoris, vel ascendendo, vel descendendo, & serua latitudinem, quam ipse vere, & realiter seruat dum mouetur post horam natalis, & vbi incideris in Declinationem alicuius planetæ ibi esset locus Paralleli illius planetę; sume igitur longitudinem, & latitudinẽ illam, tanquam si esset aliquod Sidus;

deinde

deinde eius aſcenſionem rectam, vel obliquam, diſtantiam à culmine, horaria tempora, arcum ſemidiurnum, vel ſeminocturnum &c: ſicut ſupra dictum eſt. Vt *in vndecimo exemplo* Luna habet Declinationem borealem p. 13. 30. quam diminuit, quia deſcendit à Tropico Cancri ad Libram, ergo aliquando incidit in Declinationem, ſeù Parallelum Iouis, Veneris, & Martis, qui minorem habent Declinationem. Ingredior corpus Tabulæ Declinationum, iuxtà p. 28. Leonis ſub columna gr. 1. latitudinis Sep. vnde ſumpta eſt Declinatio Lunæ: inde tranſeo ad ſignum Virginis ſub columna latitudinis gr. 2. Poſtea circa gr. 20. Virginis ſub columna latit. gr. 3. nam quia ibi Luna diſtat à capite Draconis p. 37. habet latit. p. 3. ſeptent. Cum verò ibidem obtineat Declinationem Borealem p. 6. 44. reperit Parallelum imperantem Veneri, cuius Declinatio eſt p. 6. 50. Merid. Rurſus in p. 23. ferè Virginis, vbi cum latitudine p. 3. 13. acquirit Declinationem Martis p. 5. 54. Tandem in p. 24. ferè inuenit Parallelũ, ſeù Declinationem Iouis, quæ eſt p. 5. 31. Subinde Luna poſt multa tempora tranſit ad Declinationem Auſtralem circa p. 10. Libræ, vbi habet latitudinem meridionalem p. 4. & quia inde incipit augere Declinationem futurum eſt, vt denuò incidat in Parallellos eorumdem non tamen amplius imperantes, ſed eiuſdem potentiæ; & primo applicat Parallelo Iouis, iuxta p. 23. Libræ cum lat. Sept. p. 4. 40. inde in Parallelum Martis, tandem Veneris. Loca autem horum Parallelorum ſumenda ſunt exquiſitè ſecundum longum, & latum, & ſeruata etiam differentia Parallaxis, propter rationes capitis 4. *lib.* 1. quas attuli: Horum verò locorum accipe aſcenſionem rectam, vel obliquam, diſtantiam à circulo recto, horaria tempora, vel arcum ſemid. & ſemin. &c. ſicut dictum eſt, tanquam ſi hæc loca Parallelorum in longum, & latum ſumpta, eſſent Sidera.

CANON IX.

Adæquare Directionis Arcum ad accipiendos Annos, & Menſes effectuum.

Directionis arcum adde aſcenſioni rectæ Solis; ſummam require in corpore Tabulæ aſcenſionum rectarum ſub columna Eclipticæ; & vbi inueneris accipe gradum Signi cum ſuis minutis a tergo inuentum, & correſpondentem ſummæ illi aſcenſionis rectæ: poſtea in Ephemeridibus ſecundorum mobilium numera quot diebus, & horis Sol ab hora natalis peruenit ad illum gradum, & minutum Signi: quot enim diebus tot annos ſignificat, quot binis æquinoctialibus horis tot menſes. Ad hanc rem adſunt duodecim Exemplaria in fine.

CANON X.

Directionem Secundariam ſupputare.

Nomine Directionis Secundariæ quid intelligam, quomodo differat a Primaria, & de eius efficacia *iam dixi cap.* 8. Obſeruandæ ſunt igitur Luminarium cum cæteris Aſtris familiaritates, quæ in Zodiaco accidunt diebus ſubſequentibus ipſam Geneſim; quibus fit præordinatio vitalis caloris, cum ſuis coeffectibus, ſupputando tẽpora à ſingulis diebus poſt natalem ad ſingulos annos

annos vitæ; quot enim diebus, & binis æquinoctialibus horis contingunt post natalem, tot annis, & mensibus post eamdem suos effectus habent, videlicet augendi, vel minuendi decreta primariæ Directionis &c: Et Luna, sicut creberrimæ docent experientiæ, in annis climactericis, seù dicam criticis valde pollet: etenim quibus diebus post natalem ipsa efficit, vel quadratum, vel oppositionem, vel etiam coniunctionem cum loco suo natalis prædordinat crisim futuram illo anno climacterico; in quo si contingat Directio hostilis aliqua Prorogatoris vitæ, discrimina eidem vitæ minatur, sicut ostendi *in quadraginta Exemplis*, quæ iam pridem *ex Argolo*, & *in septem*, quæ ex *Magino* desumpsi ad mearum rerum comprobationem. Ad cognoscendam verò diem, & horam, ad quam deuoluta sit Directio secundaria in quolibet anno, & mense nati; horis diei natalis addendi sunt tot dies, quot anni transierunt ætatis: & tot binæ temporales horæ, quot menses, & quò peruenerimus, ibi subsistit Directio secundaria: *Vt in quinto Exemplo*, infra posito, quod ex *Argolo* retuli: obijt Cardinalis ille die 21. Septemb. 1631. ætatis anno 67. & diebus 23. Quapropter horis diei natalis addo dies 67. & horam vnam cum dimidio, & peruenio ad diem 24. Octobris vna hora ferè ante meridiem: Vbi Sol est in Parallelo Saturni, & obediente, eamdem enim habent Declinationem quoad numerum quidem, sed quoad nomen diuersam, quia Saturnus declinat ad Boream, quare imperat, Sol verò ad Austrum, vnde obedit: Peruenit quoq; Sol ad quadratum Saturni natalis: Luna ad p. 11. Cancri, quam proximè applicans ad oppositionem sui loci natalis; ideoq; criticum tempus, annumq; climactericum attulerat.

CANON XI.

Progressiones supputare.

PRogressiones, siuè dicamus Processus æquales more solito secundum communem hucusq; sententiam, & vsum assumptas esse fictitias, impossibiles, & citra naturam iam satis ratione demonstraui in quæstionibus, modus verò quem ego naturalem esse puto, & comprobaui *quadragintaseptem Exemplis ex Magino, & Argolo*, desumptis, oritur ex integris lunationibus Embolismicis post natalem, quarum singulæ fiunt spatio 29. dierum, in quibus Luna erga nostrum intuitum representat omnem suam faciem, & à Sole distantiam, quam potest habere, & redit ad eandem, quam habebat ab initio, vnde discesserat, quo circuitu lustrat tredecim signia, & Sol vnum signum ferè. Processus ergo ab his luminarium motibus secundum meam sententiam ortum habent: nam prima post genesim lunatio metitur Progressionem primi anni nati, secunda Progressionem secundi anni, tertia tertij &c. ita tamen, vt partes quoq; vniuscuiusq; anni, primæ primas, mediæ medias &c:

Ad supputandas verò Progressiones, & cognoscendum quò peruenerint, numerandæ sunt tot huiusmodi lunationes Embolismicæ post natalem quot anni transierunt ætatis nati, ponendo semper Lunam in ea facie, & distantia à Sole, quam habet in natali; tandem pro quolibet insuper mense ætatis, addendi sunt ad locum Lunæ gradus 32.30. qui sunt duodecima pars vnius lunationis. Quod

si ad

si ad multos annos expeditè velis supputare Progressiones, caue quòd Luna non complet 12. lunationes in vno integro anno, sed 11. diebus minus: Igitur habeas distantiam Lunæ à Sole in natali, hanc require 11. diebus ante finem primi anni nati, & vbi inueneris, ibi complentur Progressiones 12 annorum, similiter 22. diebus ante finem secundi anni complentur Progressiones 24. annorum &c: Inde progredere à singulis lunationibus ad singulos annos ætatis, & a singulis signis cum gr. 2. 30. motus Lunæ ad singulos menses ætatis &c:

Vbicunq; autem luminaria feliciter afficiuntur, tàm in ipsis Progressionibus, quàm erga loca beneficarum natalis, conferunt ad felicitatem, è contra &c: Vt *in eodem quinto Exemplo* in fine posito, volo supputare quò peruenerint Progressiones in annis 67. & diebus 23. Luna in natali distat à Sole signis quatuor, & gr. 10. pertransijt enim primum trinum, & gr. 10. à Sole: Anno sequenti 1565. die 7. Augusti Luna complet 24. lunationes Embolismicas, ibi enim distat à Sole signis 4. & gr. 10. anno 1566. die 27. Iulij complet 24. anno 1567. die 16. Iulij complet 36. anno 1568. die 4. Iulij 48. anno 1569. die 24. Iunij 60. Hinc à singulis mensibus vsq; ad 67. tandem peruenio ad diem 17. Ianuarij 1570. vbi Luna ponitur in gr. 18. Geminorum, & Sol in p. 8. Aquarij. Pro 23. diebus insuper ætatis addendi sunt ad locum Lunæ gradus 25. & ponitur Luna in gr 13. Cancri, Sol verò in gr. 10. Aquarij in partili scilicet oppositione Saturni natalis, & Luna in eodem loco critico secundariæ Directionis: *sicut supputaui superiori Canone*.

CANON XII.

Ingressuum consensus accipere.

IAm dixi in quæst. quòd Ingressus, quidam actiui sunt, quidam passiui: Actiui sunt familiaritates actiuorum siderum, vniuersali quotidiano motu acquisitæ cum locis Directionis primariæ, & secundariæ, & Processus Prorogatorum. Passiui sunt familiaritates Prorogatorum vniuersalium toti Mundo cum actiuis Astris Directionis, & Processu. Huiusmodi autem Ingressus, siuè beneficarum ad loca motuum Prorogatorum, siuè Prorogatorum vniuersaliū ad loca motuum beneficarum, idest tam actiui, quàm passiui prosunt: maleficarum autem eisdem modis obsunt. Vt *in eodem quinto Exemplo*, die mortis Saturnus a gr. 14. Scorpionis ingressus est ad locum secundariæ Directionis Solis, & ad quadratum Processus eiusdem: & Mars paucis diebus ante mortem ingressus est ad locum secundariæ Directionis, & Processus Lunæ, qui erat locus criticus: hi autem sunt ingressus actiui. Viceuersa Sol aliquot diebus ante mortē ingressus fuit ad quadratum Martis Progressionum. Luna die obitus ad quadratum Martis Directionis secundariæ, & hi sunt Ingressus passiui. Qua verò ratione, & naturali fundamento distinguantur, & conferant huiusmodi Ingressus in quæstionibus dictum est.

CANON XIII.

Transituum consensus accipere.

TRansitus quoq; sicut supra dixi alij actiui sunt, alij passiui: actiui sunt familiaritates actiuorum siderum motu vniuersali quotidiano acquisitæ

cum

cum Prorogatoribus natalis, ideſt cum eorum locis immobilibus: Tranſitus paſſiui ſunt familiaritates Prorogatorum vniuerſalium toti Mundo cum actiuis Aſtris natalis, ideſt cum eorum locis immobilibus: Adeout in hoc differant Ingreſſus à Trãſitibus, quod Ingreſſus aſpiciunt loca motuum mobilium; Tranſitus verò reſpiciunt loca fixa natalis. *Vt in eodem quinto Exemplo*, paucis diebus ante obitum, Mars pertranſijt in oppoſitione Lunæ radicis; deinde in quadrato horoſcopi à loco Culminis, ideſt à gr. 14. & 23. Cancri, & hi ſunt Tranſitus actiui. Item paucis diebus ante obitum Sol pertranſijt ſuper Martem natalis, ideſt ſuper gr. 20. Virginis; & Luna die mortis applicuit Saturno, iuxta gr. priores Leonis, & hi ſunt Tranſitus paſſiui.

Praxis arithmetica motus Directionis ad familiaritates in Mundo.

CAPVT QVINTVMDECIMVM.

Cauendum eſt, quod & ſæpe dixi, Directionis motum eſſe duplicem, rectum, & conuerſum: motus Directionis rectus à *Ptolemæo* dicitur *Actinobolius*; ideſt ſecundum ſucceſſionem Signorum; & ita fit, vt Prorogatores permaneant immobiles in Mundo, ideſt in ſuis circulis horarijs poſitionis; moueantur verò contra primum Mobile ad partes eius orientaliores. Hoc autem motu duo genera familiaritatum accidunt in Zodiaco, & in Mundo. Motus Directionis conuerſus à *Ptolemæo* dicitur motus horarius, & fit à Prorogatoribus circa Mundum ad circulos horarios occurſantium: Et in hoc motu vnum tantum genus familiaritatum fit, ideſt in Mundo. Quapropter ſequitur, vt in hoc capite de duplici Directionis motu ſit agendũ, recto, & conuerſo: in vtroq; enim contingunt familiaritates in Mundo. In ſingulis ergo titulis Canonum huius capitis intellige familiaritates in Mundo, & nullo modo in Zodiaco, de his enim iam dictum eſt.

De Directione Recta.

CANON I.

Culmen ad coniunctionem, & oppoſitionem Siderum dirigere.

Ad coniunctionem: ſume aſcenſionem rectam Sideris occurſantis ſeruata eius latitudine, ſi quam habet, à qua detrahe aſcenſionem rectam Culminis, & reſiduum eſt Directionis arcus. Ad oppoſitionem: ſume aſcenſionem rectam loci oppoſiti Sideris cum latitudine contraria Sideris, à qua detrahe aſcenſionem rectam Culminis: Aut ab aſcenſione recta Sideris detrahe aſcenſionem rectam Imi, & prouenit arcus Directionis quæſitus. Non opus hic exemplo.

Canon

CANON II.

Horoscopum ad coniunctionem, & oppositionem Siderum dirigere.

AD coniunctionem: Sume ascensionem obliquam Sideris occursantis, seruata eiusdem latitudine, ad eleuationem Poli regionis: à qua detrahe ascensionem obliquam horoscopi, & remanebit Directionis arcus: Ad oppositionem; Sume ascensionem obliquam loci oppositi Sideris, cum latitudine contraria eiusdem: à qua detrahe ascensionem obliquam horoscopi, vt prius. Vt *in nono Exemplo*; Ascensio obliqua Lunæ sumpta cum eius latitud. gr. 5. Mer. ad Polum Romæ est p. 239. 52. à qua detracta ascensione obliqua horoscopi, remanet arcus Directionis p. 46. 8. Ascensio obliqua oppositionis Martis accepta cum latit. Septentr. p. 1. 23., quia latitudo Martis est Merid. est p. 236. 23. à qua detracta ascensione obliqua horoscopi, remanet arcus Directionis p. 42. 38.

CANON III.

Culmen ad medios radios dirigere.

IN primis sciendum est, quòd omnia Sidera, quando sunt in domo octaua, & duodecima; idest quando distant à Culmine duabus ex tribus partibus sui arcus semidiurni, seù quatuor temporalibus horis, habent sextilem ad Culmen: In punctis ortus, & occasus; idest quando distant à Culmine toto arcu semidiurno, habent quadratum: In secunda, & sexta domo; idest quando distant ab Imo duabus ex tribus partibus arcus seminocturni, seù quatuor temporalibus horis, habent trinum ad culmen: Quando distant à Culmine quatuor partibus ex quinq; totius arcus semidiurni, habent quintilem ad Culmen: sicut patet in figura pentagona, quartæ figuræ supposita. Quando distant ab Imo duabus ex quinq; partibus arcus seminocturni, habent biquintilem ad Culmen: Quando distant ab Imo dimidio arcus seminocturni, idest tribus temporalibus horis, habent sesquiquadratum ad Culmen.

Ex his benè perceptis facilè supputabis: nam primò definias ascensionem rectam harum distantiarum sic: Si Planetæ per Directionem ponantur in quartis orientalibus, quæ sunt ab ortu ad meridiem, & ab occasu ad imum, detrahe ab ascensione recta Planetæ partes illas arcus semidiurni, vel seminocturni eiusdem: Inde à residuo subtrahe ascensionem rectam Culminis, si Planeta ponatur supra ortum; vel ascensionem rectam Imi si sub occasum; & residuum est arcus Directionis. Si verò Planetæ ponantur in quartis occidentalibus, partes illæ arcus semidiurni, vel seminocturni addendæ sunt ascensioni rectæ Planetarum, & à summa subtrahenda est ascensio recta Culminis, vel Imi, vt emergat Directionis arcus.

Alio modo, habeas distantiam primariam Sideris à Culmine, vel Imo: inde distantiam secundariam, quæ est a situ loci Directionis: tandem subtrahe distantiam secundariam à primaria, si Planeta ponatur in quarta orientali: è contra subtrahe primariam à secundaria, si sit semper in quarta occidentali; si tandem à quarta orientali transeat ad occidentalem, iunge ambas distantias, sicut

alibi dictum est: & vel residuum, vel summa est arcus Directionis.

Vt *in nono Exemplo* sint supputandi omnes radij ad culmen Iouis,& Martis. Iuppiter primò efficit biquintilem, inde sesquiquadratum, trinum, quintilem, tandem sextilem: Mars è contra primo efficit sextilem, inde quintilem &c.

Iouis.

Ascensio recta	p.243. 20.
Declinatio	p. 20. 19.
Arcus seminocturnus	p.109. 29.
Horaria tempora nocturna	p. 18. 15.
Distantia ab imo primaria	p. 40. 25.
Quinta pars arcus seminocturni	p. 21. 54.

Iuppiter efficit biquintilem ad Culmen, quando distat ab Imo duabus ex quinq; partibus sui arcus seminocturni: Quinta pars geminata dat gr. 43. 48. Et hæc est distantia Iouis ab Imo, quando peruenit ad biquintilem Culminis; quam secundariam voco: ab hac detraho primariam, quia Iuppiter est in quarta occidentali; & remanet arcus Directionis p. 3.23. Siuè addo hanc Iouis distantiam p. 43. 48. ad eius ascensionem rectam, & definio ascensionem rectam Imi expleta Directione p. 287.8. à qua reijcio ascensionem rectam Imi natalis, quæ est p. 283. 45. & remanet idem arcus directionis p. 3. 23.

Sesquiquadratum ad Culmen efficit Iuppiter, quando distat ab Imo tribus temporalibus horis: sunt autem p. 54. 45. & hæc est distantia Iouis ab Imo secundaria: Ab hac igitur detraho distantiam primariam, & fit arcus Directionis p. 14. 20. siuè hanc distantiam secundariam, Iouis addo eius ascensioni rectæ, & fit aggregatum p. 298. 5. à quo reijcio ascensionem rectam Imi natalis, & remanet idem arcus Directionis.

Trinum ad Culmē efficit Iuppiter quando ponitur in centro secundę domus, seù quando distat ab Imo quatuor temporalibus horis: Duco igitur horaria tempora per 4. & fiunt p. 73. o. quæ sunt distantia secundaria Iouis ab Imo, idest quando ponitur in centro secundæ domus: ab hac reijcio primariam; siuè addo ipsam ad ascensionem rectam Iouis,& à summa detraho ascensionem Imi; & efficio arcū Direct. p. 32. 35. Trig. Iouis ad Culmen, qui æquatus dat. an. 35.

Quadratum ad Culmen Iuppiter efficit à puncto orientis: possumus ergo supputare hanc Directionem per ascensiones obliquas horoscopi, & Iouis: deinde subtrahendo distantiam ab Imo primariam Iouis ab eius arcu seminocturno, qui est p. 109. 29. & remanet arcus Directionis p. 69. 4. Hucusq; Iuppiter in quarta occidentali sub terra moratus est: post hac surgit supra horoscopum, & distantiæ à Culmine sunt accipiendæ, & vtendum tempor. horis diurnis &c:

Quintilem efficit quando distat à culmine quatuor è quinq; partibus arcus semidiurni: siuè quando distat ab ortu quinta parte: Pluribus ergo modis possumus supputare hanc Directionem: & primò, addendo quintam arcus semidiurni partem arcui Directionis Iouis ad horoscopum: Secundò, subtrahendo quatuor è quinq; partibus arcus semidiurni Iouis ab eius ascensione recta, & à residuo subtrahendo ascensionem rectam Culminis. Tertiò, subtrahendo distantiam

tantiam Iouis à Culmine secundariam, à primaria. Igitur addo p. 14. 6. ad arcum Directionis Iouis ad horoscopum, & efficio arcum Directionis Iouis ad quintilem culminis p. 83. 10. Siuè, Quater duco p. 14. 6. & efficio p. 56. 24. quæ sunt distantia Iouis secundaria; hanc reijcio ab ascensione recta Iouis, & supersunt p. 186. 56. à quibus reijcio ascensionem rectam Culminis, & remanet idem arcus Directionis p. 83. 11. vel tandem subtraho p. 56. 24. quæ est distantia secundaria Iouis à Culmine, à primaria eiusdem, & remanet idem arcus Directionis p. 83. 11.

Iouis.

Distantia primaria à Culmine	p. 139. 35.
Arcus semidiurnus	p. 70. 31.
Horaria tempora diurna	p. 11. 45.
Quinta pars arcus semidiurni	p. 14. 6.

Tandem Iuppiter efficit sextilem ad Culmen à centro duodecimæ domus, siuè in distantia à Culmine quatuor horarum temporis; siuè in distantia duarum horarum temp. ab horoscopo: supputabis sicut in quintili, & emerget arcus Directionis p. 92. 34.

In supputandis radijs Martis ad Culmen supra terram, vtendum arcu semidiurno, distantijs à Culmine, temporalibus horis diurnis, & subtrahenda est distantia primaria à secundaria: vel addenda est secundaria ad ascensionem rectam, & à summa subtrahenda est ascensio recta Culmine &c: Sub terra vtēdum arcu seminoct. distantia ab imo &c:

CANON IV.

Horoscopum ad medios radios dirigere.

EIsdem prorsus modis sicut supra perficies: nam Sidera in tertia, & vndecima domo, ideſt in distantia ab ortu quatuor horarum temporalium: siuè in distantia à Culmine, vel ab Imo versus ortum duarum horarum temporalium, sunt in sextili ad horoscopum: In Culmine, & Imo sunt in quadrato: In quinta, & nona domo sunt in trino: In distantia quatuor ex quinq; partibus arcus semidiurni supra terram, & seminocturni sub terra, sunt in quintili: In distantia ab ortu nouem horarum temporalium, sunt in sesquiquadrato: In distantia trium ex quinq; partibus arcus semidiurni à Culmine, & ab Imo versus occasum, sunt in biquintili &c: His benè perceptis facile supputabis, & pluribus modis, ideſt ascensionibus rectis Culminis, & Imi, & obliquis horoscopi: breuitatis autem gratia vnum tantùm modum tradam, nimirum per ascensiones rectas Culminis, & Imi.

Si Sidus maneat supra terram, detrahe ab eius ascensione recta, geminata horaria tempora; & à residuo detrahe ascensionem rectam Culminis, & habebis Directionem horoscopi ad sextilem Sideris supra terram, ideſt ab vndecima domo: Vt *in quinto Exemplo:* ab ascensione recta Solis detraho geminata horaria tempora eiusdem, quæ sunt p. 33. 20. & fit residuum p. 123. 16. à quo

detraho ascensionem rectam culminis, & superest arcus Directionis horoscopi ad sextilem Solis p. 8.5.

Si verò ab ascensione recta Sideris demas quintam partem arcus Semidiurni eiusdem; & à residuo detrahas ascensionem rectam Culminis, efficies Directionem horoscopi ad quintilem Sideris: Vt *in quarto Exemplo*: quinta pars arcus semidiurni Lunæ est p 15.57. hanc detraho ab ascensione recta Lunæ, & remanent p. 330.59. à quibus detraho ascensionem rectam Culminis, & remanet arcus Directionis horoscopi ad quintilem Lunæ p. 15.30.

Quadratum ad horoscopum Sidera efficiunt à circulo meridiano: quare ad ipsum dirigantur per ascensiones rectas &c:

Pro cæteris radijs supra terram, è contra addendæ sunt portiones ad ascensionem rectam Sideris: vt pro trino, adde geminata horaria tempora ad ascensionem rectam Sideris, & à summa detrahe ascensionem rectam Culminis: pro sesquiquadrato adde triplicata horaria tempora: pro biquintili adde tres è quinque partibus arcus semidiurni &c: Et ne decipiaris in supputandis radijs quintili, & biquintili, obserua figuram pentagonam, quam sub quartam figuram posui: in ipsa enim apparent distantiæ à Cardinibus; & punctum a potest accipi pro omni Cardine.

Sub terra è contrario pro sextili, & quintili addendæ sunt distantiæ ad ascensionem rectam Siderum: pro trino sesquiquadrato, & biquintili detrahendæ sunt &c:

CANON V.

Prorogatorem alium quemlibet in centris Cardinum constitutum, ad coniunctionem, & radios Astrorum motu recto dirigere.

Diriges omninò sicut ipsum Cardinem, in cuius centro reperitur, seruando latitudinem Siderum occurrentium coniunctione, & oppositione, in accipiendis eorum ascensionibus rectis, & obliquis, sicut supra de Cardinibus dictum est: & memineris quod hæ familiaritates vocantur, & fiunt in Mundo.

CANON VI.

Prorogatorem quemlibet extra Cardines repertum ad coniunctionem, & oppositionem Astrorum motu recto dirigere.

Si Prorogator sit in centro alicuius domus facilis est supputatio; nimirum ex occurrentium Directione ad centrum illius domus, sicut dictum est *Canon. 3. & 4.* Si verò non sit in centro alicuius domus, supputabis modo quem dixi *cap.* 14. *Can.* 4. nisi tantùm quòd accipienda sunt horaria tempora, ascensiones rectæ, & distantiæ à meridiano seruata latitudine occurrentium. Hoc enim est discrimen inter congressum in Zodiaco, & congressum in Mundo, quòd congressus in Zodiaco fit ex proximiori propinquitate, quæ contingere possit inter duo sidera, dum per suam viam progrediuntur, proximior autem propinquitas tunc fit, quando sunt in eadem longitudine, sicut dixi in quæstionibus: congressus in Mundo fit quando sidera sunt in eodem circulo horario; pro quo

congressu

congressu oportet sumere loca Siderum occurrentium, secundum etiam eorum latitudinem, similiter horaria tempora, ascensionem rectam, proportionales distantias &c: Deinde supputare sicut *Can.* 4. superioris capitis dictum est: In oppositionibus seruatur latitudo contraria Sideris oppositi. Vt *si in duodecimo Exemplo* sit dirigendus Sol ad coniunctionem Mercurij in Mundo: Solis ascensionem rectam, horaria tempora, & distantiam à culmine iam habes *cap.* 14. *Can.* 4. at verò

Mercurij cum latitudine.

Ascensio recta	p.	201.	1.
Horaria temp.	p.	13.	2.
Distantia à culmine	p.	64.	46.

Et fit distantia secundaria p.39. 55. quæ detracta à primaria relinquit arcum Directionis p. 24. 51. quibus Mercurius fertur ad circulum horarium Solis. Quòd verò per hunc duplicem congressum in Zodiaco, & in Mundo producantur distincti effectus præter rationes superius allatas non pauca mihi suaserunt Exempla, quæ in aliud tempus asseruo.

CANON VII.

Prorogatorem quemlibet extra Cardines inuentum, ad medios radios motu recto dirigere

SI prorogator sit in centro alicuius domus, Directiones ad medios radios consuetos in Mundo acceptos, idest sextilem, quadratum, & trinum facilè supputantur, nimirum ex deductione promissorum ad centrum illarum domorum, à quibus moderatores recipiunt illos radios: puta si sit moderator in centro duodecimæ domus; recipit sextilem à secunda, & decima domo; quadratũ à tertia, & a nona; trinum a quarta, & ab octaua &c: de quibus iam dictum est: Sesquiquadratus fit à media domo vltra trinum; vt in dato casu à media distantia inter quartam, & quintam domum, & inter octauam, & septimam: dimidium autem vnius Domus sunt horaria tempora Siderum intuentium, seu sexta pars arcus semidiurni, vel seminocturni. Ex hoc autem colligitur distantia promissorum secundaria à circulo recto, vel etiam obliquo, & de consequenti etiam arcus Directionis eisdem modis, quibus supra dixi. Pro quintili, & biquintili obseruabis figuram pentagonam infra positam; etenim quintilis est semper quinta parte minor, quam sit quadratus, idest arcus semidiurnus, vel seminoct., biquintilis verò quinta parte minor, quam sit oppositio, idest quam sit totus arcus diurnus, vel nocturnus.

Quod si moderator non sit in centro alicuius domus; in primis poteris eum locare, & ponere in centro illius domus, cui proximior est ipse moderator, præsupponendo quod reperiatur ibi, licet nonnihil distet; adhuc enim supputationes parum, aut nihil ab exquisita veritate aberrabunt. Vt *in quarto Exemplo* supponamus Lunam esse in cẽtro vndecimæ domus, itaut distet à Culmine tertia parte sui arcus semidiurni, idest p.24. 36. & in Culmine sit p. 19. 54. Aquarij, cuius ascensio recta est p. 322. 20. Tunc autem in Imo adsunt p. 19. 54. Leonis, cuius ascensio recta est p. 142. 20. Distantia Saturni primaria ab hoc Imo est p. 14. 53.

Volo

Volo nunc dirigere Lunam ad omnes radios Saturni in Mundo acceptos.

Sesquiquadratus Saturni, eò quia proijciatur à medio tertiæ domus, idest quando Saturnus distat ab imo temporibus horarijs, seù sexta parte eius arcus seminocturni, videlicet p. 11. 48. quæ minor est quam sit eiusdem distantia ab Imo primaria, fit vt sesquiquadratus præcesserit p. 3. 6.

Trinus fit à centro tertiæ domus, idest quando Saturnus distat ab Imo geminatis temporibus horarijs, seù p. 23. 36. à quibus detracta distantia primaria, remanet arcus Directionis p. 8. 43.

Quadratus fit à centro secundæ domus idest quando Saturnus distat ab imo duabus è tribus partibus arcus seminocturni, seù quater ductis temporibus horarijs, quæ sunt p. 47. 12. à quibus detracta distantia primaria, fit arcus Direct. p. 32. 19.

Quintilis est quinta parte minor quam sit quadratus, quapropter addo arcui Directionis quadrati quintam partem arcus seminocturni Saturni, quæ est p. 14. 9. & fit arcus Directionis ad quintilem p. 46. 28.

Sextilis fit ab horoscopo, quare dirigo Saturnum ad horoscopum, vel per ascensiones obliquas, vel detrahendo distantiam eius ab Imo primariam, quæ est p. 14. 53. ab eiusdem arcu seminocturno, qui est p. 70. 44. & superest arcus Directionis p. 55. 51.

Quòd si velis Directionem supputare exquisitè in circulo horario, cui inhæret moderator, opus est accipere proportionalem distantiam Promissoris à centro, vel præcedentis, vel sequentis domus, vnde post Directionem proijcit radium ad Moderatorem, quam habet ipse Moderator à centro præcedentis, vel sequentis domus sui situs. Qua habita distantia facilè postmodum supputātur Directiones, & pluribus modis, quorum vnus talis est.

Primò, sumas distantiam rectam Moderatoris in natali (distantiam rectam voco distantiam à circulo recto per ascensiones rectas) *vt in quarto Exemplo* Luna distat à Culmine p. 31. 27.

Secundò, accipe distantiam rectam, quam ipse Moderator efficeret ab illa domo ad quam proximè fertur: & memento quòd geminata horaria tempora sunt spatium vnius domus, quater ducta sunt spatium duarum domorum &c. *Vt in eodem quarto Exemplo* Lunæ distantia recta si ponatur in centro vndecimæ domus, ad quam proximè fertur, sunt geminata horaria tempora, idest p. 24. 36.

Tertiò, harum duarum distantiarum detrahe minorem à maiori, & remanebit distantia moderatoris a centro proximæ domus: *Vt in dato Exemplo*, remanet distantia Lunæ ab vndecima domo p. 6. 51.

Quartò, accipe distantiam Promissoris primariam à centro illius domus, ad quam proximè accedit completa Directione, tali modo: Si Promissor ea Directione, quam supputamus maneat semper in eodem hemisphærio ascēdente, vel descendente, detrahe distantiam eius rectam minorem a maiori, quarum vna est, quæ in natali, altera quam habet, si ponatur in centro illius domus, ad quam proximè accedit completa Directione; vt in eodem Exemplo, si dirigamus Lunam ad trinum Saturni, huius distantia recta in natali est p. 8. 2. geminata horaria tempora p. 23. 36. quibus distat ab Imo, dum ponitur in centro

tertiæ

tertiæ Domus, ad quam proximè accedit completa Directione; nam trinus Saturni ad Lunam in Mundo acceptus fit antequam Saturnus perueniat ad cētrum tertiæ domus: Quare detraho p. 8. 2. à p. 23. 36. & remanet distantia Saturni primaria à centro tertiæ domus p. 15. 34. Et caueas quòd vtendum est temporibus horarijs diurnis si Domus illa, ad quam proximè fertur Promissor completa Directione sit diurna, licet Promissor in natali sit sub terra; & nocturnis si sit nocturna, licet ille in natali sit supra terram: Quod si Promissor transeat ab hemisphærio ascendente ad descendens, aut è contra, junge ambas distantias, & habebis eius distantiam primariam ab illa domo. Alio modo, quem docui in compendio; Si domus est quartæ orientalis, adde ascensioni rectæ circuli recti geminata horaria tempora promissoris pro singulis domibus à circulo recto remotis; summam detrahe ab ascensione recta promissoris, & remanet eius distantia primaria ab illa domo: Si verò domus est quartæ occidentalis detrahe ab ascensione recta circuli recti geminata horaria tempora pro qualibet domo distante à circulo recto, & summam detrahe ab ascensione recta promissoris &c: Vt, quia tertia domus est quartæ occidentalis, & prima distans à circulo recto Imi, detraho p. 23.36. quæ sunt geminata horaria tempora Saturni ab ascensione recta circuli recti, quæ est p. 135. 29. & remanent p. 111. 53. Has detraho ab ascensione recta Saturni, quæ est p. 127. 27. & remanet distantia Saturni à centro tertiæ domus p. 15.34. sicut prius. Item exēpli gratia, secunda domus est quartæ occidentalis, & est secunda distans à circulo recto: detraho quater ducta horaria tempora, idest p.47.12. ab ascensione recta Imi, & remanent p. 88. 17. has detraho ab ascensione recta Saturni, & remanet eius distantia primaria à secunda domo p.39. 10. Alio modo; distantiæ Saturni à tertia domo, quæ est p. 15. 34. addo geminata horaria tempora Saturni, quæ sunt p.23.36. & prouenit distantia Saturni à secunda domo p.39. 10. sicut prius.

Quintò, per regulam auream quæro, si horaria tempora Moderatoris dant eius distantiam à centro illius domus, quam distantiam dabunt horaria tempora Promissoris? quam habitā detraho à distantia primaria promissoris, & quod superest est Directionis arcus: Vt, si horaria tempora Lunæ p. 12. 18. dant eius distantiam ab vndecima domo p. 6. 51. quam distantiam dabunt horaria tempora Saturni p.11.48 ?& prouenit distantia secundaria Saturni ab illa domo p. 6. 4. quam detraho ab eius primaria à tertia domo pro trino, quæ erat p. 15. 34. & remanet arcus Directionis p. 9. 0. exquisitè supputatus. Pro quadrato detraho partes 6.34. ab eius distantia primaria à secunda domo, quæ erat p. 39. 10. siuè arcui Directionis ad trinum p. 9. 0. addo geminata horaria tempora Saturni p. 23. 36. & prouenit idem arcus Directionis p. 32. 36. Differt autem arcus Directionis exquisitè supputatus ab alio sumpto supra in centris domorū tantum minutis 17. & fit, vt omnes radij Saturni ad Lunam similiter differant min. 17. quæ addenda sunt: vt scias, quod multipliciter fieri possunt Directiones huiusmodi, & facili methodo, si tamen rectè percipiantur mea principia, & mente concipiantur circuli sphæræ, distantiæ domorum, ascensiones rectæ, regula aurea, distantiæ radiorum &c: In præsentiarum autem eruditis censeo

hæc

hæc ſatis eſſe; in Tabulis enim ſi faxint Diui diffuſius.

Ad proprios radios Prorogatores diriguntur ſicut ſi locus Prorogatoris eſſet Promiſſor.

CANON VIII.

Prorogatorem quemlibet vbicunq; reperiatur ad Parallelos Aſtrorum motu recto dirigere.

PAralleli in Mundo quid ſint dictum eſt, & oſteſum lib. 2. ſunt enim æquales vtrinq; diſtantiæ proportionaliter tamen ſumptæ duorum Siderum ab eodem Cardine: Et hinc ſequitur. *Primò* quod ſi Prorogator ſit in centro alicuius Cardinis non poſſit recipere parallelos in Mundo, ſed opus eſt, vt aliquo modo diſtet.

Secundò, ſequitur, quod paralleli in Mundo cõtingant ſemper à duabus quartis, quarum vna orientalis eſt, altera occidentalis.

Tertiò, quod contingũt octo modi, duo ſi Prorogator ſit ſupra terrã in quarta orientali, & Promiſſor ponatur in quarta occidentali, vel ſupra, vel ſub terram: Alij duo ſi Prorogator ſit ſupra terram in quarta occidentali, & Promiſſor ponatur in orientali, vel ſupra, vel ſub terram: & totidem contingunt modi ſi Prorogator ſit in quartis ſubterraneis: quibus benè cognitis


Accipe horaria tempora cõditionaria tàm Significatoris, quam Promiſſoris, & eorum diſtantiam à circulo recto. Deinde quære ſi horaria tempora Significatoris dant eius diſtantiam rectam, quam diſtantiam dabunt horaria tempora Promiſſoris? Exempla habes duodecim in fine, quæ ſatis ſint, quãuis non contingant in ipſis omnes caſus poſſibiles; quos prudentiæ Lectoris committo.

CANON IX.

Quæ ſint obſeruanda in Directione Solis ſub terram conſtituti.

QVando Sol ſub terram degit, quoniam, vt ſæpius dixi, non dirigitur in circulis horarijs, ſed vel crepuſculinis, ſi ſit in ſpatio crepuſculorum, vel in proportionalibus diſtantijs acceptis ex arcubus obſcuris ſi ſit in reliquo ſpatio obſcuro; quæ loca non cohærent cum circulis horarijs; Directiones Solis ad familiaritates in Mundo acceptas aliquam difficultatem afferent tyronibus: oportet enim cognoſcere quam diſtantiam habeat Sol ab Angulis tempore expletæ Directionis. Cuius ſupputationis methodus ex dictis colligitur, nunc re ipſa ſic oſtendo: Sit Exemplum in quodam viro nato anno 1468 die 28. Febr. hor. 6. 46. ante Merid. ſub Cœli conſtitutione infra poſita, qui obijt anno ſuæ ætatis 81. menſ. 8. cuius effectus Profeſſores cenſent, quòd Aſcendentis Directio ad proprium trinum exitij fuiſſet cauſa, eo quia ſit in ſignis breuiſſimæ aſcenſionis. At quoniam ego *in primis*, reijcio radios in Zodiaco ad Cardines: *Secundò*, non tribuo vires actiuas Cardinibus, vt poſſint fieri promiſſores: *Tertiò*, puto radios non permutare ſuam naturam breui, vel longa aſcenſione &c: *Quartò*, ſi Luminaria ſint vitæ moderatores nullo modo admitto, quòd Cardines abſcindere valeant vitam; in hac autem Geneſi Sol eſt vitæ moderator validiſſimus

[Handwritten margin note:] Loquitur de Genitura p. 111. Pont. a Carlani allata. Horoscopus ut Horoscopus tantum non ut promissor, sed ratione corporis ☿ ut Promissor ... tribue ...



☉		
Asc. recta	p.	349. 16.
Asc. obliq.	p.	353. 27.
Hor. temp. noct.	p.	15. 42.
Hor. temp. diur.	p.	14. 18.
Arc. semid. horar.		5. 43.
qui in p. Æquat. est.		85. 48.

♂		
Lat. sep.	p.	0. 40.
Asc. recta	p.	49. 57.
Arc. semin.	hor.	4. 47.
Dist. ab Imo	hor.	1. 18.
♃		
Lat. mer.	p.	0. 24.
Asc. obliq.	p.	58. 54.

lidissimus in Cardine orientis repertus, afferens claram admodum lucem crepusculi: Propterea dico, quòd Sol tunc temporis motu recto, & conuerso peruenit ad proprium quadratũ in Mundo, quo radio vtraq; virtus Solis prorogatoria, scilicet tàm quæ in primo mobile hæret, quàm quæ in Mundo vicissim hostiliter

hostiliter læsæ fuerunt: Deinde dico quod Sol peruenit ad parallelum Martis in Mundo motu conuerso: Tandem motu recto ferebatur inter parallelum Lunæ, & Martis in Mundo illum præcedentem, hunc sequentem quam proximè: Anno 66. & dimidio Sol ad Iouem peruenerat.

Directio Solis ad proprium quadratum contingit quando pars 18.20. ♓. quā habet Sol in natali, ponitur in pari proportionali distantia à Culmine, quali expleta Directione, distat ipse Sol ab Ortu in eodem circulo Crepusculino, cui inhæret in natali: pro qua supputanda in primis opus est cognoscere ad quem gradum Eclipticæ Sol, manens in eodem circulo Crepusculino, peruenerit expleta Directione; vt sciamus eius arcum Crepusculinum, arcum semin.&c: tali modo. Dirigo Solem tanquam si sit in horoscopo ad proprium quadratum in Mundo, qui sit à Culmine; est autem Directio totus arcus semid. p. 85. 48. Hunc arcum addo ascensioni obliquæ Solis, quæ est p. 353. 27. & fit aggregatum p. 439. 15. à quo reiecto integro circulo, remanet ascensio obliqua p. 79. 15. quam habet Sol expleta Directione in horoscopo supputata, cui respondet ferè gradus 10. ♋.

Secundò, ex Tabulis Domorum accipio distantiam in horis, & minutis, quā habet Sol in natali, sicut supra dixi, detrahendo tempus pomeridianum horoscopi hor. 16. 38. à tempore pomeridiano Solis in horoscopo positi, quòd est hor 17. 34. Et remanet distantia Solis ab ortu hor. o. 56.

Tertiò, hanc distantiam requiro in Tabella Crepusculorum sub gradu 15. ♓ ad eleuationem Poli p. 42. quæ distantia non reperitur, sed est media inter hor. o. 49. & hor. 1. 4. sumpta parte proportionali, reperio Solem inhærere circulo Crepusculino p. 10. 24.

Quartò, sub gradu 10 ♋. ad hunc parallelum p. 10. 24. in eadem Tabella accipio distantiam Solis ab Ortu hor. 1 11. quæ quia excedit minutis 15. distantiam Solis natalis, quæ erat horarum o. 56. reijcio ab Ascensione obliqua supra inuenta, quæ erat p. 79. 15. minuta horaria 15. seù partes 3. 45. & remanet vera ascensio obliqua loci Eclipticæ Directionis Solis rectæ p. 75. 30. in circulo Crepusculino Solis respondens ad gr. 7. ♋. ferè, cuius rursus in eadem Tabella Crepusculorum accipio Solis veram distantiam, quam quæro, & est eadem hor. 1. 11. quia circa Tropicum.

Quintò, per regulam auream peto, si arcus seminocturnus hor. 4. 29. partis 7. ♋, in qua reperitur Sol expleta Directione, dat distantiam Solis ab ortu hor. 1. 11. quam distantiam dabit a Culmine arcus semidiurnus hor. 5. 43. partis 18. 20. ♓? Prouenit autem distantiam hor. 1. 31. qua habita pluribus deinde modis, sicut supra dixi, potest sumi Directionis arcus. Quare hanc distantiam horarum 1 31. reijcio ab arcu semid. Solis horar. 5. 43., & remanent horæ 4. 12. quæ sunt distantia ab ortu partis 18. 20. ♓. expleta Dir., his addo distantiam Solis ab Ortu in natali, quæ est hor. o. 56. & efficio arcum Directionis hor. 5. 8. quæ ad Æquatoris gradus redactæ fiunt p. 77. o. Pro æquatione addo ascensioni rectæ solis, & fit aggregatum p. 426. 16. a quo reiecto integro circulo remanent p. 66. 16. respondentes ad gr. 8. II. ad quem Sol ab hora natalis peruenit diebus 81. & hor. 18. qui tot annos, & 9. menses indicant.

Directio

Directio Solis ad parallelum ♂ in Mundo motu conuerso talis est,& facilis: Quæro si arcus seminocturnus ♂. hor. 4. 47. dat eius distantiam ab Imo hor. 1. 18. quam distantiam dabit à Culmine arcus semidiurnus ☉. hor. 5. 43.? Et prouenit distantia hor. 1. 33. scilicet duobus tantum minutis horarijs, seù 30. minutis ex gradibus Æquatoris maior, quam altera supra accepta, adeout exquisitè eodem tempore contingat, si vno tantum horæ minuto producatur tēpus natalis.

Directio Solis ad Iouem: ab ascensione obliqua Iouis, quæ est p. 58. 54. detraho ascensionem obliquam Solis, quæ est p. 353. 27. addendo scilicet prius ad ascensionem Iouis integrum circulum p. 360. & efficio arcum Direct. p. 65. 27. Deinde in Tabella Crepusculorum sub gr. 21. seù 15. ♊. ad parallelum Solis p. 10. 24. accipio Solis distantiam ab Ortu, est autem illa eadem, quam supra inuenimus, eo quia loca contingant circa Tropicum, scilicet hor. 1. 11. quæ maior est, quam sit distantia Solis natalis, minutis 15. horarijs, seù gradibus 3. 45. Æquatoris; quare iuxta ea quæ supra dixi reijcio has p. 3. 45. ab arcu Directionis p. 65. 27. & remanet verius arcus Directionis in circulo Crepusculino Solis supputatus p. 61. 42. qui Æquatus more solito indicat annos 66. cum dimidio; Reliquas Directiones prudentiæ tuæ relinquo. Cæterum de quibusdam fertur, quòd non ingenua, ac naturali de Sideribus scientia vterentur: Nam si pars 22. ♊. fuit felix Soli, quare potuit esse infelix Orienti, cui deinde vitæ moderatio nulla ratione debebatur? Hæc de Sole in spatijs Crepusculorum inuento.

Si verò Sol sit in reliquo spatio obscuro, quando ipsum dirgimus ad familiaritates in Mundo, opportet similiter cognoscere, quam distantiam habeat Sol ab Imo, seù à centris aliarum domorum circa tempus expletæ Directionis, qua cognita, primus numerus sunt horaria tempora nocturna Solis; secundus distantia illa Solis; tertius sunt horaria tempora Promissoris. De his hactenus nunc, latius & facilius in Tabulis.

De Directione Conuersa.

CANON X.

Dirigere Solem, Lunam, partem Fortunæ, & quæ Sidera Prorogatores fiunt ad omnem quamlibet familiaritatem Siderum motu conuerso.

IN hac Directione contingunt familiaritates in Mundo tantum iuxtà institutum huius capitis. Excipio autem Cardines, & domus, quæ non possunt dirigi motu conuerso.

Directionem conuersam ad omnem quamlibet familiaritatem supputabis eisdem prorsus modis, de quibus dictum est in hoc capite, cum hoc tamē, quod permutantur nomina Significatoris, & Promissoris: nam in hac Directione Significator discedens à suo situ, siuè circulo horario, mouetur ad situm, seù circulum horarium Promissoris: Quare permutatur ordo numerorum regulæ aureæ, itaut primus numerus sint horaria tempora Promissoris, siuè eius arcus

conditionarius: secundus numerus sit eiusdem distantia à circulo recto; tertius numerus sint horaria tempora, seù arcus conditionarius Significationis. Vt *in duodecimo Exemplo*, volo dirigere Solem ad coniunctionem Saturni, primus numerus sunt horaria tempora Saturni, secundus numerus eiusdem distantia à Culmine, tertius horaria tempora Solis, & qui prouenit quartus est distantia secundaria Solis, quæ iuncta primariæ efficit arcum Directionis. De parallelis in Mundo habes exempla in fine.


CANON XI.

Dirigere Prorogatorem ad Occasum cum additione, vel detractione partium, quæ fit ab Astris, seù radijs fœlicibus, vel infœlicibus intermedijs.

PRimò, dirige Prorogatorem ad Occasum per descensiones obliquas, vel ascensiones oppositas sui finitoris, seruata eius latitudine. *Secundò*, cogitabis an inter Prorogatorem, & Occasum intercedant Sidera, vel radij sumpti tamen in Mundo à domibus; quod cognosces ex Directione Siderum, & radiorum ad Occasum, nam quæ primò perueniunt, minori scilicet arcu directionis, quàm sit arcus directionis Prorogatoris ad Occasum, interiacent inter Prorogatorem, & Occasum, quæ vero perueniunt posteà, idest maiori arcu Directionis non intermediant. *Tertiò*, singulorum Siderum, quæ intermediant, vel interponunt radios, sume arcum conditionarium, & horaria tempora ad hemisphærium, in quo fuerit Sidus, & non vbi fuerint radij, sic enim fit, vt diurna de die, & nocturna de nocte sicut præcipit *Ptolemæus*. *Quartò*, Per regulam auream quære: Si totus arcus Astri conditionarius dat nobis omnia horaria tempora, quot nam dabit arcus Directionis Astri, vel radij ad Occasum iam acceptus? multiplica secundum, & tertium numerū, & diuide per primum: Quod superest adde si de bonis agatur, minue si de malis à Directionis arcu Prorogatoris ad Occasum, & emerget arcus Directionis auctus, vel diminutus: qui deinde debet æquari more meo solito. Sit Exemplum in infra posito natali, cuius valetudinis fœlicis causam professores communiter vnanimes asseruerunt extitisse cor Leonis in Horoscopo, cum trino Solis à nona domo, & signo Arietis: hoc autem quam leue sit affirmare ex à me supradictis cognosces: deinde plurimas ægrorum hominum geneses cum corde Leonis in centro Horoscopi, & Culminis, & fœlicibus Solis radijs in Zodiaco vidi: Censeo ego, *iuxtà ea quæ 2. lib. tradidi*, fuisse causam fœlicissimum ad luminaria, maximè ad Solem satellitium beneficarum angularium: nam Sol est in sextili Veneris in Mundo, sicut in primo alijsq; exemplis ab *Argolo* allatis, quæ dudum recensui: in Veneris item parallelo in primo mobile propter eamdem ferè Declinationem: deinde est in parallelo Iouis in Mundo, scilicet similiter distans a Culmine; sicut Iuppiter ab Imo: amplius defluit à sesquiquadrato Iouis in Zodiaco, & applicat eius biquintili: tandem est in trino cordis Leonis, cum quo, quia coniungitur præsentialiter in Zodiaco, efficit cum ipso reliquas omnes ibidem familiaritates, iuxtà ea quæ suis locis dixi, & rationibus comprobaui. Luna verò est in centro duodecimæ domus in sextili scilicet ad Culmen, cum fixis Ca-

[Handwritten marginal note:] Quando Planeta distans à ☉ per g. 42. 18. dicitur esse in ✶ ☉! per sumus dicere et est in semiquad. sed cum dicit in Mu̅do intelligit de aspectibus secundu̅ suam adinuentionem. Vide can. 3.

nis



Latitudo.	Arcus.	Hor. tempor.	Aſc. rect.
♄. 2. 37. S.	84.53.ſemin.	14. 8. noct.	173.58.
♃. 1. 15. S.	110 24.ſemin.	18 23. noct.	246.23.
♂. 2. 13. S.	112.53.ſemid.	18 49. diur.	121.24.
☉. 0. 0.	99.26.ſemid.	16.38. diur.	23.49.
♀. 0. 3. M.	83.50.ſemid.	13.57. diur.	344.43.
☿. 0. 7. S.	103.39.ſemid.	17.17. diur.	35.11.
☽. 4. 50. M.	106.50.ſemid.	17 48. diur.	120.26.

nis maioris, & minoris, in parallelo ferè Iouis, & Mercurij in Zodiaco. Venus in Quintili ad Culmen deſcendens cum lucida Fidiculæ: ad quam Sol directione conuerſa peruenit Anno 56. Anno 76. & menſ. 3. Sol ad Occaſum peruenit:

nit: contingit autem, vt Venus, quæ corpore interponitur, addat aliquod paruum tempus: Saturnus succedens oppositione minuat quid amplius, quam addat Venus; Iuppiter deinde trino, quousq; scilicet ponatur in centro tertiæ domus, superaddit plus temporis, quam auferat Saturnus: tandem Mars lustrans maius spatium quadrato radio, quàm reliqui omnes, quousq; ponatur in centro Culminis, magis, quàm cæteri omnes adimit: Mercurius quia mixtus sextili Veneris, & sesquiquad. Saturni non dat, neq; tollit suo sextili. Supputationes in Exemplum Canonis accipe.

Directionis Veneris ad Occasum est p.23.2. Quæro nunc si totus arcus diurnus Veneris p. 167.40. dat horaria tempora p. 13.57. quot dabit arcus Directionis p. 23.2.? & fiunt p. 1. 54. Item arcus Directionis Saturni ad horoscopum est p. 33.20. quæro, si totus arcus nocturnus Saturni p. 169.46. dat horaria tempora p. 14 8. quot dabit arcus Directionis p. 33. 20? & proueniunt p. 2. 37. Rursus arcus Directionis Iouis ad centrum tertiæ domus, vnde habet trinũ ad Occasum est p. 57.38. quæro si totus arcus nocturnus Iouis p. 220. 48. dat horaria tempora p. 18. 23. quot dabit arcus Directionis p. 57. 38? fiunt verò p. 4. 47. Tandem arcus Directionis Martis ad Culmen, vnde iacet quadratum ad Occasum est p.75.53. peto si totus arcus diurnus Martis p. 225. 46. dat horaria tempora p. 18. 49. quot dabit arcus Directionis p. 75. 53? & fiunt p. 6. 16. Adeout Iuppiter, & Venus addant p. 6.41. Saturnus, & Mars auferant p.8.53. ab his si detrahamus p. 6.41. remanent auferendæ p. 2. 12. ab arcu Directionis Solis ad Occasum, quibus maleficæ superant beneficas.

Dirigo Solem ad Occasum sic; detraho ascensionem rectam Solis ab ascensione recta Culminis, & fit distantia Solis à Culmine p. 21. 42. Hanc distantiam detraho ab arcu semidiurno Solis, qui est p. 99. 26. & remanet arcus Directionis Solis ad Occasum p. 77.44. ab hoc arcu detraho partes illas 2. 12. quibus infortunæ superant fortunas, & remanet arcus Directionis Solis ad Occasum diminutus, & auctus ab infœlicibus, & fœlicibus astris p.75.32.

Hunc arcum pro æquatione addo ascensioni rectæ Solis, & fit aggregatum p. 99. 21. respondens ad p. 8. 35. signi Cancri, ad quam Sol peruenit diebus 76. & quadrante. Cæterum quoniam Martis radius quadratus nouissimus omnium repertus est in Occasu ante descẽsum Solis, scilicet duobus ferè gradibus; hinc maximè comprobatur mea de his rebus sententia.

De nouis Phænomenis.

CAPVT SEXTVMDECIMVM.

EX dictis in toto opere clarè patet, quæ sint summæ causæ etiam in nouis Phænomenis quomodocunq; quandocunque, & vbicunque fuerint: nam a proprietatibus, passionibus, motu, situ, & tempore eorum pendent proprietates, passiones, motus, regiones, & tempora effectuum: Vt ex magnitudine extensionis sequitur magna secundum extensionem

fionem

sionem materiæ, & qualitatum passiuarum commotio: ex intensione lucis, intensio, & vehementia effectuum: ex passionibus puta mutatione figuræ, quātitatis lucis &c: sequuntur passiones in ipsis effectibus pari modo: ex situ, situs in Mundo: ex motu locali, siuè in primo mobile, siuè circa Mundum, sequitur motus effectuum localiū in terra, & circa res subiectas: Ex tempore apparitionis, tempora durationis effectuum colliguntur: Ex figura, & imagine, species, & similitudo rerum: ex colore, qualitas, & natura: atq; huiusmodi prout innuit *Ptolemæus lib. 2. cap. de Crinitis*; pro quibus si rectè ea, quæ dicta sunt percipiantur, non est opus denuò tempus absumere attamen.

Cauendum est primò circa situm, quòd cum Phænomena appareant in varijs absq; discrimine a terra distantijs, videlicet à summis Cœlorum, vsq; ad infimam regionem aeris, sequitur vt erga nos varios respectus habeant: nam si in infimis locis, non conspicientur nisi in aliquibus terræ locis; si in sublimi aeris regione, a pluribus; si se ponant inter, sidera circumferuntur cum ipsis, & sic toti Mundo lucent &c: In prioribus casibus agunt in omnem regionem cui fulserint; si cum sideribus circumferantur, respiciunt illas regiones, quæ subijciuntur illis signis, & imaginibus, cum quibus se se sociant: Ita *Ptolemæus* loco citato, *cæterum loca in quibus hæc euentura sint designantur cum à signiferis partibus in quibus collectæ illæ stellæ fuerint*, subintellige, quando inter sidera se ponunt, & cum ipsis circumferuntur in vniuerso, *tum de Criniti figurationis inclinatione*, subaudi quando infima loca possident, & non circumferuntur in vniuerso.

Secundò, cauendum circa motum, quod si Phænomena sint in infimis locis, dum mouentur localiter cum se se manifestent nouis terræ Prouincijs, deferunt ad illas suos effectus; Si sint inter Sidera, & cum ipsis circumferantur, si non permutent locum in primo mobile, vnam tantùm Prouinciam intuentur, illam scilicet, quam signum, & imago loci Cœli quem possident: si mutent situm, transferunt suos effectus etiam ad alias Prouincias, quæ respiciuntur à signis, & Imaginibus, quas Phænomena lustrant.

Tertiò, cauendum, quod effectuum tempora, a Sole, & Luna definiuntur eodem ferè modo quem in Directionibus, & Progressionibus dixi: nam quot diebus, vel horis fulserint Phænomena si inter Sidera tot Annos, vel menses indicant, si in infimis locis quot horis tot Annos, vel menses &c: Tunc verò maximè eorum effectus augebuntur, quando luminaria cum locis Astrorum, quæ auctores, & causæ fuerunt Crinitarum, familiaritatem inierint: siue etiam quando cum ipsis Phænomenis, cum inter sidera possiderint locum.

Quartò, tandem cauendum, quod Phænomena quamcunque proprietatem, & passionem habeant ex intensione lucis, magnitudine, figura, colore, motu &c: quibus diuersam naturam induunt; in hoc tamen conueniunt omnia, quod in Martis, Mercurij naturam primum, & maximè inclinant; ita *Ptolemæus ibidem*, vbi postquam enumerasset quædam genera Crinitarum, & similium subdit, *est enim harum naturæ effectio Martiæ, ac Mercurialis proprietatis, bellorum, æstus, turbulentiæ, & eorum quæ ista sequi consueuere*. Et rationem censeo esse, quia noua Phænomena ex vstibili, & transmutabili materia coagmentantur, qua naturam Martis referunt: cum verò talis materia inconstans sit, naturam

Mercurij

Mercurij adiungit. Et hinc est quòd suscitant corruptiuas, viles, & omnino lætales qualitates, quibus corrumpuntur quæcunq, optima sunt, è contra roborantur vilia,& perniciosa: vnde corrumpunt aerem &c: procreant animalia perniciosa, atq; similia.


Cæterùm quia Crinitæ, & noua Phænomena contingunt varijs semper modis, vt dixi, vberiorem, & certiorem de ipsis doctrinam censeo dari non posse: afferam autem duo exempla nostri sæculi, sanè quæ ad posteros perueniant non indigna.

Die 16. Octobris 1629. quo die accidit nouilunium; dum ego commorarer in insigni cænobio Montis Olíueti propè Senas Hetruriæ, post Solis occasũ extincta luce Crepusculorum Solis in ipso occasu, superfuit in Horizonte alia lux è regione Septentrionis, & permansit semper intensior spacio circiter duarum horarum: tandem visa sunt sidera ignea in omnem partem volantia, quæ strependo euanuerunt vna cum luce.

Hæc inquam in Horizonte Senarum à multis fuerunt obseruata, sed intra mœnia Ciuitatis, & locorum; itaut nemo eorum potuerit aperto Cœlo respicere peculiaria, quæ circa finitorem contingebant. Postmodum ex Insubria, & Pedemõte relatum est, in ipso eodem vespere eiusdem diei, è regione Aquilonis visum esse post Solis occasum finitorem splendore perfusum tanquam clarissimæ lucis Crepusculi: & quod à terra ex parte magis versus occasum ascenderet corpus quoddam magnitudinis quasi Lunæ plenæ, coloris Leonis subobscuri, & peruenisset ad altitudinem 40. gr. ferè; cum quo simul ascenderet è regione Orientis columna quædam aurei coloris: tandemq; post horam secundam noctis corpus illud igne accessum in diuersa, & plurima sidera volantia strependo discerptum sit, omnisq; tum euanuisset visio. Quam cum à pluribus accepissem, tam in Hetruria, quàm ab Insubria, statim Cæli Thema construxi circa Solis occasum, vt vides vbi horrendum est inspicere luminarium amborum inter maleficas angulares obsidionem nullo beneficorum affulgẽte, qui luminaria tàm hostili grauitate non nihil leuaret: Sol in signo sui casus discedens a quadrato Martis in Signifero inter parallelum,& corpus Saturni, cui quamproximè iungitur, inuenitur: tandem substinet quadratum Martis in Mundo à quarta domo exquisitè: Luna sub Solis radijs Saturno iuncta est ferè partialiter: sunt autem in suis detrimentis Sol, Iuppiter, Venus,& Mars; Saturnus, & Iuppiter in quadrato, quod obseruatione dignum est: omnes in signis maleficarum.

Quam Cæli constitutionem, vt vidi, in primis aeris corruptelam, leuem caritatem, tandemq; bellorum motionem è regione Septentrionis ominatus fui, sicut plurimi adhuc superstites audierunt. Et ecce tibi sub initio sequentis Anni, *Gustauus Adolphus Suetiæ Rex*, mouet ingentem manum regiones nostras versus: duobus Annis strenuè decertans lustrauit, & subegit prosperè vniuersam penè Germaniam. Interim grauissima lue premebatur Italiæ pars ferè dimidida, cui corpus illud subobscurum puto fulsit; nimirum Insubria, Veneta ditio, Æmilia, & pars Hetruriæ vsq; ad Senas: etenim non constat, quod supra finitorem Senarum emerserit, quamuis ibidem aliqua Sidera ignita, in quæ

corpus



Latitudo.		Declinatio.
♄ 2. 16.	Sept.	8. 0.
♃ 0. 45.	Mer.	21. 23.
♂ 0. 45.	Sept.	23. 35.
☉		9. 9.
♀ 0. 15.	Mer. desc.	17. 35.
☿ 0. 28.	Sept desc.	11. 44.
☽ 4. 20.	Sept.	5. 45.

corpus illud solutum est, visa fuissent. Annonæ quoq; caritate grauiter laborabat tota Italia; Molestissima tandem imbrium copia; adeout homines dolerent, & conquererentur, pluries quidem hæc tria simul contigisse, bellum, egestatem, & pestem, at inundationem quoq; nunquam ante hac auditum.

Post biennium anno scilicet 1632. dum Igubij manerem œconomus præclari Cœnobij S. Petri, inter colloquendum æstiuo tempore cum necessarijs, & beneuolis, præ cæteris de *Suetiæ Rege*, & gestis eius, quamuis mihi nondum pateret illius genesis, attamen sæpius asserui, quòd initurus esset circa medium Octobris grauissimum prælium, & auspicabar ex coniunctione Saturni, & Martis iuxta oppositionem Iouis. Igitur 16. die Octobris ingens habuit prælium, in quo cum magis, quàm de more audacter, insolens reor superioribus victorijs effectus, nimis fortuna fidens, intra legionum acerrimos congressus se se misceret, pluribus confossus vulneribus cecidit, & mortuus est hora 3. post merid. Quod non minus admiratione, quàm obseruatione dignum: incidit enim in ipsam eamdem diem apparitionis Phænomeni. Rursus ab hoc tempore peste leuari cœpit Italia, adeout redeunte Vere prorsus libera fuerit inuenta; & Æstate subsequente tanta frumenti copia, rerum omnium affluentia restituta est, vt neq; reperiretur, qui saltem frumentum emere postularet.

Obseruandum autem est *in primis*, quòd tres superiores quando congrediuntur, vel in hostili ponuntur aspectu præordinant semper aliquem notabilem effectum, vel in Cœlo, vel in terra; quod etiam à priscis Arabis, & Ægiptijs obseruatum reperitur: Vt Anno 1572. apparuit nouum Sidus in Sede Cassiopeæ, fulsit toto Anno sequenti, & aliquot mensibus anni 1574. quousq; videlicet Saturnus, & Iuppiter in diametro steterunt ad inuicem: Anno 1604. mense Octob. ex congressu trium Superiorum in ♐, nouum Sidus ibidem exortum est: Anno 1618. mense Nouemb. & Decemb. duo Cometæ cunctis notissimi prodierunt in lucem ex quadrato Saturni, & oppositione Martis ad Iouem: Anno 1629. die 16. Octob. Phænomena, de quibus loquor, cum essent in quadrato duo superiores. In terram autem quot, & quales effectus inferant nemo ignorant: satis nunc sit in Exemplum, horribilem commemorare terremotum, vtriusq; Calabriæ Anni 1638. circa finem Martij, quando Iuppiter, & Saturnus in partili positi sunt quadrato à signis fixis, quo terremotu integræ subuersæ sunt ciuitates. Horum tamen similium effectuum, tàm in Cœlo, quàm in terra etiam Eclipses luminarium aliquando sunt causæ. Cæterum quoniam noua Phænomena, vel ideo, quod non nunquam parùm durant, vel nubibus tecta videri prohibentur, vel quod contingunt sub luce diei, vel in sublunaribus locis, vt propterea non possint à toto Mundo conspici; hinc est, quòd non in singulis familiaritatibus superiorum nobis obijciuntur: etenim firmiter credo, quòd plurima fiant, quæ forte contingit, vt à nemine conspiciantur, attamen ingentes effectus exsuscitant.

Secundò, quando superiores contrahunt has familiaritates, si ambo quoq; luminaria suum præbeant assensum ex hostili radio, magna, secundum extensionem, & intensionem, fiunt Phænomena: Si verò luminaria non assentiantur, fiunt paruæ Stellæ. Hæc autem Phænomena, de quibus loquor, exorta sunt tempore Synodi luminarium, iuxta coniunctionem Saturni in quadrato Iouis, & Martis constituti: vt ideò mirum non fiat si, & extensione, & intensione lucis extiterunt magna.

Tertiò,

Tertiò, hæc Phænomena eo quòd eleuarentur à terra, quamuis Astra post meridiem ad Occasum descenderent, verisimile est apparuisse, & loco posita fuisse non inter Sidera, sed in sublunari plaga; quod euidens omnino fit ex audito crepitu, dum in ignes volantes conuertebantur, innuit enim non longè à terra contigisse. Et sequitur quòd non fulserint nisi aliquibus terræ Prouincijs, & reor soli Europæ; ita tamen, vt respectu ad Italiam visa fuissent circa finitorem, à quo pendent res valetudinis, ideoq; lues ibidem postmodum exorta est: respectu ad Germaniam, in vertice domus decimæ, respectu ad Suetiam, magis versus meridiem, item in Supremo Cardine; & verisimile est, quòd ab illis regionibus versus nostras mouerentur; vnde bella ad meridionalem plagam allexerunt.

Quartò, luminarium hanc Synodum in Culmine *Gustaui* contigisse, vnde naturales propensiones dependent; & in trino Iouis, sextili Saturni, & sextili Solis eiusdem, quæ fœlicitatem adijciunt.

Quintò, visio durauit duas horas: duobus annis superuixit *Gustauus* præliando, & fœliciter progrediens: similiter, & lues in Italia: quo dato spatio in causis præordinantibus, tunc extinctus est actualis effectus, quādo superiores planetæ, tanquam causæ præsentaneæ, rursus hostilem radium aggressi sunt à signis diuersæ naturæ, nimirum fixis, cum in causis fuissent in mobilibus: & accidit ipsa eadem die 16. Octob. in qua Sol rediens ad locum quem habuit in causis, vbi tunc infœliciter se habuit, nunc vt liber libertati restituit affecta subiecta.

Sextò, in causis Iuppiter corpore applicabat loco Directionis secundariæ Solis, *Gustaui*, & Venus de Quintili; at quādo cecidit *Gustauus*, Sol Directione secundaria lustrabat partem 5. Aquarij, ad quam die casus in parallelo à primo mobile positi sunt Saturnus, Iuppiter, & Mars. Directione primaria Sol initio belli stetit ad parallelum, & corpus Iouis, tempore mortis applicuit quadrato Martis, & oppositioni Saturni: ad quem locum ipsa die casus Iuppiter, Saturnus, & Mars in quadrato reperti sunt.

Septimò, tandem in natali *Gustaui* obseruanda est oppositio Iouis, & Saturni, & ad ipsos quadratura Martis à signis fixis, quæ contrarietatem qualitatū temperamenti non modicam decernunt in nato, quibus ab arduis non abhorrebat: etenim quemadmodum superiorum huiusmodi radij suscitant, sicut dixi, ingentes effectus in Cœlo, vel in terra; ita in singulis subiectis suscitant ingentes motus, & qualitates.

Alterum Phænomenum vidi ego dum essem Ianuæ 1639. die 27. Octobris in pectore Canis maioris, nō longè præcedens fulgentem Syrij: erat magnitudinis quartæ partis Lunæ circiter, sphæricæ figuræ, cum paruula cauda ad Solis diametrum in cuspidem conuersa: exigua, & subobscura fulgebat luce: vidi Cœlo vndequaq; sereno ante Solis ortum quatuor horis ferè cum ad matutinas laudes vocarer: vnde post horam rediens, inueni motum esse cum omnibus Astris versus Occasum, sed in primo mobile descendisse plusquam dimidio vnius gradus à Borea ad Austrum. Nunciaui hoc quòd videram ipsa die *Illustriss. D. Francisco Mariæ Spinulæ fil. quon. Io. Bapt.* patritio Ianuensi, viro humanitate,

prudentia, literis, & ſcientijs etiam mathematicis ornatiſſimo, quiq; per æuum ſuperſit digno: ſubſequenti nocte Phænomenum viſum eſt ſub primo mobile deſcendiſſe ad Auſtralem plagam pluſquam 15. gradib. manens intra imaginem Nauis, ſub qua ab Ortu ad Occaſum totum luſtrauit hemiſphærium, prout obſeruatum etiam fuit ab eodem *D. Franciſco Maria*, nec amplius apparuit.

De vero momento, & loco generationis huius Phænomeni non conſtat, quamuis probabiliter cēſeam, quoad tempus, exortum eſſe die 26. eiuſdem mēſis in nouilunio: quoad locum, in ſigno Geminorum intra Zodiacum, vtcunq; ſit, hoc certum eſt. *Primò*, quòd erat inter Sidera, cum quibus vniuerſali motu primi mobilis circumferebatur ab Ortu ad Meridiem Occaſum &c:

Secundò, certum eſt, & conſtat ex tabulis domorū quòd cum eſſet Sol in Imi cuſpide, Saturnus erat in Occidentis puncto, & tunc Phænomenum in horoſcopi linea: dum Sol occuparet finitorem Orientis, Saturnus in Imi centro repertus eſt, & tunc Phænomenum erat in illa eadem poſitione, nimirum in octaua domo, in qua contigerat Eclipſis Lunæ die 20. Decembris ſuperioris anni 1638. quæ celebrata fuerat in gr. 29. Gemin., & in qua eadem contigerat Eclipſis Solis die 1. Iunij 1639. iuxtà gr. 11. Gemin. in quarum vtraq; luminarium Eclipſi exoriebantur apud horoſcopum primæ partis Scorpionis, vbi poſtea inuenta ſunt luminaria tempore apparitionis huius Phænomeni, vt ideo rationi conſentaneum ſit has Eclipſes, & prædominantes in eis Stellas extitiſſe cauſas eius: Nam tres ſuperiores tunc in ſextili, & trigono ad inuicem ponebantur, adeoquod huius Phænomeni nulla alia cauſa naturalis in Cœlo aſſignari veriſimiliter poſſit, quam Eclipſes prædictæ.

At quid rerum producendum futurum eſſet ab hoc Phænomeno, fateor quòd ignorarem: omnibus autem notum eſt, quòd poſt aliquot menſes Regnum citerioris Hiſpaniæ rebellat ab optimo Rege, & non multo poſt Luſitaniæ Regnum; nam illud cenſeo ſubijci ſigno Geminorum, hoc verò ſigno Cancri, & imagini Nauis: hæc de Phænomenis.

De aeris mutationibus annuis, menſtruis, diurnis, & horarijs inueſtigandis, *Ptolemaus ſatis habet circa finem 2. lib.* Hoc vnum adijcio, obſeruandas eſſe omnes familiaritates, *de quibus dixi lib. 2.* & maximè familiaritates Luminarium cum cœteris in Mundo, quando ſunt in Cardinibus, ab ipſis enim potiſſimè pendent diurnæ, & horariæ temporum mutationes.

De Arte, & Natura.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

QVÆ nunc ſubijcio ſpectarent quidem ad primum librum, ibi tamen, quòd hæc ſilentio præterire ſtatuiſſem, non expoſui: Poſtea dum prælo cuderetur hoc opus, hæc etiam opus eſſe omninò conſului tradere, quæ paucis accipere nō te pigeat, benigniſsime Lector, cuius prudentiæ diffidere pluribus vſus verbis non effugerem quin viderem, &

Caueas *primò*, quod ego nunc nomine naturæ, ordinem illum intelligo, quo, causæ necessariæ, & necessariò agentes creatæ sunt, & præordinatæ à Deo rerum omnium opifice, Summo, Optimo, Maximo; vt quòd ignis calefaciat, quòd Sol luceat, quòd animal nutriatur, & similia, quæ secundum naturæ decursum necessariò per viam Diuinæ præordinationis ab exordio Mundi progrediuntur.

Secundò caueas, quòd nomine artis, intelligo libertatem causarum liberarum, qua libertate ex arte, & industria applicantur, adiuuantur, separantur, peruertuntur, siuè quocunq; alio modo tractantur causæ illæ necessariæ; quæ viribus causarum liberarum aliquo modo subijciuntur.

Tertiò caueas, quòd libertas in causis liberis, quamuis possit à causis necessarijs allici ad magis appetendum hanc, quàm illam rem, ex appræhensione bonitatis, pulchritudinis &c: tamen cogi nullatenus potest: vt exempli gratia fames, & sitis, quæ conseruandi gratia indiuidui in animalibus ab Astris suscitantur, alliciunt hominem ad comedendum, & bibendum, non cogunt; & nonne famem, & sitim liberè patiuntur homines cum ieiunant; & quare non poterunt sustinere adhuc vsq; ad mortem? nam quòd magis, vel minus non est quæstio; sufficit quòd aliquo modo famem liberè patiantur, tùm etiam alias corporis passiones à causis necessarijs suscitatas.

Quartò caueas, quòd plures effectus causarum necessariarum, & plures quoq; causæ necessariò agentes possunt peruerti, & de facto peruertuntur, vel adiuuātur, vel alio modo tractantur à causis liberis; nam aliàs non essent liberæ: Terra quippe filijs hominum à Deo dicitur fuisse data, vt in ea pro sua libertate operarentur. Cum hoc tamen, quòd non omnes effectus, neq; omnes causæ necessariò agentes peruerti possint à causis liberis, sed tantummodo, quæ viribus earum subijciuntur. Et hinc est, quòd qui ingenio magis præstant, industria, & arte sua plura possint efficere, & plures, & nobiliores causas necessarias, & earum effectus tractare, peruertere &c: quam possint ingenio hebetiores.

Quintò caueas, quòd Sidera ex parte sui agunt in hominum corpora disponendo, & afficiendo singula suis qualitatibus, & adeo, quòd qualitates, & accidentia vnius hominis non pendeant ab influxu, qui fit in altero homine.

Sextò, caueas Astra quoad ea, quæ extrinsecus aduentant, vt sunt honores, diuitiæ, munera, & similia, nullo alio modo influere, nisi disponendo hominem talibus qualitatibus, moribus, dotibus, &c: quibus, vel alliciunt hominū animos in sui obsequium, vel expellunt: hinc verè dictum vnumquemquè suæ fortunæ auctorem esse; idest principium sortis in singulis esse. Ex hoc autem sequitur, quòd non omnes quibus Astra influunt Regnum, Reges fiant, pluribus de causis id peruertentibus; fiunt autem Reges ex ijs, qui in magis proxima dispositione, & propinquitate situs reperiuntur, vt ex ijs quibus Astra magis fauent modo, quem dixi.

Septimò caueas, quòd ex arte, & natura emergit confusa quædam mixtio, vt non omnia, quæ præordinata sunt in natura, seu in causis necessarijs exeant ad lucem, & habeant suum effectum, eo quia peruertantur ab arte, ideoq; non omnes naturæ effectus possint præuideri: Neq; quæcunq; fiunt ab arte sortiantur

tur

tur optatum finem, eo quòd natura iuxtà cursum suæ præordinationis aliter disponat.

Octauò, tandem caueas, quòd infinitis penè modis, & artibus libertas caussarum liberarum tractat res naturæ, vel coadiuuando, vel resistendo, qui tamen modi ad vnum censeo caput, quòd redigantur omnes; nimirum ad applicando actiua passiuis. Hæc autem omnia eu identissima sunt.

Ex quibus perspicuum fit quàm multipliciter decipiantur Astrologi quidam incauti plura prædicendo, quæ quia manifestam inuoluunt repugnantiam, in contemptum, & ludibrium incidunt, non modò apud peritos, & prudentes, sed etiam apud rudes, & omninò simplices: vt

Primò, falluntur qui putant sedula educatione non posse mores in pueris ad libitum parentum, & nutrientium concipi; quod in ipsis brutis manifestissimè constat, in quæ studio, & arte plures ludicri mores, & dotes, quamuis in ipsis natura validissimè renuat, introducuntur.

Secundò, decipiuntur qui bonarum artium perpetuam imperitiam natis prædicunt, quasi ex libertate non possint vigilijs, & labore sibi comparare: Verum tamen est, quòd ingenij docilitas, & peculiaris ad disciplinas etiam in specie propensio plurimum conferat, atq; ad longè vlteriorem perfectionem, & minori labore deducat.

Tertiò, decipiuntur prædicentes natis, quæ ad fidem, & pios mores attinent, quasi non possit homo amore, & timore sui conditoris Domini Dei, tum etiam cultu legis naturæ pro sua libertate se subtrahere ab iniquitate, illecebris, & impijs gestis: quamuis hæc à Sideribus quam validissimè infundantur: etenim profectò Sancti viri Dei non aliunde prœmia meritorum assequuntur, nisi per eam, quam ab acerrimis certaminibus cum illecebris, & prauis sensuum propensionibus victoriam reportant, & quò maior est pugna, eò gloriosiorem triumphum victoriæ, magis amplum præmium, splendidiorem coronam, quàm nonnisi legitimè certanti paratam testatus est Diuus Paulus, nam qui caret hostibus non pugnat, neq; victoriam, indeq; præmium aliquod consequi meretur, vt habet *Io. Chrisostomus homil. 63. in Matth. Cogita tecum si aut à natura talis esses*, de eunuchis ibi sermo; *aut ab hominibus eam iniuriam passus quid faceres, cum, & huiusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequereris*.

Quartò, decipiuntur qui censent, quòd accuratè colentes, & arantes terram, serentes arbores &c: velint nolint Astra, parare sibi fruges, & segetes caritatis tempore nullatenus possint: nam re vera quemadmodum Sidera non valent à se Solis afferre nobis alimonias, saltem optimas, & electas; ita si studio, & labore incumbatur, licet possint imminuere, funditùs auferre nequaquam: etenim Sidera vniuersalem quamdam influentiam ad nos immittunt, vel fœlicem, vel infœlicem, hæc negligentibus omnino denegat, illa nimis auarè largitur; diligentibus hæc parùm admit, illa copiosissimè tribuit.

Quintò, decipiuntur qui censent, præcaueri non posse futuros infœlices Astrorum afflatus, vt eos, vel euadere, aut saltem imminuere, si infœlices sint, vel augere si fœlices, quis arte, & industria minimè possit, puta medicamentis, alijsq; cautelis: nam medicamenta præmuniunt corpus ad resistendum, & qui

ea sumunt roborantur, & adiuuantur ad euadendum, & præseruandum; qui negligunt, auxilio, & robore se se manifestè priuant: Alias enim Ars medica prorsus inanis, & otiosa foret, & vt talis abijcienda fuisset, quòd stultum omninò, & impium: medicum enim ad hominis bonum, & commodum Deus Optimus in sacris codicibus creasse perhibetur.

Septimò, decipiuntur qui viris, vel vxoribus prædicunt plura matrimonia maximè statis temporibus.

Octauò, decipiuntur prædicentes alicui Regnum, vel aliquod in specie munus, maximè stato tempore.

Tandem in caput suum à causis liberis ominari, qui à causis necessarijs ominatur infœlicia potestatem capitis habentibus, nescius ex eminenti libertate, qua tales potiuntur ad tantam indignationem prouocari posse, quòd velint nolint Astra potius ipsum Astrologum infœlicitatibus afficiant, vt mendacem, & fatuum reddant: nam Astra non tollunt libertatem quin homines contra Stellarum influxum in huiusmodi casibus agere possint, tùm maximè, qui summa libertate, & potestate pollent.

Hactenus hic dixerim sapientibus loquutus, quibus pauca satis, infinitos penè possibiles huiusmodi casus excogitandos, & memoriæ committendos in condendis prædictionibus prudentiæ tuæ, Lector humanissime, relinquens.

Exempla Duodecim.


CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

PRæsentes Quæstiones nondum absolueram, cum iampridem inter disputandum coram Astrologiæ Peritos, opinationes has meas in medium exhibuissem, sæpius rogatus Compendiolum edere compulsus fui; ad cuius res comprobandas Exempla plura attuli, & in ijs excogitatas à me Siderum res admodum euidenter ostendi. Quoniã verò nuper inueni Parallelos in Mundo, *de quibus in Quæstionibus lib. 2. cap. 9. satis ratione disserui*: Quamuis innumerabilia penè mihi non desint Exempla, quibus exquisito calculo res meæ cunctæ demonstrantur, quorum centum si faxint superi publicæ vtilitatis gratia edere ducam; nihilominus tamen necessarium omninò censui nonnulla nunc ad horum Parallelorum euidentiam exponere, vt si qui sunt, quorum intelligentiæ non plenæ suadent rationes, patefaciant sensibus Exempla: & ne quis ea existimet pro mea libertate ficta fuisse assumpta, partim ex opere de diebus Criticis *Argoli* denuo retuli, nimirum octo; quatuor quæ supersunt à Doctis, & probatissimis viris adhuc viuentibus accepi. Cæterùm præ multis ea mihi visa sunt afferenda, in quibus de vitæ Prorogatore disputari, & dubitari nulla ratione possit: nam ex his duodecim Exemplis octo sunt, quæ Prorogatores habent in supremo Culminis Angulo viribus robustissimos, reliqua in succedenti vndecima domo, & plurimos in suis dignitatibus; adeout à vitæ moderatione seponi nullo iure possint: alioquin Astrosophiæ, quæ dignitas? quæ veritas? vel quis ordo? nihil prorsus boni, sed confusio (pace dixerim) & stultitia. Hæc igitur

igitur libenti percurras animo, studiose Lector, & si quid in aduersum obijciendum cognoueris, mihi quam iucundum scias facturus, si luci tradideris.

Exemplum Primum.

Henrici III. Galliarum Regis.



Latitudo.

♄	1.	21.	M.	♂	1.	1.	S.	☿	0.	57.	S.
♃	0.	19.	S.	♀	1.	29.	M.	☽	4.	50.	M.

IN hoc Exemplo priusquam Parallelos in Mundo cognouissem, putabam quòd Luna, quæ proculdubio vitæ Prorogatrix est, Anno 38. ad sesquiquadratum

quadratum Saturni in Mundo acceptum peruenisset; sed quoniam semper censui, quòd hic radius, eo quia non sit admodum hostilis, & efficax, non potuerit adeò ingentem effectum producere; diù laboraui veram, & efficacem causã quærens. Postmodum deprehendi, quòd Luna ad Parallelum Martis in Mundo acceptum duplici motu, recto scilicet, & conuerso peruenisset, sicut dixi, & supputaui etiam in *Quæst. lib. 2. cap. 9.* Cum enim Luna in hac genesi nondum tetigerit Culmen decimæ domus, quando Mars, qui est in quarta domo motu raptus, seù horario postquam pertransijt Imum, dirigens iter versus cuspidem tertiæ domus, peruenit ad eam distantiam ab Imo, quam habet Luna à Culmine, sumpta comparatione ad arcum Lunæ diurnum, & Martis nocturnũ; tunc Luna secundum motum rectum perpessa est Parallelum Martis in Mundo: dixi secundum motum rectum, secundum quem Prorogatores immobiles consistunt in Mundo, & mouentur directè versus partes orientaliores primi mobilis: Cuius Directionis supputatio sic se habet. Ascensio recta Culminis est p. 18. 27.

Lunæ.	*Martis.*
Ascensio recta p. 47. 45.	Ascens. recta p. 205. 57.
Differ. ascen. p. 14. 37.	Differ. ascen. p. 10. 56.
Arcus semid. p. 104. 37.	Arcus semin. p. 100. 56.
Distant. recta p. 29. 18.	Distant. recta p. 7. 30.

Nunc per regulam auream quæro, si arcus semidiurnus Lunæ p. 104. 37. dat eiusdem distantiam à Culmine p. 29. 18. Quam distantiam dabit arcus seminocturnus Martis p. 100. 56? emergit verò distantia secundaria p. 28. 16. quæ est Martis ab Imo completa Directione, quæ addita cum primaria, eo quia Mars est ante cuspidem Imi; & locus Directionis eiusdem post eamdem cuspidem, fit arcus Directionis p. 35. 46. Qui pro æquatione additus ascensioni rectæ Solis, quæ est p. 184. 8. efficit aggregatum p. 219. 54. quibus respondet ex Ecliptica gr. 12. 24. signi Scorpionis, ad quem gradum Sol motu diurno ab hora natalis peruenit diebus 38. ferè, qui tot annos indicant.


Motu autem conuerso Luna ponitur in Parallelo Martis in Mundo, dum ipsa mouetur motu raptus postquam pertransijt Culmen, vbi distat à Culmine versus nonam domum similiter, sicut distat Mars ab Imo: at verò distãtia Martis modica est, adeout non sit opus accipere partem proportionalem; sed possumus addere distantiam Lunæ à Culmine, ad distantiam Martis ab Imo, & efficitur arcus Directionis p. 36. 48. quæ vno tantum gradu differt ab alia. Hoc autem Exemplum spectatu dignum est ratione subiecti, tum etiam rei, & violentiæ.

Exemplum Secundum.

Caroli filij Regis Hispan. Philippi II.

Figuram huius Exempli exponit *Argolus, lib. 2. pag. 43.* & dicit esse veram, & fuisse descriptam à *Gargeo*; in qua pro morte, quæ accidit anno 23. ex-

pleto, assumit quadratum Martis ad horoscopum in signifero sumptum, cum tamen Sol omninò sit vitæ moderator in centro ferè Culminis insidens. Ego



autem antea suspicabar non esse veram hanc figuram natalis; nunc dico quòd Sol anno 23. peruenit ad Parallelum Martis in Mundo duplici motu, recto & conuerso, motu recto contingit quando Mars motu horario, seù raptus, post quam pertransijt Culmen, positus est in pari à Culmine distantia versus nonam domum, quam habet Sol ab eodem Culmine in natali; cuius hæc est supputatio.

Solis.		*Martis.*	
Ascensio recta	p. 116. 57.	Asc. recta	p. 126. 44.
Dist à Culmine	p. 6. 14.	Dist. à Culm.	p. 16. · 1.

Cum

Cum verò arcus ſemidiurnus Solis, & Martis parum, aut nihil differant; & loca Directionis ſint, quàm proxima Culmini, poſſumus abſq; ſuſpicione erroris efficere diſtantiam Martis ſecundariam, illam, quam habet Sol in natali: & emergit arcus Directionis p. 22. 15. qui pro æquatione additus aſcenſioni rectæ Solis, efficit aggregatum p. 139. 12. reſpondens in Ecliptica ad gr. 17. Leonis, ad quem Sol a die, & hora natalis peruenit diebus 23. qui totidem annos indicant.

Directione cõuerſa Sol motu horario, ſeù raptus, ponitur in Parallelo Martis in Mundo quando, dum mouetur verſus nonam domum, ſimiliter diſtat à Culmine, ſicut diſtat Mars in natali. Supputatio talis eſt. Sol diſtat à Culmine p. 6. 14. cum verò idem ferè ſit arcus ſemidiurnus Solis, & Martis, vt dixi, ſit, vt diſtantia Solis ſecundaria ſit eadem, quæ eſt Martis in natali, quare idem arcus Directionis prouenit: in hac autem ſecundaria diſtantia Sol inuenit caudam Draconis ad vnguem, nullo ſuffragante beneficio, Thema quoq; reſpondet exquiſitè: In qua Directione concurrit etiam Mercurius, qui in alijs Ephemeridibus ponitur in gr. 7. ferè Leonis.

Exemplum Tertium.


Alexandri Cardinalis Vrſini.

POnitur hoc Exemplum ab *Argolo lib. 2. pag.* 57. in quo ad annum 34. mortis dirigit horoſcopum ad oppoſitionem Martis, quamuis Sol, quia eſt in Culmine validiſſimus, ſit vitæ largitor; cum ergo ad annum 34 non appareat aliqua Solis directio hoſtilis ſecundum communem doctrinam, putabam horã huius geneſis non eſſe veram. Nunc dico, quod Sol appulit ad Parallelum in Mundo Saturni duplici motu, recto ſcilicet, & conuerſo eodem ferè tempore: & poſterioris ſupputatio hæc eſt.

Solis.			*Saturni*		
Aſcenſio recta	p. 269.	54.	Aſcenſio recta	p. 117.	11.
Declinatio	p. 23.	32.	Declinatio	p. 20.	19.
Arcus ſemid.	p. 66.	2.	Arc. ſeminoct.	p. 69.	49.
Diſt. à Culm.	p. 6.	10.	Diſt. ab Imo	p. 33.	27.

Quæro igitur ſi arcus ſeminocturnus Saturni p. 69. 49. dat eius diſtantiam ab Imo p. 33. 27. quam diſtantiam dabit arcus ſemidiurnus Solis p. 66. 2? prouenit ergo diſtantia Solis ſecundaria à Culmine p. 31. 45. quæ addita cum primaria efficit arcum Directionis p. 37. 55. Hunc pro æquatione addo aſcenſioni rectæ Solis, & efficio aggregatum p. 307. 49. reſpondens in Ecliptica ad gr. 5. 25. Aquarij, ad quem gradum Sol peruenit diebus 34. ab hora, & die natalis, qui tot annos indicant.

Supputatio vero Directionis Solis ſecundum motum rectum ad Parallelum Saturni in Mundo ſic ſe habet. Addo diſtantiam Saturni ab Imo, ad diſtantiam Solis à Culmine, quæ eſt p. 6. 10. nam quia Sol parum diſtat à Culmine, & parum




rum differunt inter se arcus Solis semidiurnus, & Saturni seminocturnus, paruã quoq; differentiam efficiunt: & emergit arcus Directionis p. 39. 37. adeoquòd parum distaret à Sole Parallelus Saturni in Mundo secundum motum rectum.

Exemplum Quartum.

Francisci Medices Fratris Cosmi II.

IN figura huius natalis *Argolus* non ponit horam, & censeo, eò quia produxerit tempus à verò 12. minuta horæ, seù posuerit Astra tribus partibus Æquatoris versus occidentaliores situs in Mundo, vt duceret Martem ad horoscopum anno 20. cum tamen Luna proculdubio sit.

Latitudo



Latitudo.		Planetarum.	
♄	o. 5. S.	♀	o. 22. M.
♃	o. 27. M.	☿	1. 52. S.
♂	o. 27. S.	☽	4. 35. M.


Vitæ moderatrix. Nunc ergo si ponamus in Culmine gr. 13. Aquarij, quòd verisimile est, & possibile, quia differentia modica est, Luna dirigitur motu recto ad Parallelum Saturni in Mundo acceptum, cum præcessisset quadratus Martis in Zodiaco, & succedat intra duos gradus, Parallelus item in Mundo eiusdem Saturni secundum motum conuersum. Supputatio motus recti hæc est. Ascensio recta Culminis est p. 315. 29.

Lunæ.		*Saturni.*	
Ascensio recta	p. 346. 56.	Ascensio rec.	p. 127. 27.
Declinatio	p. 10. 35.	Declinatio	p. 19. 9.
		Oo 2	Differ.

Differ. ascens.	p. 10.	13.		Diff. ascens.	p. 19.	16.
Arcus semid.	p. 79.	47.		Arc. semin.	p. 70.	44.
Dist. à Culm.	p. 31.	27.		Dist. ab Imo	p. 8.	2.

Quæro, si semidiurnus arcus Lunæ p. 79. 47. dat eius distantiam à Culmine p. 31. 27. quam distantiam dabit ab Imo arcus seminocturnus Saturni, qui est p. 70. 44? fit autem distantia secundaria Saturni p. 27. 55. ab Imo, quando ponitur in Parallelo Lunæ in Mundo, à qua detracta distantia primaria, quæ est p. 8. 2. relinquitur arcus Directionis p. 19. 53. Qui pro æquatione additus ascensioni rectæ Solis, quæ est p. 50. 11. efficit aggregatum p. 70. 4. respondens gr. 11. 31. Geminorum, ad quem Sol à die, & hora natalis peruenit diebus 20., qui tot annos demonstrant.

Supputatio Directionis Lunæ ad Parallelum Saturni in Mundo motu conuerso talis est. Si arcus seminocturnus Saturni p. 70. 44. dat eius distantiam ab Imo p. 8. 2. quam distantiam dabit à Culmine arcus semidiurnus Lunæ p. 79. 47? & fit distantia Lunæ secundaria p. 9. quæ detracta à primaria efficit arcum Directionis p. 22. 27. ferè, duabus nimirum partibus superiore maiorem.



Latitudo

Latitudo.

♄ o. 1. M.	♂ o. 10. S.	☿ o. 31. M.
♃ o. 28. S.	♀ 4. 15. M.	☽ 1 37. S.

Exemplum Quintum.

Federici Cardinalis Borromaei.

DEcessit è viuis, seù potius dixerim è mortalibus terræ incolis, vt inter Diuos perpetuò viueret Cœlo, piorum suorum operum præmia suscepturus humanissimus, atq; integerrimus hic Præsul anno 1631. die 21. Septemb. ætatis 67. & dieb. 23. in cuius rei naturalem ab Astris causam *Argolus* assumit Saturni trinum ad horoscopum, qui Signa longissimæ ascensionis, quia continet, ex communi omnium Sententia nullo modo lethalis dici potest: Deinde Sol est vitæ moderator omninò. At ego re vera cogitabam tempus huius genesis fictitium esse, quia nulla mihi constabat Solis infausta Directio: Nunc dico, quòd Sol Directione directa applicuit ad Parallelum Saturni in Mundo, cum paulò prius stetisset ad Parallelum eiusdem item in Mundo secundum motum conuersum; aut certè in Culmine natalis adsunt gradus 22. Cancri, & Directio conuersa respondet tempori mortis, directa verò subsequitur statim intra duos gradus. Supputatio secundum motum rectum hæc est absq; alteratione figuræ.

fol. 117 de Decub. egr.


Solis.		*Saturni.*	
Ascensio recta	p. 156. 36.	Ascensio recta	p. 132. 46.
Horaria temp.	p. 16. 40.	Horaria temp.	p. 18. 6.
Dist. à Culm.	p. 41. 25.	Dist. à Culm.	p. 17. 35.

Quæro si Solis horaria tempora p. 16. 40. dant distantiam eiusdem à Culmine p. 41. 25. quam distantiam dabunt Saturni a Culmine versus nonam domũ, horaria tempora eiusdem p. 18. 6? & fit distantia secundaria Saturni p. 44. 58., quæ addita cum primaria, quia Saturnus in natali est à parte orientis, & per Directionem ponitur versus occasum, efficit arcum Directionis p. 62. 35. Hunc pro æquatione addo ascensioni rectæ Solis, & efficio aggregatum p. 219. 11. respondens in Ecliptica ad gr. 11. 40. Scorpionis, ad quem Sol à die, & hora natalis peruenit diebus 67. qui tot annos demonstrant.

Exemplum sextum.

Marci Antonij Columnæ Comitis.

ARgolus in hac Genesi ad annum 49. cum dimidio ferè, in quo mortuus est natus, dirigit horoscopum ad quadratum Martis in Zodiaco, licet subsequatur quadratus Iouis, & non longè præcesserit trinus Veneris, & sit ibi præsens trinus Solis natura Veneris induti, qui cum plures sint benefici, robustiores




tiores proculdubio videntur ad seruandum, quàm sit solus Mars ad perdēdum: & hæc ex communi aliorum sententia; nam ipse iam satis ostendi re, & ratione, quòd radij ad Cardines in Zodiaco accepti sint inanes, & effectu vacui. Deinde secundum *Ptolemæi* doctrinam, & rationem naturalem Pars fortunæ est vitæ moderatrix, quæ mortis tempore ad Saturni Parallelum in Mundo motu recto, & conuerso eodem tempore applicuit: & supputatio facilis est, eo quia Saturnus, & Pars fortunæ simul ferè sint, & differentia modica inter eorum arcus semidiurnos, itaut non sit spectanda: quare ex additione distantiæ à Culmine Saturni, cum distantia partis emergit, vtraq; Directio, recta scilicet, & conuersa: itaut Saturnus ponatur in Parallelo partis quando distat à Culmine versus nonam domum, sicut distat pars à Culmine in natali, & hæc est Directio recta, in qua pars non discedit à suo situ in Mundo: Directione verò conuersa pars ponitur in Parallelo Saturni in Mundo, quando ipsa distat à Culmine

ne versus nonam domum, sicut distat à Culmine Saturnus in natali.

Partis fortunæ.	*Saturni.*
Ascensio recta p. 128. 1.	Ascensio recta p. 126. 57.
Dist. à Culm. p. 23. 10.	Dist. à Culm. p. 22. 7.

Addo distantiam partis à Culmine ad distantiam Saturni, & efficio arcum Directionis p. 45. 17. quem pro æquatione addo ascensioni rectæ Solis, quæ est p. 348. 39. & efficio aggregatum p. 393. 56. à quo reiecto integro circulo remanet residuum p. 33. 56. cui respondet in Ecliptica pars 6. 15. Tauri, ad quam Sol ab hora natalis peruenit diebus 49. cum dimidio ferè, qui tot annos significant. Cæterum quod causa mortis in hac genesi censenda sit infausta directio Partis fortunæ, comprobabitur Professoribus ex ipsa re, & causa, ob quam iter haberet cum decessit: quod præordinatum euidentissimè constat in natali à coniunctione Saturni cum parte fortunæ.



Exemplum Septimum.

Francisci Gonzaga Ducis Mantuæ.

MAginus, & *Argolus* putant hunc Principem ægrotasse anno 19. ex ocursu reguli ad horoscopum: & *Argolus* insuper ex quadrato Saturni ad Lunam; cum tamen Sol sit Vitæ largitor omninò, vt potè validissimus in Culmine. Ego verò dico, quòd Sol ad Parallelum Saturni in Mundo secundum motum rectum directus est, & non necauit, quia succedebat Iuppiter. Supputatio hæc est.

Solis.				*Saturni.*			
Ascensio recta	p.	43.	54.	Ascensio recta	p.	23.	18.
Dist. à Culm.	p.	20.	45.	Dist. à Culm.	p.	0.	9.
Hor. tempor.	p.	17.	50.	Hor. tempor.	p.	16.	11.


Quæro nunc si horaria tempora Solis p. 17. 50. dant distantiam eiusdem p. 20. 45. quam distantiam dabunt horaria tempora Saturni p. 16. 11? & prouenit distantia Saturni à Culmine secundaria versus nonam domum p. 18. 41., quæ addita cum primaria, quia Saturnus propter latitudinem meridianam nondum tetigit cuspidem decimæ domus, vt patet ex ascensione recta Saturni, quæ maior est quam sit ascensio recta Culminis; efficit arcum Directionis p. 18. 50. qui æquatus more meo solito indicat annos 19.

Exemplum Octauum.

Bernardi Veimaris Ducis.

SOl in hoc natali, quia in supremo Cardine, & potissimè in propria domo, moderator est vitæ, non horoscopus, vt putat *Argolus*. Anæretam censeo esse Mercurium, vtpote ex plurium planetarum qualitatibus mixtum, magis tamen infortunarum, quæ cæteris fœlicibus in figura longè robustiores repeririuntur esse: Nam Mercurius est in sextili Veneris, in quadrato Martis, in trino, & Parallelo in Zodiaco Saturni, & in quadrato Lunæ: cumque maleficæ plures concurrant, & robustiores quoad cardines, & Mercurius separetur à beneficis, applicet verò maleficis, euidentissimè colligitur, quòd Mercurius maleficarum naturam induit. Manet autem in signo Leonis, & Sol cum corde exquisitè, hinc præcordiorum ariditas illa, de qua loquutus est *Argolus* à medicis reperta in interioribus Veimaris: Cumq; Mercurius sit in summo Culminis apice, & à Solis radijs liber, vtiq; robustissimus censendus est, sicut in cæteris quoq; effectibus talis apparuit; erat enim natus ingenio calidissimus. *Sol* verò ad Mercurij Parallelum in Mundo vtroq; motu, recto, & conuerso directus est tempore mortis, anno ætatis 35. cuius supputatio talis.

Solis



Latitudo ♀ 2. 2. M.		☿ 0. 32. M.	
Solis.		*Mercurij*	
Ascensio recta	p. 145. 47.	Ascensio recta	p. 128. 2.
Dist. à Culm.	p. 24. 47.	Dist. à Culm.	p. 7. 2.
Declinatio	p. 13. 46.	Declinatio	p. 19. 7.
Hor. temp.	p. 17. 52.	Hor. temp.	p. 19. 12.

Nunc quæro si horaria tempora Solis p. 17. 52. dant eius distantiam à Culmine p. 24.47. quam distantiam dabunt horaria tempora Mercurij p. 19. 12? & fit distantia Mercurij à Culmine secũdaria p. 26. 37. quæ addita cum primaria eiusdem facit arcum Directionis p. 33. 39. in qua Directione secundum motum rectum Solis, Mercurius ponitur similiter distans à Culmine versus nonam domum, sicut distat Sol in natali. Item

Item quæro, si horaria tempora Mercurij p. 19. 12. dant eius distantiam à Culmine p.7.2. quam distantiam dabunt horaria tempora Solis p.17.52? emergit verò distantia secundaria Solis à Culmine p.6. 32. in qua ponitur Sol secundum motum conuersum in simili distantia à Culmine versus nonam domum, prout distat Mercurius in natali: hæc ergo iuncta primariæ distantiæ eiusdem Solis dat arcum Directionis p. 31. 19. Hunc pro æquatione addo ascensioni rectæ Solis, & efficio aggregatum p. 177. 6. respondens p. 27. Virginis, ad quam Sol ab hora natalis peruenit diebus 35., qui totidem annos metiuntur. Hucusq; Exempla ex *Argola* desumpta sunt.

Exemplum Nonum.

Iulij Cardinalis Sabelli.


CArdinalis hic eruditione prudentia, & integritate fuit eximius, cuius decessus, totius tempus penè Christiani orbis corda transfixit, quippe qui virtutibus vniuersis cumulatus in sui non minus amorem, quam summam etiam admirationem animos hominum trahebat. Et non me latet huius artis professores eius subsequutum obitum, sicut ex dilectione nolebant credere, ita neq; ex arte potuisse: nam secundum communem doctrinam, & methodum nulla prorsus tunc extat Solis vitæ moderatoris infausta Directio, sed neq; Ascendentis, adeo quod nullum adsit perfugium.

Cæterum hæc genesis circumfertur vbiq; & quæ iam olim ad me peruenit, eadem nouissimè ex vrbe transmissa est ab *Admod. Reuer. P. D. Paulo Antonio Ranzeo Mediolanensi*, viro probitate litteris, & disciplinis, etiam Mathematicis ornatissimo, valida adhuc ætate superstite.

Equidem sanè Directionis huius tempora nondum adesse putabam, proxima tamen suspicabar, eò quòd natalis Thema mihi ratum exquisitè non constaret: Sol igitur ad Parallelum Saturni in Mundo vtroq; motu, recto & conuerso, sicut in præcedentibus Exemplis deuolutus est: cuius Directionis hæc est supputatio.

Solis.		*Saturni.*	
Ascensio recta	p.129. 26.	Ascensio recta	p.317. 12.
Declinatio	p. 18. 35.	Declinatio	p. 17. 31.
Hor.tempor.	p. 17. 56.	Hor. tempor.	p. 17. 45.
Dist. à Culm.	p. 25. 41.	Dist. ab Imo	p. 33. 27.

Quoniam verò parum differunt inter se Declinationes Solis, & Saturni, & multo minus horaria tempora, possumus tutò efficere Directionem per ascensiones rectas, addendo distantiam Saturni ab Imo, ad distātiam Solis à Culmine; & fit arcus Directionis p.59.8. quem pro æquatione addo ascensioni rectæ Solis, & efficio aggregatum p. 188. 34. respondens gradibus 9. 20. Libræ; ad quos Sol ab hora natalis peruenit diebus 64. qui totidem annos metiuntur: & est supputatio vtriusq; Directionis, idest rectæ, quia Saturnus positus est in eadem




Latitudo.					
♄	0. 56.	M.	♀	1. 7.	S.
♂	1. 23.	M.	☽	5. 0.	M.
			♃	0. 55.	S.

dem ab Imo diſtantia verſus tertiam domum, quam diſtantiam habet Sol à Culmine in natali; & etiam conuerſæ, qua Sol poſitus eſt in eadem diſtantia à Culmine verſus nonam domum, quam diſtantiam habet Saturnus ab Imo in natali: itaut Sol vtroq; motu ad Saturni Parallelum in Mundo perueniſſet anno 64. in quo ſuauiſſimus hic Princeps obijt.

Exemplum Decimum.

D. Hilarij N. Mantuani.

RElligioſus, & probus hic erat, qui cum die 5. Septembris 1641. circa horam 1. noctis ſequent. in circulo plurium infœlici caſu reperiretur, glande fiſ-



Latitudo.				Declinatio.		
♄	0.	6.	S.	♃	20.	7.
♃	0.	55.	M.	♂	22.	36.
♂	0.	16.	S.	☉	23.	18.
♀	2.	15.	S.	♀	22.	3.
☿	0.	48.	M.	☿	21.	49.

tulæ tormentariæ, quam contra ipſum fortuna in rectum tenderat, & eius rotæ lationem conceſſerat, accenſo igne, pectore transfoſſus, obijt die 13. eiuſdem menſis; ætatis anno 32. cum tribus menſibus expletis. Hanc geneſim, duaſq; ſequentes dudum accepi à *D. Carolo Maria Cardono à Mantua*, viro plurimarum diſciplinarum genere, potiſſimè mathematicarum, erudito, qui florida adhuc ætate potitur, & ne ficta videar exhibuiſſe ſomnia, veritatem harum geniturarum teſtabitur.

In

In hoc natali Sol est vitæ moderator, qui iam euaserat Directione recta corpus Martis, ratione succedentium ibi Parallelorum in Zodiaco Iouis, Mercurij, & Veneris, vt ex eorum Declinatione constat: tempore verò infœlicis huius casus Sol ad Parallelum Martis in Mundo vtroq; motu recto, & conuerso delatus est; cuius supputatio facilis, quia eadem est Declinatio Solis, & Martis, itaut Sol in natali Parallelo Martis in Zodiaco deuinceretur; cumq; Luna esset quadrato Saturni, proculdubio violentiam minabantur ex *Ptolemæi* doctrina.

Solis.			*Martis.*		
Ascensio recta	p. 81.	35.	Ascensio recta	p. 109.	55.
Dist. à Culm.	p. 2.	28.	Dist. à Culm.	p. 30.	48.

Addo nunc distantiam Solis ad distantiam Martis à Culmine, & emergit arcus Directionis p. 33. 16. qui pro æquatione additus ascensioni rectæ Solis, efficit aggregatum p. 114. 51. respondens in Ecliptica gradui 23. o. Cancri, ad quem Sol ab hora natalis peruenit diebus 32. & quadrante, qui tot annos significant: Est autem supputatio vtriusq; Directionis, & rectæ, qua Mars versus nonam Domum ponitur similiter distans à Culmine, sicut Sol in natali; & conuersæ, qua Sol versus nonam domum ponitur similiter distans a Culmine, sicut Mars.

Scio, quòd non deerunt, qui in hac genesi dirigant horoscopum ad quadratum Martis in Zodiaco; Quòd si Sol non censeatur vitæ moderator, quia validissimus in centro Culminis, quæ est ars Astrologiæ, nisi rerum confusio? Scientia nequaquam.

Exemplum Vndecimum.


Ferdin. Millini Episcopi Imolensis.

ERat hic præsul aspectu pulcherrimus, sermone blandus, suauissimis decoratus moribus: incidit autem in morbū ex animi puto solicitudinibus, quo plusquam per annum vexatus est, medicorum consilio sumit aquam Lucensem, quam cum non reddidisset obijt die 16. Augusti 1644. ætatis suæ anno 54. & dimidio ferè, ad quod tempus alij dirigunt horoscopum ad quadratum Martis, quamuis subsequatur statim sextilis Iouis cum finibus Veneris, qui ad seruandū, maximè in ætate robusta idonei censendi sunt ex doctrina *Ptolemæi*: Deinde Luna proculdubio, non horoscopus est vitæ moderatrix validissima, quia in Culmine sita, & plena luminibus.

Ego autem plures Lunæ ad maleficas directiones reperio, tàm in Zodiaco, quàm in Mundo, & in Mundo, tàm secundum motum rectum, quàm conuersum. Nam in Zodiaco Luna lustrabat partem 24. Libræ cum latitudine Septentr p. 4. 44. vbi præcesserat sesquiquadratus Saturni; sed hoc nihil est; cum Luna habeat ibi Declinationem p. 5. o. & Mars p. 5. 54. si locus Lunæ sumatur secundum Parallaxim, sicut rationi consentaneum esse in quæstionibus demōstraui, parum admodum differt à Declinatione Martis; itaut Luna tunc in

Martis

pleto, assumit quadratum Martis ad horoscopum in signifero sumptum, cum tamen Sol omninò sit vitæ moderator in centro ferè Culminis insidens. Ego



autem antea suspicabar non esse veram hanc figuram natalis; nunc dico quòd Sol anno 23. peruenit ad Parallelum Martis in Mundo duplici motu, recto & conuerso, motu recto contingit quando Mars motu horario, seù raptus, post quam pertransijt Culmen, positus est in pari à Culmine distantia versus nonam domum, quam habet Sol ab eodem Culmine in natali; cuius hæc est supputatio.

Solis.		*Martis.*	
Ascensio recta	p. 116. 57.	Asc. recta	p. 126. 44.
Dist à Culmine p.	6. 14.	Dist. à Culm. p.	16. ·1.

Cum

Cum verò arcus ſemidiurnus Solis, & Martis parum, aut nihil differant; & loca Directionis ſint, quàm proxima Culmini, poſſumus abſq; ſuſpicione erroris efficere diſtantiam Martis ſecundariam, illam, quam habet Sol in natali: & emergit arcus Directionis p. 22. 15. qui pro æquatione additus aſcenſioni rectæ Solis, efficit aggregatum p. 139. 12. reſpondens in Ecliptica ad gr. 17. Leonis, ad quem Sol a die, & hora natalis peruenit diebus 23. qui totidem annos indicant.

Directione cõuerſa Sol motu horario, ſeù raptus, ponitur in Parallelo Martis in Mundo quando, dum mouetur verſus nonam domum, ſimiliter diſtat à Culmine, ſicut diſtat Mars in natali. Supputatio talis eſt. Sol diſtat à Culmine p. 6. 14. cum verò idem ferè ſit arcus ſemidiurnus Solis, & Martis, vt dixi, fit, vt diſtantia Solis ſecundaria ſit eadem, quæ eſt Martis in natali, quare idem arcus Directionis prouenit: in hac autem ſecundaria diſtantia Sol inuenit caudam Draconis ad vnguem, nullo ſuffragante beneficio, Thema quoq; reſpondet exquiſitè: In qua Directione concurrit etiam Mercurius, qui in alijs Ephemeridibus ponitur in gr. 7. ferè Leonis.

Exemplum Tertium.


Alexandri Cardinalis Vrſini.

Ponitur hoc Exemplum ab *Argolo lib. 2. pag.* 57. in quo ad annum 34. mortis dirigit horoſcopum ad oppoſitionem Martis, quamuis Sol, quia eſt in Culmine validiſſimus, ſit vitæ largitor; cum ergo ad annum 34 non appareat aliqua Solis directio hoſtilis ſecundum communem doctrinam, putabam horã huius geneſis non eſſe veram. Nunc dico, quod Sol appulit ad Parallelum in Mundo Saturni duplici motu, recto ſcilicet, & conuerſo eodem ferè tempore: & poſterioris ſupputatio hæc eſt.

Solis.		*Saturni*	
Aſcenſio recta	p. 269. 54.	Aſcenſio recta	p. 117. 11.
Declinatio	p. 23. 32.	Declinatio	p. 20. 19.
Arcus ſemid.	p. 66. 2.	Arc. ſeminoct.	p. 69. 49.
Diſt. à Culm.	p. 6. 10.	Diſt. ab Imo	p. 33. 27.

Quæro igitur ſi arcus ſeminocturnus Saturni p. 69. 49. dat eius diſtantiam ab Imo p. 33. 27. quam diſtantiam dabit arcus ſemidiurnus Solis p. 66. 2? prouenit ergo diſtantia Solis ſecundaria à Culmine p. 31. 45. quæ addita cum primaria efficit arcum Directionis p. 37. 55. Hunc pro æquatione addo aſcenſioni rectæ Solis, & efficio aggregatum p. 307. 49. reſpondens in Ecliptica ad gr. 5. 25. Aquarij, ad quem gradum Sol peruenit diebus 34. ab hora, & die natalis, qui tot annos indicant.

Supputatio vero Directionis Solis ſecundum motum rectum ad Parallelum Saturni in Mundo ſic ſe habet. Addo diſtantiam Saturni ab Imo, ad diſtantiam Solis à Culmine, quæ eſt p. 6. 10. nam quia Sol parum diſtat à Culmine, & parum




rum differunt inter se arcus Solis semidiurnus, & Saturni seminocturnus, paruã quoq; differentiam efficiunt: & emergit arcus Directionis p. 39. 37. adeoquòd parum distaret à Sole Parallelus Saturni in Mundo secundum motum rectum.

Exemplum Quartum.

Francisci Medices Fratris Cosmi II.

IN figura huius natalis *Argolus* non ponit horam, & censeo, eò quia produxerit tempus à verò 12. minuta horæ; seu posuerit Astra tribus partibus Æquatoris versus occidentaliores situs in Mundo, vt duceret Martem ad horoscopum anno 20. cum tamen Luna proculdubio sit.

Latitudo



Latitudo.	Planetarum.
♄ o. 5. S.	♀ o. 22. M.
♃ o. 27. M.	☿ 1. 52. S.
♂ o. 27. S.	☽ 4. 35. M.


Vitæ moderatrix. Nunc ergo si ponamus in Culmine gr. 13. Aquarij, quòd verisimile est, & possibile, quia differentia modica est, Luna dirigitur motu recto ad Parallelum Saturni in Mundo acceptum, cum præcessisset quadratus Martis in Zodiaco, & succedat intra duos gradus, Parallelus item in Mundo eiusdem Saturni secundum motum conuersum. Supputatio motus recti hæc est. Ascensio recta Culminis est p. 315. 29.

Lunæ.		*Saturni.*	
Ascensio recta	p. 346. 56.	Ascensio rec.	p. 127. 27.
Declinatio	p. 10. 35.	Declinatio	p. 19. 9.
		Oo 2	Differ.

Differ. ascens.	p.	10.	13.	Diff. ascens.	p.	19.	16.
Arcus semid.	p.	79.	47.	Arc. semin.	p.	70.	44.
Dist. à Culm.	p.	31.	27.	Dist. ab Imo	p.	8.	2.

Quæro, si semidiurnus arcus Lunæ p. 79. 47. dat eius distantiam à Culmine p. 31. 27. quam distantiam dabit ab Imo arcus seminocturnus Saturni, qui est p. 70. 44? fit autem distantia secundaria Saturni p. 27. 55. ab Imo, quando ponitur in Parallelo Lunæ in Mundo, à qua detracta distantia primaria, quæ est p. 8. 2 relinquitur arcus Directionis p. 19. 53. Qui pro æquatione additus ascensioni rectæ Solis, quæ est p. 50. 11. efficit aggregatum p. 70. 4. respondens gr. 11. 31. Geminorum, ad quem Sol à die, & hora natalis peruenit diebus 20., qui tot annos demonstrant.

Supputatio Directionis Lunæ ad Parallelum Saturni in Mundo motu conuerso talis est. Si arcus seminocturnus Saturni p. 70. 44. dat eius distantiam ab Imo p. 8. 2. quam distantiam dabit à Culmine arcus semidiurnus Lunæ p. 79. 47? & fit distantia Lunæ secundaria p. 9. quæ detracta à primaria efficit arcum Directionis p. 22. 27. ferè, duabus nimirum partibus superiore maiorem.



Latitudo

Latitudo.

♄ 0. 1. M.	♂ 0. 10. S.	☿ 0. 31. M.
♃ 0. 28. S.	♀ 4. 15. M.	☽ 1 37. S.

Exemplum Quintum.

Federici Cardinalis Borromaei.

DEceſſit è viuis, ſeù potius dixerim è mortalibus terræ incolis, vt inter Diuos perpetuò viueret Cœlo, piorum ſuorum operum præmia ſuſcepturus humaniſſimus, atq; integerrimus hic Præſul anno 1631. die 21. Septemb. ætatis 67. & dieb. 23. in cuius rei naturalem ab Aſtris cauſam *Argolus* aſſumit Saturni trinum ad horoſcopum, qui Signa longiſſimæ aſcenſionis, quia continet, ex communi omnium Sententia nullo modo lethalis dici poteſt: Deinde Sol eſt vitæ moderator omninò. At ego re vera cogitabam tempus huius geneſis fictitium eſſe, quia nulla mihi conſtabat Solis infauſta Directio. Nunc dico, quòd Sol Directione directa applicuit ad Parallelum Saturni in Mundo, cum paulò prius ſtetiſſet ad Parallelum eiuſdem item in Mundo ſecundum motum conuerſum; aut certè in Culmine natalis adſunt gradus 22. Cancri, & Directio conuerſa reſpondet tempori mortis, directa verò ſubſequitur ſtatim intra duos gradus. Supputatio ſecundum motum rectum hæc eſt abſq; alteratione figuræ.

Solis.	*Saturni.*
Aſcenſio recta p. 156. 36.	Aſcenſio recta p. 132. 46.
Horaria temp. p. 16. 40.	Horaria temp. p. 18. 6.
Diſt. à Culm. p. 41. 25.	Diſt. à Culm. p. 17. 35.

Quæro ſi Solis horaria tempora p. 16. 40. dant diſtantiam eiuſdem à Culmine p. 41. 25. quam diſtantiam dabunt Saturni a Culmine verſus nonam domū, horaria tempora eiuſdem p. 18. 6? & fit diſtantia ſecundaria Saturni p. 44. 58., quæ addita cum primaria, quia Saturnus in natali eſt à parte orientis, & per Directionem ponitur verſus occaſum, efficit arcum Directionis p. 62. 35. Hunc pro æquatione addo aſcenſioni rectæ Solis, & efficio aggregatum p. 219. 11. reſpondens in Ecliptica ad gr. 11. 40. Scorpionis, ad quem Sol à die, & hora natalis peruenit diebus 67. qui tot annos demonſtrant.

Exemplum ſextum.

Marci Antonij Columnæ Comitiſſ.


ARgolus in hac Geneſi ad annum 49. cum dimidio ferè, in quo mortuus eſt natus, dirigit horoſcopum ad quadratum Martis in Zodiaco, licet ſubſequatur quadratus Iouis, & non longè præceſſerit trinus Veneris, & ſit ibi præſens trinus Solis natura Veneris induti, qui cum plures ſint benefici, robuſtiores

fol. 117 de decub. egr.

ne versus nonam domum, sicut distat à Culmine Saturnus in natali.

Partis fortunæ.		*Saturni.*	
Ascensio recta	p. 128. 1.	Ascensio recta	p. 126. 57.
Dist. à Culm.	p. 23. 10.	Dist. à Culm.	p. 22. 7.

Addo distantiam partis à Culmine ad distantiam Saturni, & efficio arcum Directionis p. 45. 17. quem pro æquatione addo ascensioni rectæ Solis, quæ est p. 348. 39. & efficio aggregatum p. 393. 56. à quo reiecto integro circulo remanet residuum p. 33. 56. cui respondet in Ecliptica pars 6. 15. Tauri, ad quam Sol ab hora natalis peruenit diebus 49. cum dimidio ferè, qui tot annos significant. Cæterum quod causa mortis in hac genesi censenda sit infausta directio Partis fortunæ, comprobabitur Professoribus ex ipsa re, & causa, ob quam iter haberet cum decessit: quod præordinatum euidentissimè constat in natali à coniunctione Saturni cum parte fortunæ.



 Exemplum

Exemplum Septimum.

Francisci Gonzaga Ducis Mantua.

J. Gerad. 184. fol. 155.

MAginus, & Argolus putant hunc Principem ægrotaſſe anno 19. ex ocurſu reguli ad horoſcopum: & Argolus inſuper ex quadrato Saturni ad Lunam; cum tamen Sol ſit Vitæ largitor omninò, vt potè validiſſimus in Culmine. Ego verò dico, quòd Sol ad Parallelum Saturni in Mundo ſecundum motum rectum directus eſt, & non necauit, quia ſuccedebat Iuppiter. Supputatio hæc eſt.


Solis.			*Saturni.*		
Aſcenſio recta	p. 43.	54.	Aſcenſio recta	p. 23.	18.
Diſt. à Culm.	p. 20.	45.	Diſt. à Culm.	p. 0.	9.
Hor. tempor.	p. 17.	50.	Hor. tempor.	p. 16.	11.

Quæro nunc ſi horaria tempora Solis p. 17. 50. dant diſtantiam eiuſdem p. 20.45. quam diſtantiam dabunt horaria tempora Saturni p. 16. 11? & prouenit diſtantia Saturni à Culmine ſecundaria verſus nonam domum p. 18. 41., quæ addita cum primaria, quia Saturnus propter latitudinem meridianam nondum tetigit cuſpidem decimæ domus, vt patet ex aſcenſione recta Saturni, quæ maior eſt quam ſit aſcenſio recta Culminis; efficit arcum Directionis p. 18. 50., qui æquatus more meo ſolito indicat annos 19.

Exemplum Octauum.

Bernardi Veimaris Ducis.

SOl in hoc natali, quia in ſupremo Cardine, & potiſſimè in propria domo, moderator eſt vitæ, non horoſcopus, vt putat Argolus. Anæretam cenſeo eſſe Mercurium, vtpote ex plurium planetarum qualitatibus mixtum, magis tamen infortunarum, quæ cæteris fœlicibus in figura longè robuſtiores reperiuntur eſſe: Nam Mercurius eſt in ſextili Veneris, in quadrato Martis, in trino, & Parallelo in Zodiaco Saturni, & in quadrato Lunæ: cumque maleficæ plures concurrant, & robuſtiores quoad cardines, & Mercurius ſeparetur à beneficis, applicet verò maleficis, euidentiſſimè colligitur, quòd Mercurius maleficarum naturam induit. Manet autem in ſigno Leonis, & Sol cum corde exquiſitè, hinc præcordiorum ariditas illa, de qua loquutus eſt Argolus à medicis reperta in interioribus Veimaris: Cumq; Mercurius ſit in ſummo Culminis apice, & à Solis radijs liber, vtiq; robuſtiſſimus cenſendus eſt, ſicut in cæteris quoq; effectibus talis apparuit; erat enim natus ingenio calidiſſimus. Sol verò ad Mercurij Parallelum in Mundo vtroq; motu, recto, & conuerſo directus eſt tempore mortis, anno ætatis 35. cuius ſupputatio talis.



Latitudo ♀ 2. 2. M. | ☿ 0. 32. M.

Solis.		*Mercurij*	
Aſcenſio recta	p. 145. 47.	Aſcenſio recta	p. 128. 2.
Diſt. à Culm.	p. 24. 47.	Diſt. à Culm.	p. 7. 2.
Declinatio	p. 13. 46.	Declinatio	p. 19. 7.
Hor. temp.	p. 17. 52.	Hor. temp.	p. 19. 12.

Nunc quæro ſi horaria tempora Solis p. 17. 52. dant eius diſtantiam à Culmine p. 24. 47. quam diſtantiam dabunt horaria tempora Mercurij p. 19. 12? & fit diſtantia Mercurij à Culmine ſecũdaria p. 26. 37. quæ addita cum primaria eiuſdem facit arcum Directionis p. 33. 39. in qua Directione ſecundum motum rectum Solis, Mercurius ponitur ſimiliter diſtans à Culmine verſus nonam domum, ſicut diſtat Sol in natali. Item

Item quæro, si horaria tempora Mercurij p. 19. 12. dant eius distantiam à Culmine p.7.2. quam distantiam dabunt horaria tempora Solis p.17.52? emergit verò distantia secundaria Solis à Culmine p.6. 32. in qua ponitur Sol secundum motum conuersum in simili distantia à Culmine versus nonam domum, prout distat Mercurius in natali: hæc ergo iuncta primariæ distantiæ eiusdem Solis dat arcum Directionis p. 31. 19. Hunc pro æquatione addo ascensioni rectæ Solis, & efficio aggregatum p. 177. 6. respondens p. 27. Virginis, ad quam Sol ab hora natalis peruenit diebus 35., qui totidem annos metiuntur. Hucusq; Exempla ex *Argolo* desumpta sunt.

Exemplum Nonum.

Iulij Cardinalis Sabelli.

CArdinalis hic eruditione prudentia, & integritate fuit eximius, cuius decessus, totius tempus penè Christiani orbis corda transfixit, quippe qui virtutibus vniuersis cumulatus in sui non minus amorem, quam summam etiam admirationem animos hominum trahebat. Et non me latet huius artis professores eius subsequutum obitum, sicut ex dilectione nolebant credere, ita neq; ex arte potuisse: nam secundum communem doctrinam, & methodum nulla prorsus tunc extat Solis vitæ moderatoris infausta Directio, sed neq; Ascendentis, adeo quod nullum adsit perfugium.


Cæterum hæc genesis circumfertur vbiq; & quæ iam olim ad me peruenit, eadem nouissimè ex vrbe transmissa est ab *Admod. Reuer. P. D. Paulo Antonio Ranzeo Mediolanensi*, viro probitate litteris, & disciplinis, etiam Mathematicis ornatissimo, valida adhuc ætate superstite.

Equidem sanè Directionis huius tempora nondum adesse putabam, proxima tamen suspicabar, eò quòd natalis Thema mihi ratum exquisitè non constaret: Sol igitur ad Parallelum Saturni in Mundo vtroq; motu, recto & conuerso, sicut in præcedentibus Exemplis deuolutus est: cuius Directionis hæc est supputatio.

Solis.		*Saturni.*	
Ascensio recta	p.129. 26.	Ascensio recta	p.317. 12.
Declinatio	p. 18. 35.	Declinatio	p. 17. 31.
Hor.tempor.	p. 17. 56.	Hor. tempor.	p. 17. 45.
Dist. a Culm.	p. 25. 41.	Dist. ab Imo	p. 33. 27.

Quoniam verò parum differunt inter se Declinationes Solis, & Saturni, & multo minus horaria tempora, possumus tutò efficere Directionem per ascensiones rectas, addendo distantiam Saturni ab Imo, ad distãtiam Solis à Culmine; & fit arcus Directionis p.59.8. quem pro æquatione addo ascensioni rectæ Solis, & efficio aggregatum p. 188. 34. respondens gradibus 9. 20. Libræ; ad quos Sol ab hora natalis peruenit diebus 64. qui totidem annos metiuntur: & est supputatio vtriusq; Directionis, idest rectæ, quia Saturnus positus est in eadem

dem



Latitudo.


♄	0. 56. M.		♀	1. 7.	S.
♂	1. 28. M.		☽	5. 0.	M.
			♃	0. 55.	S.

dem ab Imo distantia versus tertiam domum, quam distantiam habet Sol à Culmine in natali; & etiam conuersæ, quia Sol positus est in eadem distantia à Culmine versus nonam domum, quam distantiam habet Saturnus ab Imo in natali: itaut Sol vtroq; motu ad Saturni Parallelum in Mundo peruenisset anno 64. in quo suauissimus hic Princeps obijt.

Exemplum Decimum.

D. Hilarij N. Mantuani.

Religiosus, & probus hic erat, qui cum die 5. Septembris 1641. circa horam 1. noctis sequent. in circulo plurium infœlici casu reperiretur, glande fistulæ



Latitudo.		Declinatio.
♄ 0. 6. S.		♃ 20. 7.
♃ 0. 55. M.		♂ 22. 36.
♂ 0. 16. S.		☉ 23. 18.
♀ 2. 15. S.		♀ 22. 3.
☿ 0. 48. M.		☿ 21. 49.

tulæ tormentariæ, quam contra ipsum fortuna in rectum tenderat, & eius rotæ lationem concesserat, accenso igne, pectore transfossus, obijt die 13. eiusdem mensis; ætatis anno 32. cum tribus mensibus expletis. Hanc genesim, duasq; sequentes dudum accepi à *D. Carolo Maria Cardono à Mantua*, viro plurimarum disciplinarum genere, potissimè mathematicarum, erudito, qui florida adhuc ætate potitur, & ne ficta videar exhibuisse somnia, veritatem harum geniturarum testabitur.

In hoc natali Sol est vitæ moderator, qui iam euaserat Directione recta corpus Martis, ratione succedentium ibi Parallelorum in Zodiaco Iouis, Mercurij, & Veneris, vt ex eorum Declinatione constat: tempore verò infœlicis huius casus Sol ad Parallelum Martis in Mundo vtroq; motu recto, & conuerso delatus est; cuius supputatio facilis, quia eadem est Declinatio Solis, & Martis, itaut Sol in natali Parallelo Martis in Zodiaco deuinceretur; cumq; Luna esset in quadrato Saturni, proculdubio violentiam minabantur ex *Ptolemæi* doctrina.

Solis.			*Martis.*		
Ascensio recta	p. 81.	35.	Ascensio recta	p. 109.	55.
Dist. à Culm.	p. 2.	28.	Dist. à Culm.	p. 30.	48.

Addo nunc distantiam Solis ad distantiam Martis à Culmine, & emergit arcus Directionis p. 33. 16. qui pro æquatione additus ascensioni rectæ Solis, efficit aggregatum p. 114. 51. respondens in Ecliptica gradui 23. 0. Cancri, ad quem Sol ab hora natalis peruenit diebus 32. & quadrante, qui tot annos significant: Est autem supputatio vtriusq; Directionis, & rectæ, qua Mars versus nonam Domum ponitur similiter distans à Culmine, sicut Sol in natali; & conuersæ, qua Sol versus nonam domum ponitur similiter distans a Culmine, sicut Mars.

Scio, quòd non deerunt, qui in hac genesi dirigant horoscopum ad quadratum Martis in Zodiaco; Quòd si Sol non censeatur vitæ moderator, quia validissimus in centro Culminis, quæ est ars Astrologiæ, nisi rerum confusio? Scientia nequaquam.


Exemplum Vndecimum.

Ferdin. Millini Episcopi Imolensis.

ERat hic præsul aspectu pulcherrimus, sermone blandus, suauissimis decoratus moribus: incidit autem in morbū ex animi puto solicitudinibus, quo plusquam per annum vexatus est, medicorum consilio sumit aquam Lucensem, quam cum non reddidisset obijt die 16. Augusti 1644. ætatis suæ anno 64. & dimidio ferè, ad quod tempus alij dirigunt horoscopum ad quadratum Martis, quamuis subsequatur statim sextilis Iouis cum finibus Veneris, qui ad seruandū, maximè in ætate robusta idonei censendi sunt ex doctrina *Ptolemæi*: Deinde Luna proculdubio, non horoscopus est vitæ moderatrix validissima, quia in Culmine sita, & plena luminibus.

Ego autem plures Lunæ ad maleficas directiones reperio, tàm in Zodiaco, quàm in Mundo, & in Mundo, tàm secundum motum rectum, quàm conuersum. Nam in Zodiaco Luna lustrabat partem 24. Libræ cum latitudine Septentr p. 4. 44. vbi præcesserat sesquiquadratus Saturni; sed hoc nihil est; cum Luna habeat ibi Declinationem p. 5. 0. & Mars p. 5. 54. si locus Lunæ sumatur secundum Parallaxim, sicut rationi consentaneum esse in quæstionibus demōstraui, parum admodum differt à Declinatione Martis; itaut Luna tunc in

Martis



Latitudo.		Declinatio.
♄ 2. 23. M.		19. 15.
♃ 1. 35. S.		5. 51.
♂ 0. 23. M.		5. 54.
☉ 0. 0.		19. 35.
♀ 1. 4. M.		6. 50.
☿ 0. 10. M.		22. 58.
☽ 1. 16. S.		13. 30.

Martis Parallelum incidiſſet in Zodiaco. In Mundo verò ſecundum motum rectum duobus annis ante mortem, quo tempore natus graue periculum violentum euaſit cum animi perturbatione non modica, Luna applicuit ad parallelum Martis in Zodiaco, qui verſus tertiam domum ſimiliter diſteterat ab Imo, ſicut

ficut Luna à Culmine. Secundum verò motum conuerfum Luna verfus nonam domum tempore mortis reperta eft ad vnguem in parallelo eiufdem Martis, item in Mundo, fcilicet ita diftans à Culmine, ficut Mars ab Imo in natali. Cum verò in motibus fecundariæ Directionis Luna rediiffet ad locum fuum natalis exquifitè, attulit tempus climactericum, infœlicitatem non modicam fuperaddens, ficut oftendi in alijs Exemplaribus, quæ ex *Argolo*, & *Magino* deiumpfi: Nam directiones fecundariæ pendent à die 18. Martij 1590. in meridie, quæ eft dies 54. cum dimidio ab hora natalis, indicans annum 54. cum dimidio: fuit autem tunc Luna in gr. 28. Leonis, in eodem fcilicet gradu fui loci natalis. Non fiat igitur mirum fi, Luna vitæ prorogatrix tot, tantifq; afflicta mœroribus deftiterit a vitali luce. Supputationes harum Directionum fic fe habent.

Lunæ.		*Martis.*	
Afcenfio recta	p. 150. 20.	Afcenfio recta	p. 347. 13.
Declin. bor.	p. 13. 30.	Declin. Auftr.	p. 5. 54.
Hor. tempor.	p. 17. 5.	Hor. tempor.	p. 15. 54.
Dift. à Culm.	p. 16. 58.	Dift. ab Imo	p. 33. 51.

Quæro fi horaria tempora Lunæ p. 17. 5. dant eius diftantiam à Culmine p. 16. 58. quam diftantiam dabunt horaria tempora Martis p. 15. 54? & prouenit diftatia feundaria Martis p. 15. 48. quæ addita cum primaria efficit arcum Directionis p. 49. 39. qui pro æquatione additus afcenfioni rectæ Solis, dat aggregatum p. 354. 48. refpondens in Ecliptica ad gr. 24. 20. Pifcium, ad quem Sol a die, & hora natalis peruenit diebus 51., qui tot annos metiuntur.

Item quæro fi horaria tempora Martis dant eius diftantiam ab Imo, quam diftantiam dabunt horaria tempora Lunæ? & prouenit diftantia Lunæ fecundaria p. 36. 22. quæ addita cum primaria efficit arcum Directionis p. 53. 20. & pro æquatione iunctus afcenfioni rectæ Solis, quæ eft p. 305. 9. dat aggregatum p. 358. 29. refpondens g. 28. 15. Pifcium, ad quem Sol peruenit diebus 55. qui totidem annos metiuntur, in quibus Luna motu conuerfo pofita eft in Parallelo Martis in Mundo.


Directio Lunæ ad Parallelum Martis in Zodiaco fieri poterit per afcenfiones rectas, quia Luna eft in Culmine. Afcenfio recta gradus 24. Libræ cum Latitudine p. 4. 44. Septentr. eft p. 203. 12. à qua detracta afcenfione recta Lunæ, remanet arcus Directionis p. 52. 52. Hæc autem Directio non eft variabilis, quia eft à corpore Lunæ per Zodiacum fecundum veram, & realem Lunæ latitudinem, quia incidit in eamdem Declinationem Martis; adeout fi permutaretur hora natalis, nihilominus tamen erit ferè femper eadem.

Exemplum Duodecimum.

D. Angeli Mariæ Alexij Abbatis.

PLuribus à iuuentute functus eft muneribus hic præful, qui tandem die 7. Maij 1645. electus in Vicarium Generalem fui Ordinis, poftea ex im-

prouiso moritur nocte antecedente diem 30. eiusdem mensis Maij, quando Luna iuncta Marti transijt super Saturnum natalis : cuius accidentis nulla tunc temporis apparet, siuè Solis, siuè horoscopi secundum communem modum, & sententiam Directio : & ipse natus aiebat hanc suam genesim à Doctissimis celeberimis Professoribus meditatam fuisse, qui diuturnam vitam inde præsagie-



Latitudo ♃ 0. 15. M. ☿ 13 15. M.

bant. At ego, qui natalem hunc iampridem noueram, putabam quod ad summũ expectaret vltimos dies Iulij eiusdem anni: fit autẽ Directio Solis secundum motum rectum ad Parallelum Saturni in Mundo, sicut in alijs expositis Exemplis, succedente intra duos gradus coniunctione Solis ex motu conuerso ad Saturnum. Quarum Directionum hæc est supputatio.

Solis.

Solis.			*Saturni.*	
Ascensio recta	p.181. 50.		Ascensio recta	p.130. 39.
Horar.temp.	p. 14. 53.		Hor. temp.	p. 17. 57.
Dist. à Culm.	p. 45. 35.		Dist. à Culm.	p. 5. 36.
Arc. semid.	p. 89. 15.		Arc. semid.	p.107. 39.

Quæro nunc si horaria tempora Solis p. 14. 53. dant eiusdem distantiam à Culmine p. 45. 35. quam distantiam dabunt horaria tempora Saturni p. 17. 52? & prouenit distantia secundaria Saturni à Culmine p. 54. 58. à qua detracta distantia primaria eiusdem, quia semper est in parte descendente, superest arcus Directionis p. 49. 22., qui pro æquatione additus ascensioni rectæ Solis, efficit aggregatum p. 231. 12. respondens gr. 23. 37. Scorpionis, ad quem Sol ab hora natalis peruenit diebus 51. & dimidio, qui tot annos metiuntur.

Directio Solis conuerso motu ad coniūctionem Saturni fieri potest per ascēsiones rectas, quia Saturnus parum distat à Culmine: siuè igitur addamus distantiam Saturni ad distantiam Solis à Culmine, siuè subtrahamus, ascensionem rectam Saturni ab ascensione recta Solis, efficimus arcum Directionis p 51. 11

Præcesserat quoq; per duos gradus ferè quadratus ad Solem in Mundo, cuius hæc est supputatio. Subtraho distantiam Solis, quam habet à Culmine, ab eiusdem arcu semidiurno, & remanet distantia Solis ab ortu p. 43. 40. Quæro igitur si horaria tempora Solis p. 14. 53. dant eiusdem ab ortu p. 43. 40. quam distantiam dabunt à Culmine horaria tempora Saturni p. 17. 57? Et emergit distantia Saturni à Culmine secundaria p. 52. 39. à qua detracta distantia eiusdē primaria remanet arcus Directionis p. 47. 3. Et sanè duobus annis ante mortē natus non parum exciderat à robore suæ valetudinis: euasit autem, quia Sol in Zodiaco ferebatur per Directionem rectam in sexitili Iouis, & per conuersam iuxta Venerem.

Cæterum noui quicunq; meas has opiniones methodusq; viderint, quibus negocij planicies potius, quàm rerum veritas si per ardua laboris, & vigiliarum quærenda sit placeat, nimiæ obscuritatis eas arguent, tùm propterea difficultate perterriti non verebuntur falsi damnare, & prorsus abijcere: Et ipsi quæso nouerint omnem quamcunq; viam licet vnicam, rectam, æquabilem, & clarissima luce fulgentem, primò intuitu semper difficultatis aliquod præseferre: vsu frequentatam, è contra, quamuis arduam, obliquam, multiplicem, & obscurissimis tenebris opertam, cæcis ipsis patere. Meminerit tandem si nihil hominibus, tàm laboriosum, quàm abdita naturæ rerum inferiorum mente duntaxat percipere, quantò difficilius censendum velle siderum res manibus attrectare, imitari, æmulari imo præcurrere, & numeris exquisitè præfinire? Etenim Philosophiæ sublunarium rerum etiam summi Doctores, quot distinctiones, quot definitiones, difficultates, responsa, cautiones, præmonita, declarationes, conceptus, mentis, atq; penè innumera huiusmodi in rerum doctrinam interponunt, vt inferiores naturæ res intellectu tantum percipiant? quòd tandem adhuc non assequi, aut saltem admodum leuiter, sententiarum multiplicitas, & contrarietas manifestissimè demonstrant, quia veritas vna solum.

solum. Astrorum verò influxus vtpotè remotissimos, & harum rerum causas, intelligere nullo labore vendicabimus? Atquè tandem rebus hisce cunctis ad laudem Conditoris, & Gubernatoris Cœli, & Terræ finem imponere liceat.

FINIS.

INDEX CAPITVM

LIBER PRIMVS.

De viribus Astrorum in Sublunaria.

LIBER SECVNDVS.

De Familiaritatibus Astrorum.

Rr De

LIBER TERTIVS.

De siderum ad Familiaritates motibus, & numeris.

INDEX

PRÆCIPVARVM RERVM.

Animalia

Dignitates

Finium

Tempora

ERRATA.

		Delenda.	Reponenda.
In Dedicatoria		animisq; lauamen	animisq; leuamen
pag. 3.	vers. 14. & 15.	attrire	atterere.
11.	25.	non est nisi calor	non est nisi color
20.	20.	oculis tantum	oculus tantum
25.	1.	non esse igna	non esse signa
29.	1.	aut frigiditas	vt frigiditas
30.	13.	quibus constat corpora	quibus constant corpora
30.	32.	de qua rei	de qua re
32.	31.	& quod	eo quod
32.	33.	eo virtutes	& virtutes
33.	13.	sicut quantitates	sicut quantitas
37.	17.	inferiora elementa	inferiora elementaria
38.	26.	cui inhærent	cui inhæret
39.	37.	licet 22.	Section: 22.
42.	14.	qualitatis elemetalis	qualitatis elementaris
49.	11.	substantiæ animalibus	substantiæ animalis.
56.	29.	non pati obseruationem	non pati obscurationem.
63.	31.	afficiant alium	efficiant alium
91.	30.	prout mouetur	prout mouentur
95.	1.	alias calidissimi	alias callidissimi
103.	38.	siuè eius virtutis	siuè eius virtus
105.	15.	Declinationem non	Declinationem si non
106.	30.	siuè horarijs positionum	siuè horarijs, siuè positionum
109.	28.	temperamentum verò	temperaturam verò
116.	33.	quartæ fortuna est	quartæ futura est
136.	15.	veram, & efficacimam	veram, & efficacissimam
136.	36.	& ergo, qui	& ego, qui
138.	18.	eadem vim	eamdem vim
140.	40.	radius oppositiones	radius oppositionis
140.	31.	supponantur	supponatur

Delenda.	Reponenda.
pag.144.verſ.3.5.& 34.actiuitatis	actiuitas
145. 6. abſentis Aſtris	abſentibus Aſtris
162. 38. æque diſtantia	æquè diſtant à
168. 3. errores per viam	errones per viam
191. 3. obſeruari Lunam	obſeruaui Lunam
193. 38. ſimilitudinem modos	ſimilitudinum modos
203. 1. autem intelligo	autem intelligere
203. 40. Aſcenſio ad Apogeum	Deſcenſio ab Apogæo
204. 36. prorſus eſſet	prorſus eſſent
221. 30. vniuſquiſq;	vnuſquiſque
221. 40. in illius motibus	in illis motibus
223. 26. quot ſunt enim fuerit	quot enim fuerint
224. 18. non exorditus ab	non exorditur ab
224. 29. informantur gradus	infirmantur gradus
224. 36. doctrinam opinantur	doctrinam opinatur
224. 43. eo quia iungatur	eo quia iungantur
225. 7. moderatores inpingunt	moderatores impingant
229. 1. ſemper ipſo	ſemper in ipſo
231. 5. correſpondeant	correſpondent
232. 33. æquales, vt vniformes	æquales, & vniformes
234. 24. ita poſt motum	ita per motum
234. 34. Solem menſuris	Solem menſurnis
236. 27. ſemper concurrunt	ſemper concurrant
239. 3. hoſtilem contrahunt	hoſtilem contrahant
241. 5 etiam immaturè	etiam immutare
242. 15. Prorogatores	Prorogatoris
242. 16. verum, & ſingulis	verum, & in ſingulis
242. 18. quam inuentibus	quam ab inuentibus
244. 30. euentum adducunt	euentuum adducunt
245. 7. de teagono	de tetragono
248. 14. non ſit Ecliptica	non ſit in Ecliptica
248. 37. partili coniunctio	partilis coniunctio
248. 38. alio duo	alia duo
253. 12. quæ ſit eadem	quæ ſi ſit eadem
260. 26. in ſinguli	in ſingulis
260. 41. ibi eſſet locus	ibi erit locus
263. 13. Luna complet 24.	Luna complet 12.
263. 28. Directionis, & Proceſſu	Directionis, & Proceſſus
267. 20. recta Culmine	recta Culminis
280. 33. partialiter	partiliter
280. 36. leuem caritatem	luem, caritatem
284. vltim. quin viderem	quin viderer (294.
295. Exempl. quintum Federici &c.	ſuper ſcribe Figuræ anterioris pag. 298.

298. Exempl. sept. Francis. &c. — super scribe Figuræ anterioris pag. (297.

300. totius tempus penè — totius penè

254. ad calcem Tabulæ Crepusculorum

30	15	10	15	10	15	10	15	10	15	10	15	10
		♊		♉		♈		♓		♒		♑

Corripe sic.

30	15	10	15	10	15	10	15	10	15	10	15	10
		♊		♉		♈		♓		♒		♑

R E G I S T R V M.

✱✱ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf

Tutti sono fogli intieri: ma Oo Pp Qq, vanno spartiti in mezzi fogli, e ligati da per se.